FRANZELI

TRACTATI
DE
SACRAMENT
IN GENER

BV811
F7
1878

008340



EX LIBRIS

HEMETHERII VALVERDE TELLEZ

Episcopi Leonensis

1080015237

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

IOANNIS BAPT. FRANZELIN

E SOCIETATE IESU

S. R. E. CARDINALIS

ANTEHAC

IN COLLEGIO ROMANO S. THEOLOGIAE PROFESSORIS

TRACTATUS

DE SACRAMENTIS

IN GENERE

EDITIO TERTIA

ROMAE

EX TYPOGRAPHIA POLYGLOTTA

S. C. DE PROPAGANDA FIDE

MDCCCLXXVIII.

Capilla Alfonsina
Biblioteca Universitaria

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
Biblioteca Valverde y Tellez

FONDO ANTIGUO
VALVERDE Y TELLEZ

44991

UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

BV811
F7
1878

ALERE FLAMMAM VERITATIS

Vindicatur ius proprietatis.

CAPILLA ALFONSINA
UANL
FONDO EMETERIO
VALVERDE Y TELLEZ

TRACTATUS
DE SACRAMENTIS IN GENERE

CAPUT I.

DE RATIONE PROPRIA SACRAMENTORUM IN COMMUNI, ET DE DIFFERENTIA SACRAMENTORUM VETERIS AC NOVI TESTAMENTI

THESIS I.

De notione generica et specifica sacramenti.

» Quamvis usu etiam biblico et ecclesiastico nomen *sacramenti* » quandoque generatim significet arcana divina fidelibus revelata, vel » signa arcanorum manifestantia; significatione tamen specifica, quae » ex usu christiano est propria, *sacramentum* dicitur signum visibile » divinitus institutum ad hominum sanctificationem significandam et » sui applicatione ac impertitione efficiendam, modo respondente oeco- » nomiae sive veteris sive novi testamenti, ad quam ipsum signum » pertinet. »

I. *Sacramentum* ex sua etymologia rem sacram significat, determinatum autem est ad certas quasdam res sacras designandas. In profanis quidem negotiis sacramentum dicebatur pignus a litigantibus depositum in loco sacro vel apud pontificem; tum iusiurandum maxime illud, quo milites obstringuntur reipublicae. In usu autem ecclesiastico, de quo uno nobis sermo est, scriptores latini sacramentum dixerunt id omne, quod graece est μυστηριον. Est autem mysterium idem ac sacrum arcanum (1). Unde generali significatione apud christianos sacramentum dicitur dupliciter, « sacrum signatum et sacrum signans, » ut loquitur Magister (4. dist. 1.). Sacramenta itaque generali significatione

(1) Etymologia vocis μυστηριον proxime est a μυεω sacra docere, sacris initiare; remotius est a μυω oculos vel os occludere. Mysteria etiam apud gentiles erant doctrinae sacrae et arcanae, initiationes in easdem per determinatas caerimonias, ipsa signa et symbola adhiberi solita in initiationibus.

008340

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

BV811
F7
1878

ALERE FLAMMAM VERITATIS

Vindicatur ius proprietatis.

CAPILLA ALFONSINA
UANL
FONDO EMETERIO
VALVERDE Y TELLEZ

TRACTATUS
DE SACRAMENTIS IN GENERE

CAPUT I.

DE RATIONE PROPRIA SACRAMENTORUM IN COMMUNI, ET DE DIFFERENTIA SACRAMENTORUM VETERIS AC NOVI TESTAMENTI

THESIS I.

De notione generica et specifica sacramenti.

» Quamvis usu etiam biblico et ecclesiastico nomen *sacramenti* » quandoque generatim significet arcana divina fidelibus revelata, vel » signa arcanorum manifestantia; significatione tamen specifica, quae » ex usu christiano est propria, *sacramentum* dicitur signum visibile » divinitus institutum ad hominum sanctificationem significandam et » sui applicatione ac impertitione efficiendam, modo respondente oeco- » nomiae sive veteris sive novi testamenti, ad quam ipsum signum » pertinet. »

I. *Sacramentum* ex sua etymologia rem sacram significat, determinatum autem est ad certas quasdam res sacras designandas. In profanis quidem negotiis sacramentum dicebatur pignus a litigantibus depositum in loco sacro vel apud pontificem; tum iusiurandum maxime illud, quo milites obstringuntur reipublicae. In usu autem ecclesiastico, de quo uno nobis sermo est, scriptores latini sacramentum dixerunt id omne, quod graece est μυστηριον. Est autem mysterium idem ac sacrum arcanum (1). Unde generali significatione apud christianos sacramentum dicitur dupliciter, « sacrum signatum et sacrum signans, » ut loquitur Magister (4. dist. 1.). Sacramenta itaque generali significatione

(1) Etymologia vocis μυστηριον proxime est a μυεω sacra docere, sacris initiare; remotius est a μυω oculos vel os occludere. Mysteria etiam apud gentiles erant doctrinae sacrae et arcanae, initiationes in easdem per determinatas caerimonias, ipsa signa et symbola adhiberi solita in initiationibus.

008340

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

appellantur in primis *res ipsae sacrae et occultae*, atque adeo obiecta fidei et religionis christianae, tum quatenus sola revelatione divina innotescunt fidelibus, tum etiam quatenus occultantur non initiatis. Ita in Scripturis praedicatur « *sacramentum* voluntatis Dei, quod ipse nobis notum fecit; dispensatio *sacramenti* absconditi a saeculis in Deo, quod innotescit per Ecclesiam; *mysterium* quod absconditum fuit a saeculis et generationibus, nunc autem manifestatum est sanctis eius, quibus voluit Deus notas facere divitias *sacramenti* huius in gentibus, quod est Christus in vobis spes gloriae; manifeste magnum pietatis *sacramentum*, quod manifestatum est in carne.... praedicatum est gentibus, creditum est in mundo » (Eph. I. 9; III. 3. 9; Coloss. I. 27; 1. Tim. III. 16.). Quod 1. Cor. XIII. 2. nunc in Vulgata est: « si noverim mysteria omnia, » Augustinus legit: « si sciero omnia *sacramenta*. » Vide et Sap. II. 22; VI. 24. Eadem significatio recurrit apud vetustissimos scriptores ecclesiasticos, ut a Tertulliano universa doctrina, in omnibus Ecclesiis una inde ab Apostolis tradita, appellatur « eiusdem *sacramenti* una traditio » (Praescript. c. 20.); et Paulum dicit « cognovisse omnia *sacramenta* » (De resurr. carn. c. 23.), et nos « consecutos intellectum *sacramentorum* Dei » contr. Marc. III. 16.

Significatio generica altera cum priori nexa est, qua sacramenta dicuntur res aliquae dispositione divina vel saltem auctoritate legitima ordinatae in *signa aliarum rerum sacrarum*. « Signa, inquit Augustinus, cum ad res divinas pertinent, *sacramenta* nominantur » (Aug. ad Marcellin. ep. 138. n. 7.). Hoc sensu omnes typi V. T. possunt appellari sacramenta, ut Tertullianus (contr. Marc. V. 4.) dicit, Isaac filium liberae (Gal. IV. 22.) « habere allegoriae *sacramentum*, » et generatim appellat typos « figurarum *sacramenta* » (ib. c. 1. cf. adv. Iudaeos c. 12.).

Sensu hoc latiori patet etiam sacrificia esse sacramenta; « sacrificium visibile invisibilis sacrificii *sacramentum*, id est sacrum signum est, » ait Agustinus (Civ. Dei X. 5.). Imo latissima significatione omnes sacrae cerimoniae pertinentes ad cultum externum possunt dici sacramenta. De

his Augustinus (contr. Faust. XIX. 11.): « in nullum nomen religionis seu verum seu falsum coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum vel *sacramentorum* visibilium consortio colligentur, quorum *sacramentorum* vis inenarrabiliter valet plurimum, et ideo contempta sacrilegos facit. Impie quippe contemnitur, sine quo non potest perfici pietas. »

Vulgatus interpres, ut generalis haec signorum notatio etiam ex Bibliis appareat, ostenta divinitus ordinata ad protendenda arcana futura vel significandas res sacras praesentes appellat *sacramenta*, ubi chaldaice est רָז graece μυστηριον (Dan. II. 18. 30. 47; Ap. I. 20; XVII. 7.). Unde calumnia est Protestantium, doctrinam catholicam de matrimonio, quod sit sacramentum N. L. sensu specifico et strictiori, inniti falsae interpretationi nominis μυστηριον (Eph. V. 32.), quod Vulgatus reddidit *sacramentum*. Ea interpretatio falsa non est; sed falsum est, argumentum pro doctrina catholica duci ex solo nomine *sacramenti*; nemo enim catholicorum diffitetur, potuisse matrimonium dici sacramentum, etiamsi signum tantummodo esset unionis Christi capitis cum Ecclesia tamquam suo corpore, et ideo rationem specificam sacramenti N. L. non ex nomine per se spectato, sed aliunde demonstrandum esse.

II. Quamvis haec ita sint, constat tamen, in Ecclesia quam Deus acquisivit sanguine suo, existere signa quaedam sacra propriae rationis, quae licet cum aliis conveniant in genere signi rei sacrae, differunt tamen ab omnibus aliis *in modo et efficacia significandi et in re significata;* instituti enim sunt ab ipso Christo redemptore ritus quidam sacri non quomodocumque significantes rem sacram, sed *significantes practice*, atque adeo qui non solum signa sint, sed etiam causae, secundum dignitatem in ipsa signa derivatam ex pretio sanguinis Iesu Christi institutoris, ad efficiendam rem sacram quam significant, videlicet *sanctificationem* in hominibus, quibus applicantur; quae quidem efficacia inferius suo loco probanda erit. His autem specialibus signis nomen *sacramenti* usu christiano saltem ex pluribus saeculis ita factum est proprium, ut de aliis illis, quae in generica solum ratione signorum rei sacrae conve-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

niunt, iam non nisi improprie et ex quadam analogia adhiberi possit. Simile quidpiam accidit etiam aliis pluribus nominibus, ut usu christiano determinata sint ad designandam tantummodo *speciem aliquam*, quae ex sua etymologia et usu primitivo latius paterent ad significandum *genus*; prout videre est in usu theologico et ecclesiastico nominum *paradisus, gratia, baptismus, eucharistia etc.*

Si haec tantummodo signa efficacia sanctificationis, quae Christus in sua Ecclesia N. T. instituit, proprie dicerentur *sacramenta*, iam de sacramenti proprie dicti notis essentialibus ac proinde de sacramenti *definitione* satis constaret. Haec enim ipsa *significatio efficax sanctificationis* facile intelligeretur nota specifica omnibus et solis *sacramentis* proprie dictis communis, et hoc ipso ea distinguens ab omnibus aliis signis rei sacrae, quae improprie solum sacramenta possent nuncupari. At spectato modo loquendi Conciliorum, Patrum et theologorum catholicorum, in veteri etiam testamento *sacramenta* aliqua proprii nominis fuisse non est negandum. Conferunt enim Patres et Concilia sacramenta veteris et novi testamenti inter se ita, ut utraque, quamvis inter se multis et maxime virtute ac efficacia discrepantia, in ea ratione tamen convenire ostendant, quae usu ecclesiastico proprie et peculiariter designatur nomine *sacramenti*. (S. Aug. in Ps. 73. n. 2; contr. Faust. l. XIX. c. 11; Conc. Florent. in Instruct. pro Armen.; Trid. sess. VII. can. 2.). Theologi autem quantumvis inter se dissentiant in explicatione, quomodo ratio *sacramenti* proprie dicti communis asseri possit utrisque, consentiunt tamen plerique, veterem etiam oeconomiam proprie dictis *sacramentis* instructam fuisse.

Hinc theologi iidem inquisierunt definitionem, sub qua comprehenderentur *sacramenta* proprie dicta tam veteris quam novi testamenti, in qua stabilienda non levis est difficultas, et ideo (ut fieri solet) magna diversitas sententiarum.

Cum iuxta fidem catholicam certo constet, quae sint proprie dicta sacramenta N. T., immo cum fide pariter catholica doceamur, quae sint notae ac proprietates hisce omnibus nostris sacramentis communes, definitio specifica

sacramenti novae legis sicut est momenti maximi, ita a nemine catholico quoad rem ipsam in dubium vocatur; sed controversia tota est cum haereticis essentiales aliquas proprietates sacramentorum a Christo institutorum negantibus (1). Contra vero qui ritus sacri omnes et soli in veteri testamento proprii nominis *sacramenta* censeri debeant, sub opinione positum est, nec fide catholica definitum nec pleno theologorum consensu ratum habetur, et quod cum his nectitur, proprietates ipsae essentiales communes sacramentis veteris ac novi testamenti non certo constant; unde nec possunt subiecta definitionis assumi praecognita in adaequata sua extensione, ut ex iis abstrahantur proprietates communes ad formandam definitionem genericam, quae comprehendat tamquam speciem duplicem *sacramenta* veteris et novi testamenti; nec possunt aliunde communes proprietates stabiliri ita, ut nullus salva fidei integritate possit esse locus controversiae. Ex his autem ipsis apparet, definitionem genericam sacramentorum proprii nominis non tanti esse momenti, quanti definitionem specificam sacramentorum novi testamenti esse diximus. Sane Concilia ipsa Florentinum et Tridentinum distincte quidem tradunt doctrinam de proprietatibus sacramentorum N. T.; de illis autem V. T. in comparatione cum nostris sacramentis potius *negative* docent, quid non sint, quam *positive*, quae eis proprietates competant communes cum nostris, per quas et illa constituantur ac sint *sacramenta* proprii nominis (2).

(1) « Si quis dixerit sacramenta N. L.... esse plura vel pauciora quam septem.... aut etiam aliquod horum septem non esse *vere et proprie sacramentum;* A. S. » « Si quis dixerit, sacramenta N. L. non continere gratiam quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre.... A. S. » Trid. sess. VII. can. 1. 6.

(2) « Sacramenta novae legis multum a sacramentis differunt antiquae legis. Illa enim non causabant gratiam, sed eam solum per passionem Christi dandam esse figurabant; haec vero nostra et continent gratiam et ipsam digne suscipientibus conferunt ». Conc. Florent. Instr. pro Armen. « Si quis dixerit, ea ipsa N. L. sacramenta a sacramentis A. L. non differre, nisi quia ceremoniae sunt aliae et alii ritus, A. S. » Trid. sess. VII. can. 2. Videri tamen potest indicata definitio quaedam generica sacramenti sess. XIII. cap. 3: « symbolum rei sacrae et invisi-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Nihilominus cum sacramenta novi testamenti sensu maxime proprio censeantur et appellentur hoc nomine, consideratio proprietatum essentialium eorumdem suppeditabit modum tutissimum reperiendi etiam proprietates, quibus illa alia veteris testamenti constituantur in speciali ratione *sacramentorum*. Erunt enim profecto communes utrisque illae notae essentiales, quae non pendent a speciali ratione diversa oeconomiae ad quam pertinent, eo ipso quod utraque sunt *sacramenta* proprii nominis, hoc servato discrimine, quod ab insita diversa ratione et indole novae ac veteris oeconomiae exigitur, et quo differentia constituitur specifica inter sacramenta unius et alterius Foederis.

Si assumamus sacramentorum novae legis proprietates essentiales, quae postea distincte demonstrabuntur: ea *a*) sunt *signa visibilia sanctificationis et gratiae*, qua filii Dei adoptivi nominamur et sumus. *b*) Haec gratia per sacramenta N. T. non quomodocumque significatur, sed ita ut per eadem non ponentibus obicem *conferatur* tamquam per instrumenta Christi et Dei auctoris gratiae. Adeoque sunt *signa gratiae in praesenti conferendae, et signa efficacia* seu causae instrumentales eiusdem. *c*) Sunt *ritus vel res sacrae pertinentes ad cultum religiosum ordinarium et divinitus institutum*, atque adeo non pertinent ad charismata extraordinaria, sed sunt *perpetuae institutionis*, et quidem ex ipsa sua natura institutionis *non humanae sed divinae*, tum quatenus sunt signa practica sanctificationis et gratiae, tum quatenus pertinent ad cultum religiosum primarium et ad ipsa fundamenta religionis. *d*) Sunt sacri ritus non ita, ut directe et proxime eorum *activa* exhibitione et exercitatione homo Deo cultum exhibeat, sed ita *ut homo sit subiectum applicationis et eorum susceptione sanctificetur*, quamvis ad tollenda impedimenta ipsius hominis cooperatio requiratur; unde etiam a Dionysio et aliis Patribus appellantur *sacrae initiationes* ἱεραρχικαι τελεται (Dionys. Hie-

bilis, » quae definitio hisce verbis est apud Magistrum 4. dist. 1. et paulo aliis apud s. Aug. De catechiz. rud. c. 26. In Catechismo tamen Romano (P. II. c. 1. n. 9-11.) haec ipsa definitio ita explicatur, ut ad sacramenta tantum N. L. transferri videatur.

rarch. Eccles. c. 3. n. 1.); qua postrema ratione sacramenta differunt nominatim a sacrificio.

Iam vero comparando indolem propriam, qua nova et antiqua oeconomia distinguuntur, video ex enumeratis notis *specifice* ad novum testamentum pertinere significationem *gratiae in praesenti conferendae*, et gratiae eiusdem *collationem* per signum ac ritum religiosum externum. « Gratia enim et veritas, spiritus adoptionis filiorum, lex scripta in cordibus, circumcisio cordis in spiritu » pertinent velut notae distinguentes et character proprius ad novum testamentum. In veteri autem lege observationibus et caerimoniis religiosis quas « iustitias carnis » appellat Apostolus, respondet secundum indolem illius oeconomiae *emundatio carnis et sanctificatio quaedam legalis* non ad delendum peccatum, pro quo pretium redemptionis adhuc expectabatur actu ipso persolvendum, sed ad auferendam immunditiam legalem et quandam irregularitatem lege statutam. Haec autem ipsa sanctificatio legalis *typus erat, realis prophetia et a Deo facta promissio* sanctificationis theologicae in novo testamento *futurae* (1), quoniam lex tota « paedagogus erat ad Christum, introductio melioris spei, et omnia in figura contingebant illis » (Io. I. 17; Rom. II. 29; VIII. 15; Heb. VIII. 10. tum Heb. IX. 9. 10. 13; Gal. II. 16; III. 24; Heb. VII. 19; 1. Cor. X. 11.). Quare etiam in sacramentis, ut respondeant huic indoli veteris oeconomiae, pro significatione gratiae *praesentis* substituenda erit significatio typica gratiae per Christum *futurae*, et pro sanctificatione *theologica* sanctificatio *legalis*, per cuius collationem ipsam typi erant ac reales promissiones Christi salvatoris et expectandae per ipsum sanctificationis perfectae. Hinc in sacramentis V. T.

(1) « In veteri lege duplex immunditia observabatur; una quidem spiritualis quae est immunditia culpae, alia vero corporalis quae tollebat idoneitatem ad cultum divinum, et sic immunditia nihil aliud erat quam irregularitas quaedam. Ab hac igitur immunditia caerimoniae V. L. habebant virtutem mundandi.... Ab immunditia vero mentis quae est immunditia culpae, non habebant virtutem expiandi.... Sciendum est tamen, quod hoc ipsum, quod V. L. caerimoniae a corporalibus immunditiis expiabant, erat figura expiationis a peccatis, quae fit per Christum ». S. Th. 1. 2. q. 103. a. 2.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

duplex erat significatio diversa duplicis sanctificationis, significatio δεικτικη et *efficax sanctificationis legalis in praesenti*, et significatio *prophetica sanctificationis theologicae in futuro*. In his igitur constituetur differentia essentialis specifica inter sacramenta utriusque testamenti. Quoad notas autem reliquas essentiales nihil apparet, quod pendeat a discrimine existente inter duplicem diversam oeconomiam; modus enim ipsorum signorum visibilium, licet diversus in sacramentis novi et veteris Foederis, ad notas essentiales distinguentes sacramenta proprii nominis ab aliis sacris signis non pertinet, atque ideo in definitione locum non habet. Proinde ratio sacramentorum V. T. constituetur notis sequentibus, ut fuerint *a*) ritus sensibiles divinitus instituti; *b*) signa et causae sanctificationis ac munditiae legalis, ac quaedam consecratio velut populi sacerdotalis (cf. Exod. XIX. 6; Lev. XX. 26.); *c*) ut per hanc sanctificationem typicam fuerint signa gratiae conferendae per Christum; imo *d*) etiam pignora et infallibiles promissiones gratiae futurae in novo testamento, ob quam rationem a Card. de Lugo (disp. I. sect. 2. n. 17.), nescio an satis commode, appellantur *causae morales gratiae conferendae in N. T.*

Itaque ad constituendam definitionem genericam, quae comprehendat sacramenta proprie dicta utriusque testamenti eaque distinguat ab aliis omnibus signis sacris, servatis notis ceteris superius enumeratis velut propriis sacramentorum N. T. abstrahendum erit a significatione gratiae praesentis vel futurae, et a sanctificatione theologica vel legali; atque adeo dicenda generice *significatio gratiae et sanctificatio respondens oeconomiae*, ad quam pertinent sacramenta. Unde illa ipsa exsurget definitio, quam in enuntiatione theseos posuimus.

Ex his intelliges, 1°. proprii nominis sacramenta V. T. fuisse circumcisionem, initiationem sacerdotum quae describitur Exod. XXIX; Lev. VIII. cf. Exod. XXX. 30; expiationes quae memorantur Lev. XIV; Num. XIX; agnum paschalem (ut docent plerique) Exod. XII; panes propositionis (ut merito censuit sanctus Thomas) Lev. XXIV. 9. et si quae forte alia (cf. S. Th. 1. 2. q. 102. a. 5.). 2°. In-

telliges rationem, cur neque sacrificia, neque pleraeque caerimoniae licet typicae, ut e. g. consecratio tabernaculi et vasorum et expiationes domorum, nec alii typi, ut e. g. transitus maris rubri, manna, serpens aeneus fuerint sacramenta proprie dicta. Insuper 3°. apparet facile, cur in N. T. nulli ritus possint censeri inter sacramenta proprie dicta, nisi qui sint *signa efficacia gratiae*, quia videlicet haec ipsa virtus respondens propriae rationi oeconomiae christianae comprehenditur nomine speciali, quo dicitur *sacramentum novi testamenti*. Qui igitur ritus hac virtute carent, nec pertinere possunt ad sacramenta novi testamenti, quia ipsa deest nota essentialis; nec ad illa veteris legis, quia supponuntur esse caerimoniae novi testamenti. Non necessaria ergo fuisset operosa inquisitio, quae a nonnullis theologis instituitur, cur prima tonsura et ordines minores (in hypothesi probabiliori, quod gratiam non conferunt nec divinae sunt institutionis), exorcismi et caerimoniae aliae in solemni administratione sacramentorum, aqua lustralis et sic dicta sacramentalia reliqua, absolutio a censuris, professio religiosa non sint *sacramenta*; deest in eis scilicet significatio *ex opere operato efficax gratiae*, quae sola in N. T. censeri potest *sacramentalis*. Haec est ratio praecipua et sola per se sufficiens, quamvis praeterea etiam alias notas proprie dicti sacramenti in eis deficere, monstrari possit. Denique 4°. apparet, cur verba Christi Domini remittentis peccata, quando in terris visibilis versabatur, forte etiam actus quo Apostolos instituit sacerdotes (cf. Conc. Trid. sess. XXII. can. 2.), non erant sacramenta; erat autem proprie dicta confectio sacramenti consecratio corporis et sanguinis sui in ultima coena peracta; quia videlicet haec posterior, non illa priora ritus erant *perpetuae institutionis*. Hunc enim ritum ita perpetuo fieri iussit, ut ipse eum peregerat; sacramenta autem poenitentiae et ordinis instituit quidem, ipse autem personaliter sacramentorum effectum conferre potuit nullo adhibito sacramento.

Lege Bellarmin. de Sacram. l. I. c. 12; Suarez in 3. P. T. III. disp. I; Vasquez in 3. P. T. II. disp. 128; de Lugo de Sacram. disp. I.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

THESIS II.

De relatione sacramentorum novi testamenti ad vetera tamquam umbram, et ad bona coelestia tamquam veritatem absque velamine.

« Sicut universim Ecclesia novi testamenti media est inter oeconomiam Mosaicam tamquam umbram praefigurantem et inter Ierusalem coelestem tamquam finalem perfectionem: ita nominatim haec duplex relatio obtinet in sacramentis. Sacramenta enim vetera in synagoga Mosaica typi sunt et promissiones novorum in Ecclesia Christi; haec nova sunt pignora et praeparationes ad bona aeterna in Ecclesia coelesti, ubi res ipsa sacramentis significata manet sine signis, et nihil iam est in figura sed omnia sunt in veritate » (1).

I. In toto veteri testamento distingui debet *oeconomia spiritualis*, permanens scilicet etiam post lapsum humani generis destinatio ad finem supernaturalem aeternae beatitudinis, promissio et collatio gratiae necessariae ad huius assecutionem; et distingui debet *foedus particulare* promissum patriarchis et cum iis iam inchoatum, absolutum vero et initum distinctius atque expressius cum universo populo Israel per Moysen ministrum Dei, quatenus hoc constat superadditis praeceptis, caerimoniis, promissionibus temporalibus aptis ad formandum et continendum populum Dei peculiarem, ut per hunc ipsa oeconomia spiritualis facilius et perfectius conservaretur et in dies amplius explicaretur. Illa prior oeconomia instituta iam erat in paradiso, erat universalis pertinens ad totum genus humanum, aeterna et in plenitudine temporis perficienda quidem numquam vero abroganda, spiritualis tam quoad finem bonorum aeternorum quam quoad media gratiae adiuvantis et sanctificantis; foedus autem alterum Mosaicum formaliter spectatum et quatenus distinguitur a pacto universali et spirituali, ut ipsemet s. Paulus legem et opera legis et caerimonias considerare solet, exhibetur nobis ut temporarium, externum, cuius promissio et hereditas testamentaria erant bona temporalia, terra fluens lacte et melle (2), cuius sanctificatio

(1) S. Bruno Astens. hom. 34.

(2) « Lex vetus, quae dabatur imperfectis id est nondum consecutis gratiam spiritualem (considerando praecise statum legis), dicebatur lex

legalis tantum et, ut Paulus loquitur (Heb. IX. 13.), emundatio carnis; utraque tamen tum scilicet hereditas tum sanctificatio typus erat ac figura hereditatis et sanctificationis spiritualis conferendae in N. T. per Christum. Confer S. Th. 1. 2. q. 103. a. 2.

Si hoc modo considerata oeconomia antiqua, quatenus caerimonialis erat et typica, conferatur generatim cum institutionibus novi testamenti, oeconomia antiqua tamquam praeparatio et introductio (Gal. III. 24; Heb. VII. 19.) ita se habet ad Ecclesiam Christi, sicut Ecclesia Christi in terris se habet ad Ecclesiam coelestem. Sicut enim synagoga Mosaica erat paedagogia et praeparatio ad Ecclesiam Christi in terris, ita Ecclesia ad Ierusalem coelestem est praeparatio, ipsa media inter umbram veterem et consummationem futuram in patria. Hoc autem ipsum valet nominatim in comparatione sacramentorum utriusque testamenti, quae utpote instituta visibilia longe praecipua respondeant necesse est propriae indoli oeconomiae, ad quam pertinent (thes. I.). Cf. S. Th. 3. q. 61. a. 4. ad 1.

S. Paulus ipse (Heb. X. 1.) distinguit *umbram* in veteri testamento, *imaginem* in novo, ac denique *res ipsas*, quarum instituta visibilia etiam N. T. sunt imago, et quarum manifestatio ac fruitio sine signorum velamine et sine imagine adhuc expectatur a nobis, ita ut per *umbram* ad *imaginem*, per imaginem ad *rerum possessionem plenam* humanum genus deducatur. « *Umbram* habens lex futurorum bonorum (quae nunc in N. T. sunt praesentia, tum adhuc erant futura) non ipsam *imaginem rerum* ». (σκια, εἰκων, πραγματα). Si igitur comparetur novum testamentum cum veteri, se habet ut *corpus ad umbram* (Col. II. 17.); si conferatur cum consummatione in patria, vicissim se habet ut *imago ad res ipsas*.

timoris, in quantum inducebat ad observantiam praeceptorum per comminationem quarumdam poenarum, et dicitur habere temporalia quaedam promissa..... Fuerunt tamen aliqui in statu veteris testamenti habentes charitatem et gratiam Spiritus Sancti, qui principaliter exspectabant promissiones spirituales et aeternas, et secundum hoc pertinebant ad legem novam » s. Thom. 1. 2. q. 107. a. 1. Vide s. August. in Ps. 73. n. 2.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Patres in hac describenda relatione duplici novi testamenti et nominatim sacramentorum novi testamenti sunt eloquentissimi. « Primum, ait s. Ambrosius, *umbra* praecessit, secuta est *imago*, erit *veritas*. *Umbra in lege, imago vero in evangelio, veritas in coelestibus. Umbra evangelii et Ecclesiae congregationis in lege, imago futurae veritatis in evangelio, veritas in iudicio Dei.* Ergo quae nunc celebrantur in Ecclesia, eorum umbra erat in sermonibus prophetarum; umbra in diluvio; umbra in rubro mari, quando baptizati sunt patres nostri in nube et in mari; umbra in petra, quae aquam fluxit et populum sequebatur. Nonne illud in umbra erat sacrosancti huius mysterii sacramentum? nonne in umbra erat aqua de petra, quasi sanguis ex Christo?... Sed iam discessit *umbra noctis et caliginis Iudaeorum, dies appropinquavit Ecclesiae. Videmus nunc per imaginem bona, et tenemus imaginis bona.* Vidimus principem sacerdotum ad nos venientem, vidimus et audivimus offerentem pro nobis sanguinem suum; sequimur, ut possumus, sacerdotes, ut offeramus pro populo sacrificium, etsi infirmi merito, tamen honorabiles sacrificio, quia etsi nunc Christus non videtur offerre, tamen ipse offertur in terris, quando Christi corpus offertur; immo ipse offerre manifestatur in nobis, cuius sermo sanctificat sacrificium, quod offertur; et ipse quidem nobis apud Patrem advocatus adsistit; sed nunc eum non videmus, *tunc videbimus, cum imago transierit, veritas venerit.* Tunc iam non per speculum, sed facie ad faciem ea, quae sunt perfecta, videbuntur. Adscende ergo homo in coelum, et *videbis illa, quorum umbra hic erat vel imago; videbis non ex parte, non in aenigmate sed in consummatione, non in velamine sed in luce* » (Ambros. in Ps. XXXVIII. n. 25. et de Offic. l. I. c. 48. n. 248.).

Sic etiam Dionysius nostram *hierarchiam*, quo nomine non solum ministros sacrorum sed etiam omnes initiationes et initiatos complectitur, *mediam* appellat inter hierarchiam legalem ac coelestem, « quae *ipsa sua medietate attingit utrimque extrema*, cum coelesti quidem communicans in spiritualibus contemplationibus (in rebus quae subsunt visibilibus signis), cum legali vero sensibilium varietate signorum, quibus sacrosancte ad divina adducitur » Eccles. Hierarch. c. 5. n. 2.

Eandem comparationem instituit s. Bruno Astensis ex symbolis trium tabernaculorum iuxta doctrinam Apostoli (Heb. IX.), quorum primum Sanctum, alterum Sancta Sanctorum, tertium coelum in quod Christus aeternus pontifex introivit. « Primum igitur tabernaculum, inquit Bruno, est synagoga, secundum Ecclesia, tertium coelum.... Primum *in umbra fuit et figura*, secundum *in figura est et veritate*, tertium *in veritate sola*. In prima *ostenditur vita*, in secundo *datur*, in tertio *possidetur*. Non enim sacramenta Ecclesiae ut sacramenta synagogae *medicinam docent et ostendunt*, sed ipsa potius *sunt medicina et remissio peccatorum*... In tertio vero tabernaculo *nihil est in figura, omnia sunt ibi in veritate*. Unde et Apostolus ait (1.Cor.XIII. 12): videmus nunc per speculum in aenigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum. » Bruno Astens. homil. 34. Opp. T. II. p. 409. et sub nomine Eusebii Gallicani Bibl. Max. T. VI. p. 721.

II. Si distinctius per se spectetur et conferatur significatio in sacramentis novi et veteris testamenti, idem ille, de quo agimus, mutuus habitus apparebit. Sacramenta N.T. primum quidem ex se et ex insita analogia *apta sunt ad significandam*, et ex Christi institutione *actu significant*, gratiam et sanctitatem, quam ex institutoris eiusdem meritis et consecratoria voluntate *conferendi vim habent* (1); tum loco altero sin minus omnia similitudine, quam gerant, certe ipsa sua dignitate et efficacia, proindeque etiam ex institutione, commemorant mortem Christi iam peractam eiusque meritum iam completum et perpetuo permanens, cum a Christo sacramentorum sanctitas et efficacia derive-

(1) Haec aptissima videtur explicatio definitionis propositae ab Hugone Victorino: « sacramentum est materiale elementum foris sensibiliter propositum, *ex similitudine repraesentans, ex institutione significans, et ex sanctificatione continens aliquam invisibilem et spiritalem gratiam.* » De Sacram. l. I. P. IX. c. 2. T. III. fol. 253. Quamvis Hugo ipse eam sensu paulo alio intellexit. Cf. s. Bonavent. 4. dist. 1. a. 1. q. 2. ad 5.

UNIVERSIDAD DE NUEVO LEON
Biblioteca Valverde y Tellez

tur; postremo per ipsam collationem vitae gratiae et per significationem Christi salvatoris praesignant tamquam pignora vitam beatam et gloriam, quae est vitae gratiae finis ac consummata perfectio. Signa *demonstrativa, commemorativa, prognostica.* (Vide s. Thom. 3. q. 60. a. 3; in 4. dist. 1. q. 1. a. 1. sol. 1. ad 4; cf. s. Bonavent. in 4. dist. 1. a. 1. q. 2. ad 4.) Triplicem hanc significationem in baptismo docet Apostolus (Rom. VI. 3–5). « Consepulti sumus cum illo per baptismum *in mortem (veteris hominis)*... Si enim complantati facti sumus *similitudini mortis eius*, simul et *resurrectionis erimus.* » De Eucharistia res clara est: recolitur *memoria passionis eius*, mens *impletur gratia*, et *futurae gloriae nobis pignus* datur (Io. VI. 50–59; 1. Cor. XI. 24–26.). De reliquis colligitur similis significandi modus secundum fundamenta proposita ex ipsa sacramentorum N. T. propria ratione.

Sacramenta itaque novi testamenti *significant et efficiunt vitam gratiae praesentem;* atque inde *significant merita Christi*, qui nobis iam factus est salvator; per hanc autem utramque significationem referuntur tamquam *pignora ad praesignandam vitam gloriae adhuc futuram.* Sacramenta vero veteris testamenti *significabant et efficiebant emundationem et iustitiam legalem ac typicam;* et per hanc significationem referebantur tamquam *reales Dei promissiones ad praesignandum salvatorem et vitam gratiae per ipsum in futuro novo testamento.* In sacramentis ergo veteribus merita Christi et vita gratiae praesignantur *ut futura*, in sacramentis N. T. ut iam *completa et actu exhibita* praesignant *vitam gloriae adhuc futuram.* « Si discernimus duo testamenta vetus et novum, non sunt eadem sacramenta nec eadem promissa... Sacramenta non eadem, quia alia sunt *sacramenta dantia salutem*, alia *promittentia salvatorem.* Sacramenta N. T. *dant salutem*, sacramenta V. T. *promiserunt salvatorem.* Cum ergo iam teneas promissa, quid quaeris promittentia, habens iam salvatorem? Hoc dico, teneas promissa; *non quod iam acceperimus vitam aeternam*, sed quia iam venerit Christus, qui per prophetas praenuntiabatur. Mutata sunt sacramenta, facta

sunt faciliora, pauciora, salubriora, feliciora. Promissa quare non eadem? Quia (in V. T.) promissa est terra Chanaan, terra copiosa, fructuosa, affluens lacte et melle... Sed quare ipsa primo promitti oportebat? Quia non primo quod spiritale est sed quod animale, postea, inquit, spiritale... Ad imaginem terreni pertinet vetus testamentum, ad imaginem coelestis novum testamentum. Sed Deus... utriusque testamenti se esse voluit auctorem, ut et terrena promitteret in vetere testamento (quae erant figura spiritualium bonorum novi testamenti), et coelestia in novo testamento » s. Aug. in Ps. 73. n. 2; contr. Faust. l. XIX. c. 13.

THESIS III.

De sacramenti legis naturae *et* circumcisionis *discrimine* quoad efficaciam *a sacramentis novi testamenti.*

« Quamvis non nisi temere negari posset, quod communis habet » theologorum doctrina, infantes tam in lege naturae, ut vocari solet, » quam in lege Mosaica ad remissionem peccati originalis et proinde » ad iustificationis gratiam perduci potuisse, et quamvis hanc gratiam » infantes Israelitici secundum legem Dei saltem ordinarie non nisi in » circumcisione tamquam signaculo fidei consequerentur; haud tamen » inde inferri potest, sive circumcisionem sive aliud quodvis veteris » legis sacramentum valuisse eo modo, quo sacramenta N. T. ad gra» tiam propria sua efficacia conferendam. »

Duae sunt quaestiones, de quibus agimus in hac thesi; prior quidem, utrum ante institutionem baptismi fuerit aliquod remedium ordinarium a Deo institutum ad remissionem peccati originalis in infantibus; altera quomodo illud se habuerit in comparatione cum sacramentis N. T. Ad quaestionem priorem posset a nobis hoc loco fere supponi responsio affirmans sine disputatione; altera autem quaestio praecipua est, et maxime pertinens ad pleniorem intelligentiam discriminis inter sacramenta utriusque testamenti. Nihilominus quia, quod in prima parte dicimus, est fundamentum et hypothesis necessaria pro parte altera, etiam illud vindicandum est.

I. Quod in oeconomia ordinis reparati et in amplitudine voluntatis Dei salvificae, ut in verbo Dei manifestata est, fundamentum habet; quod ubi primum controversiae

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ratio id exigebat, a gravissimis Patribus explicite declaratum est; quod theologi scholae omnes communi consensu ex multis iam saeculis docuerunt: id profecto temere in dubium vocaretur. Atqui hisce argumentis omnibus confirmatur, infantibus tam in lege naturae, ut dici solet (1), quam in lege Mosaica paratam fuisse viam ad remissionem peccati originalis et ad gratiam iustificationis consequendam. Constat ergo argumentis theologicis de hac veritate, ut absque temeritate aliqua in dubium vocari nequeat.

Sane 1°. ordo reparatus, qui incepit cum promissione reparatoris continuo post lapsum (Gen. III. 15.), ex parte Dei erat *universalis* pertinens ad omnes homines. Sicut enim nondum supposito peccato et lapsu humani generis erat voluntas Dei, ut omnes homines salvi fierent, dummodo ipsi etiam cooperarentur gratiae acceptae; ita universalis haec voluntas salvifica perseveravit etiam supposito lapsu generis humani, quae iam est simul universalis voluntas reparationis, ut omnes homines reparentur et sanentur a peccato; hinc voluntas et decretum divinum constituendi secundum Adamum ut caput totius generis humani, hominem ex hominibus, reparatorem hominum lapsorum in primo Adamo, in quo reparatore omnibus hominibus ex parte Dei praesto esset remedium peccati, modo humanae naturae et humanae societati accommodato, per coniunctionem cum eius meritis et per insertionem in ipsum tamquam in caput generis reparati. Ex hoc ipso apparet, iam in promisso reparatore et secundo Adamo institutum esse *populum Dei reparatum*, et institutam Ecclesiam Dei, sicut in primo Adamo continebatur genus humanum lapsum; unde primus Adam dicitur ab Apostolo forma ac typus Adami secundi (Rom. V. 14.). Discrimen autem est, quod in natura lapsa constituuntur per generationem, qua fiunt filii Adam; in populum autem Dei, qui est societas supernaturalis, homines iam constituti in societate naturali transferendi sunt non sine actibus supernaturalibus vel propriis, si eorum sunt capaces, vel ipsius Ecclesiae.

(1) Quo sensu dicatur *lex naturae*, disces a Suarezio de Legibus l. I. c. 3. n. 11. 12; l. IX. c. 6. n. 21.

Hisce positis ex eo ipso, quod voluntas divina reparationis est universalis inde a prima promissione reparatoris, consequitur, omni tempore ex parte Dei omnibus hominibus parata fuisse remedia sufficientia, ut a peccato liberarentur: atque adeo adultis intuitu meritorum adhuc futurorum reparatoris paratas fuisse gratias sufficientes saltem internas, ut propriis supernaturalibus actibus fidei, spei et charitatis ad iustificationem possent pervenire; infantibus autem paratum remedium, ut actibus aliorum populo Dei inseri et ita tamquam membra Ecclesiae intuitu meritorum capitis ac reparatoris futuri iustificari possent.

Enim vero cum illa universali voluntate reparationis et salutis omnium hominum, ut de ea ex verbo Dei constat, conciliari non potest, quod a Deo ipso negata sit hominibus omnis facultas aggregationis ad Ecclesiam et coetum fidelium, quamdiu usu rationis non pollerent; defectus enim usus rationis ex rei natura non obstat insertioni in Ecclesiam ac in populum Dei. Si autem conceditur, potuisse infantes per actus alienos coetui fidelium et populo Dei tamquam membra inseri, iam etiam sequitur, eos purgationis a peccato et iustificationis participes reddi potuisse intuitu meritorum futurorum reparatoris; cum ex una parte haec merita ad populum Dei sanctificandum pertinerent, et ex parte altera in illis infantibus nullus esset obex ad iustificationem.

Dixi, non posse conciliari cum voluntate universali salvifica, ut revelata est in verbo Dei, negationem ex parte Dei omnis possibilitatis aggregationis ad populum Dei et possibilitatis salutis. Nam voluntas illa misericors refertur ad omnes, quorum ipse unus Deus est Deus ac creator, et quorum caput per naturam assumptam vel assumendam est Christus, ut Paulus manifesto docet (1. Tim. II. 4. 5.), de qua re amplissime egimus in Tract. de Deo. Ergo ea salvifica universalis voluntas refertur et omni tempore referebatur etiam ad statum hominum in infantia. Non autem pro illo statu intelligeretur voluntas salvifica, nisi ex parte Dei paratum semper fuisset remedium, quo sine sua cooperatione (utpote quae est impossibilis) per cooperationem

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

aliorum hominum ad insertionem in populum Dei, et ita per merita Christi futura ad iustificationem ac salutem perduci potuissent.

Dicendum est igitur, in revelatione voluntatis universalis salvificae *implicite* contineri hanc alteram veritatem, fuisse scilicet in quavis oeconomia, inde a promissione reparatoris facta primis parentibus, paratum infantibus remedium aliquod, quo per cooperationem aliorum hominum Ecclesiae fidelium aggregari, et in ea per futura promissi redemptoris merita gratiam iustificationis consequi possent. Hoc autem satis est, ut sensus ac intelligentia revelationis explicari amplius, et a Doctoribus catholicis ex analogia fidei inde a quinto saltem saeculo, ubi opportunitas vel necessitas sese obtulit, haec veritas deduci potuerit, quamvis ea *explicite* ac *diserte* in Scripturis et vetustioribus traditionis monumentis non reperiretur.

Posset tamen contra valorem huius deductionis ex universalitate voluntatis salvificae aliqua fieri exceptio. Ex ea enim voluntate salvifica, quae antecedens est et conditionata, non sequitur institutio alicuius remedii pro parvulis, qui moriuntur in utero matris; non ergo magis ex illa inferri posse videtur talis institutio pro aliis in lucem iam editis. Respondeo: *a*) pro statu parvulorum in utero existentium Deus ex illa universali voluntate salvifica providit modo tali statui accommodato, ut scilicet naturali ac supernaturali cura et cooperatione parentum aliorumque per congrua merita et pias impetrationes conserventur et in lucem edantur, non autem illi statui congruit alia remedii applicatio. Nam *b*) longe dispar est conditio infantium in utroque illo statu: in lucem iam editi sunt membra adaequate distincta societatis humanae, atque ita tamquam membra etiam Ecclesiae visibili et populo Dei per fidei professionem eorum nomine factam vel per alias consecrationes externas et visibiles aggregari possunt; quamdiu latent in utero, censentur velut unum cum matre, suntque adhuc velut in via ad statum completum in humana societate, nec alia eis per sese congruit providentia, quam ut perducantur per nativitatem ad statum completum membrorum societatis humanae. *c*) Hoc sensu explicato ex comparatione scilicet status valde diversi infantium in utero latentium et iam in lucem editorum, non vero praecise ex comparatione minoris vel maioris numeri morientium in statu alterutro intelligimus responsionem Cardinalis de Lugo, quando difficultatem ita solvit (disp. III. sect. 2. n. 26.): « licet pro iis, qui extraordinarie moriuntur in utero, sufficiat providentia extraordinaria (per inspirationes et adiutoria concessa parentibus); pro iis tamen, qui paene innumeri quotidie moriuntur in infantia, requirebatur remedium commune et ordinarium. » *d*) Imo si proprie loquamur, voluntas salvifica universalis exigit, ut simpliciter *omnibus infantibus* remedium ex parte Dei reparatoris praeparatum sit, quod constat saltem *proximum* non esse aliud quam *sacramentum* aliquod eis applicandum ad insertionem in populum Dei, siquidem etiam in novo testamento quod est amplioris gratiae, hoc et non alio modo eis *proxime* provisum esse novimus. Quodsi vero applicatio sacramenti ex causis secundis ad alios fines sapienter ordinatis impediatur, hoc impedimentum non est ex directa voluntate sed *ex permissione* Dei, atque ideo *antecedentem ac conditionatam* voluntatem salutis eorumdem infantium non excludit (vide tract. de Deo th. LIII.). Sive autem impedimenta huiusmodi occurrant pro infantibus in lucem iam editis, sive pro latentibus adhuc in utero materno, perinde est (1). Contra vero si pro statu infantium nullum esset institutum remedium, erga eos *in sensu composito* cum statu infantili voluntas salvifica intelligi non posset. *e*) Postremo quamvis ex voluntate Dei salvifica per se spectata non sequeretur necessaria illatione institutio remedii pro statu infantium, illud saltem evidens est, voluntatem salvificam universalem praebere fundamentum theologicum ad inferendam institutionem remedii pro infantibus in lucem editis ita, ut illatio certa reddatur accedente auctoritate Patrum et universali consensione theologorum scholae.

(1) Ad baptismum quod spectat, quomodo is infantibus in utero materno conferri queat, vide Benedictum XIV. de synod. l. VII. c. 5; s. Alphonsum l. VI. n. 107. Cf. Suarez ad 3. P. q. 68. a. 11.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

2°. Porro cum primum controversia Pelagiana de propagatione peccati originalis opportunitatem et quandam necessitatem induxit huius eliquandae quaestionis, Augustinus qui in defendendo dogmate primas tenuit, non uno alterove loco sed constanter tamquam indubitatum assumpsit, tum circumcisionem in progenie Abrahae sacramentum fuisse, tum ante illam aliquod sacrum institutum extitisse, in quo infantes a peccato originis expiarentur et sanctificarentur. « Hoc (peccatum originis) in illo (infante) significabatur expiari circumcisione octavi diei, hoc est, sacramento mediatoris in carne venturi; quia per eandem fidem venturi in carne Christi et morituri pro nobis.... etiam iusti salvabantur antiqui.... Ex quo enim instituta est circumcisio in populo Dei, quod erat tunc signaculum iustitiae fidei, ita ad significationem purgationis valebat et in parvulis originalis veterisque peccati, sicut et baptismus ex illo valere coepit ad innovationem hominis, ex quo est institutus. Non quod ante circumcisionem iustitia fidei nulla erat... sed superioribus temporibus omni modo latuit sacramentum iustificationis ex fide; eadem tamen fides mediatoris salvos iustos faciebat antiquos, pusillos cum magnis; non vetus testamentum quod in servitutem generat, non lex quae non sic est data, quae possit vivificare, sed gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum » Aug. de nupt. et concupiscent. l. II. c. 11. n. 24. Alibi: « nec tamen credendum est, et ante datam circumcisionem famulos Dei, quandoquidem eis inerat mediatoris fides in carne venturi, nullo sacramento eius (ritu protendente futurum mediatorem et mediationem) opitulatos fuisse parvulis suis; quamvis, quid illud esset, aliqua necessaria causa Scriptura latere voluerit » (contra Iulian. l. V. c. 11. n. 45.). Vide etiam de Peccato orig. contr. Pelag. et Coelest. n. 36. 37; contr. Iul. l. III. n. 34. 35; l. VI. n. 19. (locus dubius); Op. imperfect. contr. Iul. l. I. c. 50; l. II. c. 73. 151; de Baptismo l. IV. n. 31; contra litt. Petiliani l. II. n. 162; Civ. Dei l. XVI. c. 27. Doctrinam eandem tradunt post Augustinum Patres alii, auctor ll. Hypognosticon; s. Gregorius M.; Isidorus; Beda; Bernardus; Hugo Victorinus; Rupertus;

auctor sermonum de operibus card. Christi (serm. de Circumcisione), quos citatos vide apud Vasquez in 3. P. T. II. disp. 165. c. 1; in 1. 2. T. II. disp. 184. c. 2; Suarez de Sacram. in genere disp. IV. sect. 1; disp. V. sect. 1; Lugo disp. V. sect. 1.

Doctores scholae quamvis non parum dissentiant de modo, quo infantibus sive in circumcisione sive ante huius sacramenti institutionem remissum fuerit peccatum et gratia collata, consentiunt tamen omnino omnes quoad rem ipsam de remissione peccati originalis in veteri illa oeconomia. « Affirmandum omnino est, ait Suarez (l. c. disp. IV.), in ea lege fuisse aliquod remedium ad infantium salutem a Deo institutum. Ita docent omnes theologi in 4. dist. 1. et 2. absque ulla controversia aut opinionum varietate, quod est signum, dogma hoc certum ac indubitatum apud illos fuisse. » Unde disp. X. sect. 1. repetit: « tam in lege naturae quam Moysis omnes infantes fuisse relictos sine remedio originalis peccati atque adeo omnes, qui mortui sunt ante usum rationis, damnatos fuisse, impium est sentire et contra communem Ecclesiae traditionem et sensum. » Similiter Vasquez post allatam Augustini et sequentium Patrum doctrinam ita prosequitur: « quae sane Patrum opinio usque adeo in schola iam diu inveteravit et invaluit, ut nullus omnino asserere audeat, parvulos eo tempore omni remedio suae salutis caruisse. Ducuntur autem ea ratione omnes, quam expressisse videtur Innocentius III. in cap. *Maiores* de baptism. et eius effectu » Vasquez disp. 165. c. 1. n. 7.

Ex hac modo commemorata epistola decretali dogmatica Pontificis (cap. *Maiores* de bapt. et eius effect. l. III. tit. 42. cap. 3.) non parum doctrina eadem confirmatur, quamvis non possit censeri ibi definita, cum Pontifex de ea solum indirecte et per comparationem cum effectu baptismi loquatur. Docet Innocentius adversus Catharos negantes necessitatem et effectum baptismi in infantibus, etiam in V. T. infantibus « originalem culpam remissam fuisse per circumcisionis mysterium, » et circumcisionem fuisse necessariam ex ordinatione divina, ne anima illa periret de populo Dei iuxta praeceptum Domini Gen. XVII. 14, quo textu etiam

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Augustinus aliique Patres in eandem rem non infrequenter usi sunt (1); ita in N. T. per baptismum et deleri peccatum originis et coelum aperiri, quod in V. T. adhuc erat occlusum. Reddit autem Pontifex rationem universalem, quae

(1) S. Augustinus et Patres alii ex versione graeca et vetere latina ita legebant hunc textum: « Masculus, qui non circumcidetur carnem praeputii sui *octavo die*, interibit anima illa de genere eius quia testamentum meum dissipavit. » Bellarminus De Sacram. l. II, c. 17, Vasquez in 1. 2. disp. 130. c. 2. aliique affirmant, Augustinum, addita illa particula *octavo die*, adactum fuisse, ut praeceptum et poenam intentatam intelligeret de parvulis, ut inde ulterius *interitum de populo suo* interpretaretur de aeterna damnatione, ac tandem *dissipationem testamenti* referret ad violationem pacti initi cum Adam, et ad peccatum contractum ab infante in Adam, in quo lapsa est universa natura humana. Cum autem particula illa *octavo die* addita a LXX genuina non sit, utpote quae nec in hebraeo textu nec in Vulgata legatur, totam hanc interpretationem fallaci niti supposito.

Mihi videtur particula addita nihil omnino mutare sensum textus; neque etiam Augustinus aliique Patres umquam indicarunt, suam interpretationem pendere ab illo inciso, et Innocentius III., licet illud non legeret, eodem tamen modo textum interpretatus est. Propterea etiam de interpretatione ipsa ab illis gravissimis Patribus in controversia cum haereticis Pelagianis, et a Pontifice Innocentio licet solum obiter et certe non per modum definientis adhibita, paulo aliter, quam commemoratis theologis visum est, loquendum esse puto, illumque sensum quem Patres his Scripturae verbis subesse indicarunt, spectata ratione typica ac symbolica veteris testamenti ac sacramenti, haud difficulter vindicari posse. Imprimis propositio: « qui non circumcidetur, interibit anima illa de genere eius, » est universalis, et ideo pertinet ad omnes tum adultos tum infantes ex familia et progenie Abraham, sive iam illa verba *octavo die* ponantur sive omittantur. Porro circumcisio signum erat, eos pro quibus erat praescripta, atque adeo etiam infantes indigere redemptore promisso ex semine Abraham; ac proinde eos esse in peccato, a quo liberandi erant per ipsum futurum redemptorem. Per ipsum autem hoc signum propheticum futuri redemptoris is, cui applicabatur, inserebatur populo Dei, cui applicabantur merita futuri redemptoris, atque ita circumcisio signum erat purgationis a peccato, a quo intuitu meritorum Christi aggregatus ad populum Dei (si nullus esset obex ut in infantibus) liberabatur. Ipsa ergo iam circumcisio praescripta etiam pro infantibus, sicut significabat indigentiam expiationis per futurum redemptorem, ita demonstrabat reatum universalem etiam infantium, et eadem sicut immediate significabat et efficiebat aggregationem ad populum Dei, ita mediate significabat expiationem a peccato per merita redemptoris. Ulterius poena statuta pro incircumcisis ex familia

demonstrat pro quavis oeconomia institutionem remedii contra peccatum infantium: « absit enim, ut universi parvuli pereant, quorum quotidie tanta multitudo moritur, quin misericors Deus, *qui neminem vult perire*, aliquod remedium procuraverit ad salutem. » Haec autem est ipsa illa ratio, in qua initio diximus contineri implicitum praesens doctrinae caput, et cui omnes Doctores inniti Vasquezius ait.

II. Supposita igitur veritate remedii et sacramenti alicuius contra originale peccatum pro infantibus instituti tum in lege naturae tum in lege Mosaica, ubi illud pro masculis erat determinatum sacramentum circumcisionis, sequitur quaestio altera non omnino liquida, quomodo *per* hoc sacramentum sive *in* hoc sacramento perficeretur expiatio et iustificatio parvulorum. Nam

1°. Scripturae diserte docent, « ex operibus legis non iustificari omnem carnem » (Rom. III. 20.). His autem *operibus legis* adnumeratur potissimum et primo loco circumcisio, quae erat velut fundamentum et introductio ad eas observationes, quae vocantur *opera legis*. Unde Apostolus

Abraham: « *delebitur anima eius de populo suo*, » sensu immediato significat quidem excisionem ex populo Dei sive per mortem temporalem sive simpliciter per separationem et eiectionem ex illo populo Dei peculiari; quia autem haec ipsa sive poena mortis sive separatio est symbolum separationis a numero filiorum Dei, illa verba mediate significant etiam mortem spiritualem peccati, in qua manet incircumcisus, et comminationem mortis aeternae. Postremo incisum ultimum: « *quia testamentum meum dissipavit*, » sensu immediato significat utique violationem pacti initi cum Abraham, quae violatio non quidem active *ab infantibus*, sed tamen passive *in infantibus* non circumcisis committebatur, et hoc sensu nectitur cum inciso antecedenti itidem secundum sensum immediatum intellecto: exscindetur de populo meo peculiari, quia dissipavit pactum initum cum Abraham, cuius observatione fit aggregatio ad populum istum. At si incisum antecedens sumitur sensu mediato, de excisione scilicet ex numero filiorum Dei, ita incisum sequens, enuntians huius excisionis causam, significabit dissipationem pacti in primo parente Adamo, quod pactum erat non cum aliquo populo peculiari sed cum universa natura humana. Ceterum Augustinus ipse facile admittit significationem, quod in parvulo dissipatur pactum initum cum Abraham; dummodo simul retineatur, poenam formaliter ut poenam a Deo etiam parvulis incircumcisis intentatam demonstrare in his reatum peccati originalis. Vid. de Civ. Dei l. XVI. c. 27.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

demonstraturus inefficaciam operum legis in Abraham velut in exemplari, tamquam compendium operum legis ponit circumcisionem, quae non ipsa efficiat iustificationem, sed data sit Abrahae tamquam signaculum iustitiae, quae ex fide est. « Si Abraham *ex operibus* iustificatus est, habet gloriam sed non apud Deum... Dicimus enim, quia reputata est Abrahae fides ad iustitiam. Quomodo ergo reputata est? *in circumcisione* an in praeputio? *Non in circumcisione*, sed in praeputio. Et *signum accepit circumcisionis signaculum iustitiae fidei, quae est in praeputio* » Rom. IV. 2. 9-11. (cf. ib. II. 28; III. 2.). Advertatur autem, doceri quidem ab Apostolo, quid circumcisio in Abraham non effecerit; scopum vero esse, ut in patriarcha tamquam in prototypo, et ex ipsa prima circumcisionis institutione ostendat, quid ipsa in se non valeat.

2°. Patres inde a Iustino et Irenaeo usque ad Pelagianas controversias uno velut ore, et deinceps etiam (saltem quando de hoc ritu V. T. non agunt polemice ex eo argumenta deducentes ad probationem peccati originalis) aeque diserte docent circumcisionem *fuisse signum tantum iustitiae; fuisse datam ad significandam iustitiam, quae per fidem obtinebatur; fuisse signum ad discernendos filios Israel a ceteris gentibus; ad figurandam magnam circumcisionem spiritualem in baptismo; at non fuisse datam ad iustificationem; non sanctificationis gratia; non in salutis praerogativam; nihil profuisse ad iustitiam*, hancque eius inefficaciam apparere aiunt tum ex ipsa institutione tum ex eo, quod caerimonia ad unum tantum sexum pertineret, cum ea, quae sunt salutis, praesto sint omnibus. Vide Patres citatos apud Bellarminum l. II. c. 15; Suarez disp. V. sect. 1; Vasquez in 1. 2. disp. 130. c. 2. n. 7; De Lugo disp. V. sect. 2.

Quod spectat ad *sacramentum legis naturae*, ut a multis scholasticis appellari solet, de eius inefficacia idem etiam a fortiori sentiendum esse, apparet ex analogia et ex habitu legis naturae ad legem scriptam tamquam imperfectioris ad perfectius (1).

(1) Loquimur in sententia probabiliori et communiori, quod tam ante institutam circumcisionem necessarium fuerit pro infantibus omnibus, quam post illam institutam necessarium manserit pro infantibus, qui non erant Israelitae, et pro feminis ipsis Israelitis signum aliquod visibile ad fidei applicationem, quod *sacramentum legis naturae* dicitur. Si verum esset, quod defendit Vasquez in 3. P. disp. 165. c. 3, solam fidem *internam* parentum vel aliorum suffecisse ad iustificationem illorum infantium per merita Christi venturi, iam de *sacramento legis naturae* nullus posset esse sermo. At vero necessarium fuisse actum aliquem religiosum externum, quamvis non determinatum in individuo, quo infantes consecrarentur, satis constat ex eo, quod aggregandi erant Ecclesiae visibili et populo Dei, in qua ipsa unione fides Ecclesiae, cuius membra fiebant, eis applicabatur, ut mox dicemus. Haec enim aggregatio ad populum Dei visibilem fieri sane debuit ab iis, sub quorum cura erant infantes, actu aliquo religioso visibili, qui licet non in individuo, tamen saltem in genere erat ex institutione Dei sanctificatoris et rationem induebat sacramenti. Vide Suarez disp. IV. sect. 2. 3; Lugo disp. III. sect. 2. n. 28. seqq.

Postremo doctrina Concilii Florentini et Tridentini praebet fundamentum firmum ad probandam inefficaciam omnium sacramentorum, quae ante sacramenta novi testamenti instituta fuerant, proinde etiam circumcisionis et sacramenti legis naturae. « *Novae legis* septem sunt sacramenta... quae multum a sacramentis differunt *antiquae legis*. Illa enim non causabant gratiam, sed eam solum per passionem Christi dandam esse figurabant: *haec vero nostra* et continent gratiam et ipsam digne suscipientibus conferunt » Conc. Florent. « Si quis dixerit, ea ipsa *novae legis* sacramenta a sacramentis *antiquae legis* non differre... A. S. » Conc. Trid. In utriusque Concilii sententia distribuitur totum tempus, in quo fuerint aliqua sacramenta, in duas tantummodo partes, in legem novam, et legem antiquam; in hac igitur oppositione, quae differt omnino ab oppositione alias frequentata inter *legem* et *gratiam*, nomine *legis antiquae* intelligitur non lex tantummodo Mosaica, sed tota vetus oeconomia ab Adam usque ad Christum. Praeterea scopus Conciliorum est, docere efficaciam sacramentorum novae legis prae omnibus sacramentis, quae erant ante haec nostra, et quae gratiam dandam in novo testamento praefigurabant. Inter haec autem aeque circumcisio, et, si quod erat, sacramentum legis naturae computari debet. Falluntur ergo sine dubio illi theologi qui putant, cir-

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

cumcisionem non comprehendi a Concilio inter sacramenta *antiquae legis*, quia hoc sacramentum non lege Mosaica, sed iam ante in oeconomia patriarchali erat institutum; nec possumus consentire Cardinali de Lugo, qui disp. III. sect. 2. n. 32. 55; disp. V. sect. 3. n. 53. seqq. circumcisionem quidem, non tamen sacramentum legis naturae in Concilio Florentino inter sacramenta antiquae legis comprehendi censet, ut suam opinionem de efficacia huius sacramenti ad conferendam gratiam tueatur. (Cf. Suarez disp. X. sect. 2.)

III. Ex una igitur parte docemur, infantes utique absque actu proprio et citra suum proprium *opus operantis* iustificatos fuisse in susceptione sacramenti, ex parte vero altera hoc sacramentum ipsum censendum est inter « infirma et egena elementa » (Gal. IV. 9.), ac nullius videtur fuisse valoris ad iustitiam conferendam, quam *ex fide* collatam tantum significabat, et in novo testamento per sacramenta alia efficaciora conferendam praefigurabat. Haec autem duo videntur inter se pugnantia. Nihilominus caput utrumque tam gravi auctoritate et tam certis argumentis stabilitur, ut neutrum possit existimari falsum, atque adeo utriusque conciliatione non autem alterutrius negatione, ut a nonnullis theologis factum est, veritas ac plenior intellectus quaeri debeat.

Populus Dei sub capite Christo primitus in hoc ordine reparationis constituebatur post lapsum ipsa divina promissione Christi redemptoris futuri. Quamvis igitur promissum *semen mulieris* (Gen. III. 15.), conterens plena a se ipso parta victoria caput serpentis, sit unum, Christus scilicet redemptor, « non quasi in multis, sed quasi in uno, » ut loquitur Apostolus (Gal. III. 16.), sub ipso tamen comprehendebatur universus populus Dei constituendus, velut corpus et velut membra sub capite. Unde intuitu plenae satisfactionis et meritorum reparatoris futuri gratia quidem, qua possibilis redderetur insertio in populum Dei, gratia inquam actualis inde ab origine diffundebatur in universum genus humanum; remissio autem peccatorum et gratia sanctificans propter eandem futuram satisfactionem et eadem futura merita salvatoris donabatur iis, qui actu

inserebantur in Christum reparatorem futurum, et ita constituti membra capitis Christi futuri subnumerabantur *semini mulieris* triumphatori, *semini Abraham*, in quo benedicendae omnes gentes. Iam haec insertio in Christum reparatorem quoad adultos fieri non potuit sine ipsorum actibus supernaturalibus, quorum radix et fundamentum erat *fides, spes*, complementum et perfectio *charitas* (1); *fides* inquam et *spes* tum explicita in verum Deum misericordem condonatorem et iustum remuneratorem, tum *saltem* implicita in ipsum Christum futurum. Quoad infantes insertio in populum Dei, atque adeo tamquam membrorum in Christum ut caput, fieri debuit actu religioso aliorum, sub quorum tutela erant infantes. Hic actus ex natura rei erat professio aliqua et susceptio verae fidei nomine infantis, et significatio voluntatis, ut computaretur in Dei populo fideli. Porro actus non potuit esse mere internus, sed requirebatur manifestatio etiam et signum externum, tum quia fiebat nomine alterius, tum maxime quia eo introductio continebatur in populum et Ecclesiam Dei visibilem. In ipso signo et actu externo nulla ex institutione Dei erat dignitas aut efficacia huiusmodi, ut propter illam et per illam Deus infanti infunderet gratiam sanctificantem ac remitteret peccatum, qualis est dignitas in sacramentis novi testamenti tamquam instrumentis Dei et Christi iam hominis facti ac summi sacerdotis, ut suo loco explicabitur; sed vetus illud signum immediate significabat tantummodo fidem Ecclesiae Dei in Christum venturum, et huius fidei susceptionem ab infante, et aggregationem ad populum fidelem sub Christo futuro reparatore, atque ita saltem mediate praefigurabat ipsum Christum redemptorem venturum eiusque redemptionem. Gratiam autem Deus intuitu meritorum Christi capitis et reparatoris infundebat infanti, quatenus hic licet per alios iam profitebatur fidem, et accensebatur populo Dei et Ecclesiae fidelium, ad quorum sanctificationem merita adhuc

(1) Intellige *actum* charitatis, quo plene velut apprehendebatur et applicabatur eis meritum Christi, propter quod eis donabatur *habitus* charitatis, qui iam est vel ipsa gratia sanctificans vel certe habitus a gratia sanctificante inseparabilis.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

futura Christi capitis Deus ex sua misericordi promissione acceptabat. *Aggregatio igitur infantis ad populum Dei fiebat signo visibili sacramentali; in hac aggregatione fides Ecclesiae applicabatur infanti ita, ut hic etiam coram Deo iam inter fideles reputaretur; haec fides dispositio erat sufficiens ex divinis promissis ad sanctificationem propter merita futura Christi impertiendam.* Ita intelligitur *Deus causa efficiens sanctificationis; meritum Christi ut obiectum fidei causa meritoria; fides Ecclesiae, velut translata in infantem susceptum inter membra populi fidelis, dispositio et quodammodo apprehensio meriti Christi sanctificantis;* denique *sacramentum illud non causa sanctificationis, sed causa instrumentalis aggregationis ad populum Dei, et signum tantummodo sanctificationis ac Christi sanctificatoris.* Unde etiam illorum infantium iustificatio non erat *ex opere* sed *ex fide,* non *ex lege* sed *ex promissione* iuxta Pauli doctrinam Rom. IV; Gal. III. 18, et verum est utrumque, tum scilicet illa vetera sacramenta in comparatione cum nostris fuisse inefficacia ad sanctificationem, tum *per mysterium* illorum sacramentorum, ut loquitur Innocentius III, et *per rem sacramenti* h. e. per rem significatam illis sacramentis, et *in* susceptione eorumdem sacramentorum peccatum fuisse remissum et sanctificationem collatam.

Magnum hoc discrimen inter vetera et nostra sacramenta constanter professus est et pluribus locis diserte declaravit Augustinus ipse, a quo maxime efficaciam circumcisionis ad delendum peccatum assertam, et sequentibus Patribus traditam esse putant multi theologi. Legatur quaeso locus ille ipse ex libro II. de nupt. et concupisc. superius citatus: circumcisione utpote sacramento, h. e. signo protendente mediatorem venturum *significabatur* peccatum expiari, quia *per eandem fidem venturi in carne Christi et morituri pro nobis etiam iusti salvabantur antiqui; illa valebat ad significationem purgationis peccati,* baptismus autem valet non iam solum ad significationem, sed *ad innovationem hominis.* Modo omnino simili ibidem loquitur de sacramento legis naturae. Pariter de peccato

orig. contra Pelag. et Coelest. n. 36: « Infantes, inquit, in veteri testamento liberabantur secundum gratiam Dei per D. N. Iesum Christum, quem profecto inter cetera vetera sacramenta etiam *ipsa praeputii circumcisio prophetavit....* Mutatis proinde sacramentis, posteaquam venit, qui eis *significabatur venturus,* non tamen mutato mediatoris auxilio, qui etiam prius quam venisset in carne, antiqua sua membra *liberabat suae incarnationis fide,* et nos.... convivificati sumus Christo, in quo circumcisi sumus circumcisione non manu facta, *quam figurabat circumcisio manu facta.* » Clarissime alibi circumcisionem a baptismo Christi differre docet, non secus ac baptismus Ioannis ab eo differt, et discrimen est inter agnum paschalem et corpus ac sanguinem Christi in sacramento Eucharistiae. Atqui baptismus Ioannis et sacramentum agni paschalis profecto inefficacia sua ab efficacia nostrorum sacramentorum differunt. « Circumcisio, ait, *praenuntiabat iustificationem nostram...* sed sicut *aliud est circumcisio Iudaeorum, aliud quod octava die baptizatorum nos celebramus,* et aliud est pascha quod adhuc illi de ove celebrant, aliud autem quod nos in corpore et sanguine Domini accipimus, *sic alius fuit baptismus Ioannis, alius est baptismus Christi.* » Contr. litt. Petil. lib. II. n. 79.

Si quando ergo Augustinus et Patres, qui illum sequuntur, docent, *per sacramentum circumcisionis, per magnum sacramentum mediatoris venturi, per mysterium circumcisionis* factam fuisse expiationem peccati in parvulis; id intelligi debet *de re sacramenti,* h. e. de re significata et praefigurata in illis sacramentis veteribus, de meritis scilicet et gratia Christi salvatoris. Non ergo verum est, quod non pauci scholastici opinabantur, Augustinum et alios illos Patres sacramento legis naturae et circumcisioni adscripsisse valorem expiatorium peccati; nec inter Augustinum et alia documenta ineluctabilia, quibus omnium sacramentorum veterum ac nominatim circumcisionis inefficacia docetur, pugna est et contradictio nisi apparens.

Ex dictis intelligitur iam ratio et veritas horum theorematum: 1°. quando in lege naturae constitutio externa

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

totius populi Dei minus erat aspectabilis, mutua membrorum connexio laxior, totus cultus externus minus determinatus; etiam ad susceptionem infantium inter membra huius populi fidelium, qui sub capite Christo adhuc futuro iam prima promissione reparatoris in paradiso institutus erat, sufficiebat ritus religiosus quivis per se aptus ad rationem signi. Nihil ergo mirum, quod in Scriptura et traditione sacramentum hoc legis naturae non reperiatur determinatum. At 2°. quando ex institutione Dei et foedere inito cum Abraham populus Dei *peculiaris* praeformabatur, et deinceps multiplicibus legibus ac ritibus ad cultum Dei externum pertinentibus constituebatur per ministerium Moysis, iam lege ordinaria posteri Abraham in populum Dei generatim spectatum iuxta promissionem Adamo factam, adoptari non poterant, nisi per adoptionem in populum *peculiarem* iuxta foedus Abrahamiticum et institutionem Mosaicam; atqui adoptio in hunc populum *peculiarem* pro masculis fieri non potuit nisi per circumcisionem; ergo pro his lege ordinaria circumcisio erat signum determinatum et sacramentum adoptionis in populum Dei, in ea proinde iuxta superius declarata infantes iustificabantur (1). Nihilominus 3°. tum pro aliis nationibus, tum pro feminis Israëliticis, pro quibus positiva lex divina nullum signum peculiare determinabat, ipsum sacramentum legis naturae porro perseverabat; nihil etiam videtur obstitisse, quominus ipsi pueri Israëlitici, si periculum mortis immineret ante diem octavum circumcisioni destinatum, vel alia ratione, ut in deserto (Ios. V. 2. 7.), circumcisio differenda esset, possent extra ordinem aggregari populo Dei per idem sacramentum legis naturae.

Totius huius doctrinae complexum habes apud s. Thomam 3. q. 70. a. 4.

(1) Est quidem haec doctrina frequens apud theologos, ceteris tamen clarius eam proposuisse videtur Maldonatus, si ipse est auctor Disputationum de sacramentis sub eius nomine editarum. « Circumcisio peccatum originale delebat, non quod vi sua daret gratiam, sed propterea quod peccatum originale remittebatur per professionem fidei Abrahae. Deus autem instituit, ut hanc professionem facerent filii Abrahae masculi non aliter quam per circumcisionem. Ideo per accidens remittebatur eis peccatum originale non aliter quam per circumcisionem » (intellige: in circumcisione).

CAPUT II.

DE MATERIA ET FORMA IN SACRAMENTIS NOVI TESTAMENTI.

THESIS IV.

Quatenus sacramenta vetera rebus tantum constitisse, sacramenta vero novi testamenti rebus tamquam materia et verbis tamquam forma confici dicenda sint.

« Si in sacramentis ratio velut physica signorum spectetur, sacramenta veteris testamenti merito dicuntur constitisse solum rebus quibusdam sive actionibus, comparate ad sacramenta N. T. minus expressae significationis; haec autem nostra omnia conficiuntur et constant duplici parte signi, una, quae est res vel actio minus determinatae significationis, altera vero, quae est vel proprie vel saltem virtualiter verbum determinans expressius significationem: unde aptissime dicuntur confici *rebus tamquam materia et verbis tamquam forma.* »

Quando agimus de partibus essentialibus, quibus constet *signum*, ac proinde etiam sacramentum, sunt enim sacramenta in genere signorum; consideratio potest institui sub duplici diversa ratione. Possumus 1°. spectare totum illud sensibile quod est signum, et dein formaliter significationem, per quam est signum; tum res sensibilis se habebit ad modum subiecti vel materiae, significatio ad modum formae. Sic in ipsis verbis et in sermone humano sonus vocabulorum est materiale, significatio originem habens ex institutione est formale, per quod verba non sunt solum sonus aliquis, sed signa idearum. Hoc modo si spectentur sacramenta, totus ritus sensibilis per se spectatus se habebit ad modum materiae, et erit subiectum significationis; significatio autem, quae est ex divina institutione, erit forma, per quam ritus sensibilis constituitur in ratione sacramenti, et quae concipitur inesse ritui tamquam subiecto (Cf. Suarez disp. II. sect. 1. ad finem; Lugo disp. II. sect. 2. n. 38. seqq.). At nunc non de hac compositione velut *metaphysica* sacramenti quaeritur, neque hoc sensu de materia ac forma sacramentorum in monumentis ecclesiasticis et apud theologos sermo est. Itaque potest 2°. spectari ipsum sensibile, quod est signum, atque adeo ipse ritus externus per se, et de illo quaeri, quibus partibus sen-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

totius populi Dei minus erat aspectabilis, mutua membrorum connexio laxior, totus cultus externus minus determinatus; etiam ad susceptionem infantium inter membra huius populi fidelium, qui sub capite Christo adhuc futuro iam prima promissione reparatoris in paradiso institutus erat, sufficiebat ritus religiosus quivis per se aptus ad rationem signi. Nihil ergo mirum, quod in Scriptura et traditione sacramentum hoc legis naturae non reperiatur determinatum. At 2°. quando ex institutione Dei et foedere inito cum Abraham populus Dei *peculiaris* praeformabatur, et deinceps multiplicibus legibus ac ritibus ad cultum Dei externum pertinentibus constituebatur per ministerium Moysis, iam lege ordinaria posteri Abraham in populum Dei generatim spectatum iuxta promissionem Adamo factam, adoptari non poterant, nisi per adoptionem in populum *peculiarem* iuxta foedus Abrahamiticum et institutionem Mosaicam; atqui adoptio in hunc populum *peculiarem* pro masculis fieri non potuit nisi per circumcisionem; ergo pro his lege ordinaria circumcisio erat signum determinatum et sacramentum adoptionis in populum Dei, in ea proinde iuxta superius declarata infantes iustificabantur (1). Nihilominus 3°. tum pro aliis nationibus, tum pro feminis Israëliticis, pro quibus positiva lex divina nullum signum peculiare determinabat, ipsum sacramentum legis naturae porro perseverabat; nihil etiam videtur obstitisse, quominus ipsi pueri Israëlitici, si periculum mortis immineret ante diem octavum circumcisioni destinatum, vel alia ratione, ut in deserto (Ios. V. 2. 7.), circumcisio differenda esset, possent extra ordinem aggregari populo Dei per idem sacramentum legis naturae.

Totius huius doctrinae complexum habes apud s. Thomam 3. q. 70. a. 4.

(1) Est quidem haec doctrina frequens apud theologos, ceteris tamen clarius eam proposuisse videtur Maldonatus, si ipse est auctor Disputationum de sacramentis sub eius nomine editarum. « Circumcisio peccatum originale delebat, non quod vi sua daret gratiam, sed propterea quod peccatum originale remittebatur per professionem fidei Abrahae. Deus autem instituit, ut hanc professionem facerent filii Abrahae masculi non aliter quam per circumcisionem. Ideo per accidens remittebatur eis peccatum originale non aliter quam per circumcisionem » (intellige: in circumcisione).

CAPUT II.

DE MATERIA ET FORMA IN SACRAMENTIS NOVI TESTAMENTI.

THESIS IV.

Quatenus sacramenta vetera rebus tantum constitisse, sacramenta vero novi testamenti rebus tamquam materia et verbis tamquam forma confici dicenda sint.

« Si in sacramentis ratio velut physica signorum spectetur, sacramenta veteris testamenti merito dicuntur constitisse solum rebus quibusdam sive actionibus, comparate ad sacramenta N. T. minus expressae significationis; haec autem nostra omnia conficiuntur et constant duplici parte signi, una, quae est res vel actio minus determinatae significationis, altera vero, quae est vel proprie vel saltem virtualiter verbum determinans expressius significationem: unde aptissime dicuntur confici *rebus tamquam materia et verbis tamquam forma.* »

Quando agimus de partibus essentialibus, quibus constet *signum*, ac proinde etiam sacramentum, sunt enim sacramenta in genere signorum; consideratio potest institui sub duplici diversa ratione. Possumus 1°. spectare totum illud sensibile quod est signum, et dein formaliter significationem, per quam est signum; tum res sensibilis se habebit ad modum subiecti vel materiae, significatio ad modum formae. Sic in ipsis verbis et in sermone humano sonus vocabulorum est materiale, significatio originem habens ex institutione est formale, per quod verba non sunt solum sonus aliquis, sed signa idearum. Hoc modo si spectentur sacramenta, totus ritus sensibilis per se spectatus se habebit ad modum materiae, et erit subiectum significationis; significatio autem, quae est ex divina institutione, erit forma, per quam ritus sensibilis constituitur in ratione sacramenti, et quae concipitur inesse ritui tamquam subiecto (Cf. Suarez disp. II. sect. 1. ad finem; Lugo disp. II. sect. 2. n. 38. seqq.). At nunc non de hac compositione velut *metaphysica* sacramenti quaeritur, neque hoc sensu de materia ac forma sacramentorum in monumentis ecclesiasticis et apud theologos sermo est. Itaque potest 2°. spectari ipsum sensibile, quod est signum, atque adeo ipse ritus externus per se, et de illo quaeri, quibus partibus sen-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

sibilibus constet. Hoc sensu solo de compositione velut *physica* sacramentorum ex *materia* et *forma* agunt theologi, et nostra thesis intelligitur.

I. Per se patet, non ex ipsa notione signi sacri aut speciatim signi sacramentalis esse necessarium, ut constet rebus et verbis; quamvis enim verba ad distinctiorem significationem efficiendam prae ceteris signis sint aptissima (1), possunt tamen etiam res absque verbis ad significandum assumi. Atque ita sacramenta veteris testamenti, ut circumcisio, esus agni paschalis, lustrationes et expiationes, initiatio sacerdotum, in solis rebus et actionibus quibusdam erant instituta; hoc vero ipso modus significandi, spectata solum propria ratione signi, minus erat expressus. Si quae verba usurpabantur, eorum usus vel humanae tantum erat institutionis, ut in esu agni paschalis (2), vel verba saltem non pertinebant essentialiter ad ipsam rationem signi, vel omnino non in sacramentis, sed in aliis caerimoniis ad cultum divinum spectantibus erant praescripta, ut benedictionum sacerdotalium formulae (Num. VI. 24.), et gratiarum actiones in oblatione primitiarum (Deut. XXVI. 3.), quas ad exemplum commemorat s. Thomas 3. q. 60. a. 6. ad 3. Praesertim minor illa claritas et determinatio intelligi debet de significatione typica relata ad futurum reparatorem, et ad eius novum testamentum. Congruebat enim talis minus determinata significatio toti illi oeconomiae adhuc imperfectae, ac fidei minus explicitae, ipsique rationi typorum, qui erant non iam plena et historica descriptio, sed adumbrationes quaedam futurorum.

Sacramenta autem novi testamenti utpote non amplius umbra, sed ipsa imago rerum (thes. II.) signis clarioribus constituuntur praesertim quoad significationem principem, quae non iam est futurorum sed sanctificationis praesentis. Unde omnia constant non solis *rebus* et actionibus symbolicis adumbrantibus, ut illa vetera, sed simul etiam *verbis* signi-

(1) « Verba prorsus inter homines obtinuerunt principatum significandi, quaecumque animo concipiuntur » s. Augustinus De doctr. christ. l. II. c. 3.

(2) Cf. Jahn Archaeologia Bibl. P. III. §. 73.

ficantibus et consecrantibus. Esse autem signa sacramentalia novi testamenti ita instituta in *rebus* et *verbis*, demonstratur inspectione ipsius ritus essentialis in singulis, ut partim in Scripturis ipsis exhibetur, partim ex apostolica traditione innotescit. Apostolica haec porro traditio, qui ritus ab Apostolis tamquam essentialis ad rationem signi sacramentalis commissus ac traditus sit Ecclesiae, manifestatur iis indiciis et characteribus, quibus universim traditionem apostolicam dignosci in tractatu speciali demonstravimus. Consensus scilicet in doctrina et usus constans omnium Ecclesiarum cum unitatis centro ac radice cohaerentium, ut sive praesentis temporis universalis consensus theoreticus et practicus sese exhibet, sive antiquitatis monumentis, et quoad hanc rem monumentis praesertim liturgicis continetur, sive solemni etiam iudicio declaratus est, demonstratio est certa traditionis apostolicae. Ritus ergo, qui hac universali et constanti consensione tamquam necessarius ad valorem sacramenti observatur et creditur, sine dubio ut essentialis a Christo Apostolis, ab Apostolis Ecclesiae consignatus est. Iam vero quamvis propter obscuritatem consensus in usu et doctrina et propter defectum expressae definitionis de nonnullis partibus rituum sacramentalium dubium esse possit, utrum sint essentiales ad valorem, ut paulo post videbimus; constat tamen universali usu et doctrina de partibus certo essentialibus ita, ut omnia sacramenta novi testamenti confici intelligantur *rebus* et *verbis*, quae proprie vel saltem virtualiter et aequipollenter *verba* sint. In quinque quidem sacramentis pars haec utraque est prorsus manifesta, in sacramento vero poenitentiae et matrimonii non de veritate ipsa partis utriusque, sed potius de modo, quo in iis *res ac verba* se habeant, potest esse aliqua dubitatio. Unde in Concilio Florentino (Instruct. pro Armenis) enumeratis septem novae legis sacramentis declaratur: « *haec omnia sacramenta* tribus perficiuntur, videlicet *rebus tamquam materia, verbis tamquam forma*, et persona ministri conferentis sacramentum cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, *quorum si aliquid desit, non perficitur sacramentum.* »

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Congruam rationem huius compositionis signorum sacramentalium novi testamenti triplicem affert s. Thomas 3. q. 60. a. 6: unam ex parte Verbi incarnati, a quo sacramenta promanant, et ad cuius aliquam similitudinem conformantur; alteram ex parte hominis sanctificandi; tertiam ex parte significationis perfectioris, quae respondeat perfectioni novi testamenti. Sicut enim Verbum aeternum subsistens carnem assumpsit, et naturam humanam sensibilem per unionem hypostaticam elevat et sanctificat, ut unus sit Christus; ita in sacramentis verbum institutum a Verbo aeterno sanctificat elementum sensibile, ut sit unum sacramentum Christi Verbi incarnati. Fatendum tamen est, hanc cum Verbo incarnato analogiam multo perfectius reperiri in sacramentis, si consideretur totum signum sensibile ex una parte, et ex parte altera supernaturalis virtus ad sanctificationem hominum, secundum quam virtutem sacramenta dicuntur *gratiam continere*. Homo deinde sanctificandus si spectetur, compositus anima et corpore; verbum in sacramentis magis ad animam, res magis ad corpus analogiam praesefert, ut verbum velut anima elementum informet, et unum ex utroque sacramentum consecret hominem secundum animam et corpus sanctificandum et glorificandum cum Christo. De ratione tertia, quae magis propria petitur ex perfectione significationis, satis paulo superius diximus.

II. Superest, ut dicamus de modo loquendi, quo res et verba appellantur *materia et forma*, ac de habitudine inter partem utramque illis denominationibus indicata.

1. Quamvis appellatio *materiae et formae* in sacramentis, hac partium significatione, non sit antiquior saeculo XIII (1); Patres enim, si quando de *forma* sacramentorum

(1) Primus qui hoc explicandi modo usus sit, solet citari Guillelmus Altisiodorensis circa annum 1215, si tamen ipse auctor est Summae, quae eius nomine inscribitur. Libro IV. fol. 283. col. 4. de extrema unctione agens ita loquitur: « Dicimus, quod sicut de essentia baptismi dicuntur esse tria, scilicet *materia* et *forma verborum* et intentio baptizandi, similiter de essentia Eucharistiae dicuntur esse tria, scilicet ordo sacerdotalis et *forma verborum* et *materia*, scilicet panis et vinum; eodem modo de essentia huius sacramenti (extremae unctionis) dicuntur esse tria, scilicet ordo sacerdotalis et oratio fidei et *materia*, scilicet

loquuntur, eo nomine intelligunt totum ritum administrationis (vide de Lugo disp. II. sect. 2. n. 35. 36.); eum tamen dicendi modum improbare fas non est. Nam est in primis a pluribus iam saeculis communis omnibus theologis, imo etiam usurpatus et probatus in solemnibus actis Conciliorum Constantiensis (in Constit. Martini V. contr. errores Wicleffi et Husii) (1), Florentini (Instr. pro Arm.), Tridentini (sess. 14. cap. 2. 3.); tum vero essentiam sacramentorum et relationem mutuam inter res ac verba declarat distinctius, quam formula altera, qua sacramenta confici dicuntur *rebus et verbis*.

Quoad relationem inter materiam et formam non tantum in compositione substantiali, ut e. g. natura humana constat corpore et anima, sed suo modo etiam in compositis ex forma accidentali, ut est e. g. forma statuae in marmore, sequentia in considerationem veniunt. *a*) Ex concursu et unione materiae et formae constituitur unum aliquod integrum distinctum ab utraque. *b*) *Materia* per se est aliquid imperfectum et indifferens ad multas formas; *forma* est perficiens et determinans ad certam perfectionem. *c*) *Materia* ut perficiendum supponitur, *forma* ut perficiens accedit, et velut elevans materiam ad *esse* nobilius absolvit totum compositum. Iam ad hanc analogiam nominibus *materiae ac formae* in sacramentis novi testamenti designatur habitus inter *res* et *verba*. Res igitur e. g. aqua ut materia remota, ablutio per aquam ut *materia proxima*, et verba e. g. « ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti » ut *forma*, suo concursu et unione designantur constituere unum sacramentum *baptismum*, qui nec est sola ablutio nec pronuntiatio sacrorum verborum,

oleum consecratum ab Episcopo; non est autem ipsa oratio ipsa unctio vel pars eius, sed hoc modo dicitur esse de essentia, quia per ipsam habet unctio, quod sit sacramentum, h. e. quod similitudinem eius gerat, quod figurat. »

(1) Inter interrogationes proponendas suspectis de haeresi haec est: « utrum credat, quod malus sacerdos cum debita *materia et forma* et cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, vere conficiat, vere absolvat, vere baptizet, et vere conferat alia sacramenta? »

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

sed signum sacramentale exsurgens ex utriusque unione. Modus autem, quo id fiat, iisdem nominibus indicatur. Res e. g. aqua et ablutio per aquam in ratione significandi est aliquid imperfectum, indeterminatum et indifferens ad multas significationes, verba formae perficiunt et determinant illam actionem ad hanc significationem sacramentalem. Aqua et actio ablutionis supponitur ut perficiendum, forma verborum accedens perficit, consecrat et elevat ablutionem ad *esse* sacramentale, atque sacramentum a Christo institutum absolvit. Vides ergo brevissima formula, « sacramenta novi testamenti confici *materia* et *forma*, » propriam rationem velut *physicam* signorum sacramentalium praeclarissime expressam.

Totum hunc modum compositionis in signo sacramentali, licet non sub appellationibus materiae ac formae, habes descriptum apud s. Augustinum in celebri loco Tract. LXXX. in Ioan. n. 3. « Detrahe verbum, et quid est aqua nisi aqua? *accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum,* etiam ipsum tamquam visibile verbum... Unde ista tanta virtus aquae, ut corpus tangat et cor abluat, nisi faciente verbo? »

Animadvertendum tamen, id quod in omni comparatione et similitudine observari debet, ne analogia cum materia et forma in compositionibus physicis, ultra suum scopum urgeatur. In illis ex materia et forma constituitur compositum physice unum, adeoque physica unio materiae et formae requiritur; in sacramentis vero ex *materia* significante minus expresse, et ex *forma* magis determinante tantummodo exsurgit *una significatio*, atque ideo *unitas signi;* ad hoc autem sufficit materiae ac formae coniunctio moralis, h. e. eiusmodi, ut secundum aestimationem hominum, quorum gratia utique signum sensibile est institutum, pars utraque concurrat ad unam significationem. Ceterum qualis debeat esse coniunctio et simultanea positio materiae et formae ad hanc unitatem signi efficiendam, in singulis sacramentis ex institutione Christi et ex propria singulorum ratione colligendum est; non eadem enim coniunctio utriusque requiritur e. g. in sacramento poenitentiae, quod est iudi-

cialis absolutio poenitentis sese ut reum subiicientis clavibus Ecclesiae, et in baptismo, « qui est lavacrum aquae in verbo vitae » (Eph. V. 26.).

2. Reliqua est difficultas paucis declaranda, quam superius memoravimus de *materia* et *forma* in sacramento poenitentiae et matrimonii.

Aliquam materiam una cum forma (1) etiam in sacramento poenitentiae admittendam esse, probatur tum ex doctrina generali Conc. Florentini, ubi dicuntur « omnia sacramenta novae legis perfici rebus tamquam materia et verbis tamquam forma, » tum doctrina speciali.

Nam 1°. docet Conc. Trid. sess. XIV. c. 2, sacramentum poenitentiae a baptismo inter cetera differre « *materia et forma,* quibus sacramenti essentia perficitur. »

2°. Tum Florentinum tum Tridentinum tum alia omnia documenta ecclesiastica ex pluribus iam saeculis verba absolutionis dicunt esse *formam* huius sacramenti non sensu illo veteri, quo forma dicebatur totus ritus, sed sensu inde a saeculo XIII communi, quo *forma* tamquam essentialis pars ritus sacramentalis connotat et supponit *materiam* ut partem alteram, ex cuius utriusque compositione constituitur signum sacramentale. Praeterea Florentinum et Tridentinum (sess. XIV. cap. 3. can. 4.) declarant, actus poenitentis esse « quasi materiam sacramenti poenitentiae. » Per particulam « *quasi* materiam » non negari, vere hos actus velut partem pertinere intrinsecus ad sacramentum constituendum, demonstratur ex relatione, in qua ponuntur a Conciliis actus *quasi materia* cum *forma;* ex connexione huius doctrinae cum principio generali in Florentino, « omnia sacramenta novae legis constare *materia* et *forma;* » et postremo ex illatione necessaria. Actus enim poenitentis vel sunt solum dispositiones necessariae, ut quondam Scotus opinari videbatur (in 4. dist. 16. q. 1.), vel sunt pars sa-

(1) Loquimur de materia et forma, quae sit duplex pars sensibilis constituens signum sacramentale, ut semper intelligitur, quando de materia et forma in sacramentis sermo est, non autem de compositione illa *metaphysica* ex signo integro sensibili tanquam materia et ex significatione tamquam forma, de qua superius diximus.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

cramenti constituens ad modum materiae. Atqui non sunt solum dispositiones; dicuntur enim in Conciliis esse aliquid ipsius sacramenti *(quasi materia sacramenti poenitentiae)*, dispositiones autem non sunt aliquid ipsius sacramenti. Ergo sunt pars constituens sacramenti ad modum materiae; quidquid enim est pars ipsius sacramenti, revocatur vel ad partem minus determinatam et determinandam in ratione signi vel ad partem determinantem; illud est materia, hoc forma. Particula itaque « *quasi* materia » solum declarat, in hoc sacramento materiam non eodem modo se habere ut in aliis. « Neque vero hi actus, dicitur in catechismo Conc. Tridentini, *quasi materia* a s. synodo appellantur, quia verae materiae rationem non habeant, sed quia eius generis materia non sint, quae extrinsecus adhibeatur, ut aqua in baptismo et chrisma in Confirmatione » (De sacram. Poenit. n. 17.). Quae quidem catechismi verba desumpta sunt ex Dominico Soto in 4. dist. 14. q. 1.

Explicatio haec congruit doctrinae s. Thomae. Ad obiectionem, non videri Poenitentiam esse sacramentum, quia in sacramentis iuxta doctrinam s. Gregorii adhibentur aliquae res corporales, sub quibus divina virtus operatur salutem, cuiusmodi res corporalis in Poenitentia nulla est; respondet s. Doctor: « Nomine rerum corporalium intelliguntur large etiam ipsi exteriores actus sensibiles, qui ita se habent in hoc sacramento, sicut aqua in baptismo vel chrisma in Confirmatione... In sacramento poenitentiae, sicut dictum est, sunt actus humani pro materia, qui proveniunt ex inspiratione interna; unde materia non adhibetur a ministro, sed a Deo interius operante; sed *complementum sacramenti* exhibet minister, dum poenitentem absolvit. » S. Th. 3. q. 84. a. 1. ad 1. et 2. cf. q. 90. aa. 1. et 2. Ex his simul responsum est iis, qui opponunt, in hac sententia non solum sacerdotem sed simul poenitentem fore ministrum sacramenti. In sacramentis nempe, quae exigunt materiam praeiacentem (si ita loqui fas est), ut in Eucharistia et Poenitentia, solus minister is est, qui coniungit formam materiae, sicque hanc reddit materiam *sacramentalem in actu secundo*, et conficit sacramentum.

Insuper 3°. auctoritas theologorum, praesertim qui scripserunt post Conc. Florentinum et Tridentinum, eandem doctrinam persuadet. Legi possunt beatus Petrus Canisius de Poenit. c. 3; Valentia T. IV. disp. 7. q. 1. §. « sed hoc argumentum etc. »; Bellarminus de Poenit. l. I. c. 17; Suarez de Poenit. disp. 18. sect. 2; Vasquez in 3. q. 84. dub. 2; Lugo de Poenit. disp. 12. sect. 2; Canus Relect. de Poenit. P. V. fundam. 5; licet is hanc Relectionem habuerit (anno 1547.) et typis ediderit (anno 1550.) ante celebratam sessionem XIV. Tridentini (anno 1551.). Cum his consentiant reliqui theologi innumerabiles. Scotistae quidem diverso modo loquuntur; inter eos ipsos tamen cum aliis Vega theologus, qui interfuit Conc. Tridentino, fatetur, doctrinam s. Thomae « magis consonam apparere Conciliorum Flor. et Trid. definitionibus; » et ex horum Conciliorum decretis « cum materia vel quasi materia sacramenti debeat pars ipsius censeri, videtur profecto necessarium esse, inquit, concedere, ex his partibus constare hoc sacramentum. » Vega defens. Concil. Trid. l. XIII. c. 15.

Ratio denique 4°. continetur in Christi institutione. Dum enim Christus (Io. XX. 23.) instituit potestatem in ministris non simpliciter absolvendi peccata, sed *absolvendi* et *retinendi per modum iudicii*, eo ipso instituit tamquam partem huius sacramentalis iudicii submissionem poenitentem culparum, quantum a peccatore moraliter fieri potest, et satisfactionem sub potestate iudicum absolventium ac retinentium, adeo ut sine hac poenitente submissione non solum absolutio effectum non consequatur, sed neque sit ad modum iudicii a Christo instituti, atque ideo neque sacramentum. Iam vero ex duplici hoc constitutivo iudicii sacramentalis poenitens submissio culparum sub potestate iudicis supponitur ut res determinanda et perficienda, verba absolutionis determinant et perficiunt signum efficax sacramentale; illa ergo se habet ad modum *materiae*, haec sunt *forma* sacramenti. Porro ubi sunt plures partes materiae, non necessario omnes sunt essentiales ad *esse* rei simpliciter, sed possunt aliquae esse solum *integrantes*. Ita in praesenti pars materialis integrans sacramenti est satisfa-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ctio, quae tamen utpote pars sacramentalis in sua morali unione cum forma, cum actu scilicet iudiciali absolutionis, vim etiam habet sacramentalem satisfaciendi ex opere operato.

Quomodo cum doctrina de materia sacramenti poenitentiae concilietur absolutio impertienda moribundo sensibus destituto, facile intelligitur, si haec tria advertantur. *a*) In sacramento instituto per modum iudicii, ad finem absolutionis a reatu, materia est essentialis, ut peccator poenitens (quantum moraliter potest) se subiiciat clavibus, h. e. poenitentem se sistat iudici, ut absolvatur. *b*) Ex eadem forma *iudicii* colligitur, non requiri ut actus poenitentiae manifestati, quibus se vult subiicere clavibus, *physice* coniungantur cum forma sacramenti, quae est absolutio; sed sufficit coniunctio moralis. *c*) Quamdiu peccator sui conscius est, si eum vere poeniteat, et ipse desideret se subiicere clavibus, moraliter fieri nequit in hac nostra natura composita, ut illud desiderium in nullum actum sensibilem prodeat, licet ab aliis forte non animadvertatur, vel quia praesentes non sunt, vel quia signa non valent distinguere. Ex his principiis consequitur, destitutum iam sensibus posse absolvi absolute, si constet eum postulasse confessionem, et posse absolvi sub conditione, etiamsi id non constet; quia sicut potest in eo praesumi poenitentia, ita pari omnino iure praesumitur poenitentia manifestata in ordine ad se subiiciendum clavibus, quando poenitens adhuc erat sui conscius. Unde apparet, doctrinam, quod actus poenitentis sunt materia sacramenti, nihil omnino obstare, quominus absolutio impertiri possit in omnibus casibus, in quibus id fieri posset, si materia et forma in sola absolutione sacerdotis constitueretur. Vide s. Alphonsum de Sacram. poenit. n. 481. seqq.

In sacramento matrimonii iuxta generale principium in Conc. Florentino enuntiatum distingui etiam duplicem partem signi, rem tamquam *materiam* et verba tamquam *formam*, consentiunt theologi contra Durandum; quid autem sit illud, quod habeat rationem materiae, aliqua est saltem in modo loquendi sententiarum diversitas. Ad dignitatem sacramenti elevatus est a Christo ipse legitimus contractus

matrimonialis eorum omnium, qui per susceptum baptismum sacramenti sunt capaces, quod alio in loco demonstratum hic supponimus. Totum ergo signum sacramentale est ipsemet secundum leges regni Christi i. e. Ecclesiae validus contractus, quo vir et mulier sibi invicem corpora tradunt ad perpetuam obligationem. Terminus significationis *generalioris*, qui significatur tantum et non efficitur, est coniunctio Christi capitis cum Ecclesia ut corpore suo mystico; hanc autem Christi cum Ecclesia unionem contractus ille debito modo repraesentat, quatenus ex institutione Christi significat *specialiter* et efficit sanctificationem ipsorum contrahentium per effusionem gratiae ex Christo capite in ipsos tamquam membra in corpore Christi (Eph. V.). Id ergo, quod in contractu ad hanc significationem est minus determinatum et determinandum per alterum, erit *materia;* hoc autem videtur esse traditio corporum per se spectata (cf. 1. Cor. VI. 16.). Vicissim id, quod hanc traditionem determinat ad rationem signi sacramentalis a Christo instituti, erit forma; hoc autem sunt verba sive proprie dicta sive aequipollentia, quibus traditio mutua tamquam obligatio matrimonialis perpetua declaratur et firmatur. Vide De Lugo de sacram. in genere disp. II. sect. 1. n. 29. Quamvis vero in contractu traditio mutua fiat verbis seu proprie seu aequipollenter dictis, est tamen aliud translatio dominii, et aliud sunt verba, quibus illa efficitur et declaratur; unde ex hac parte nihil obest, quominus distinguantur ut *materia* et *forma*.

Ab hac explicatione quoad rem ipsam parum differt altera, quae est multorum theologorum. In signis nimirum externis, quibus fit, vel quatenus illis fit mutua *corporum traditio* continetur inchoatio et primum essentiale elementum contractus matrimonialis; atque ita *traditio corporum* habetur ut *materia* h. e. ut pars nondum satis determinata et magis determinanda ad rationem plenam contractus. In signis vero externis, quae continent vel quatenus continent mutuam *acceptationem* traditionis corporum in matrimonium, absolvitur et plene constituitur contractus; atque ita haec mutua *acceptatio* est pars ultimo determinans ac complens,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

proindeque *forma* matrimonialis contractus, qui ipse est *sacramentum*.

THESIS V.

De materia et forma determinata ab ipso institutore sacramentorum.

« Cum sacramenta signa gratiae sint *ex institutione*, materia et forma » utpote partes essentiales, ex quibus ratio signi componitur, ab ipso » sacramentorum institutore determinatae sunt sin minus in infima sem- » per specie, saltem intra eam latitudinem, ut significatio ab institutore » intenta semper maneat integra. »

I. Ritus illi qui sunt sacramenta, per se spectati erant quidem ex aliqua similitudine apti, ut assumerentur tamquam signa sacra ad significandam nostram sanctificationem. Cum enim in sacramentis perducantur homines per sensibilia ad spiritualia, et, ut ait vulgatus Dionysius (Hierarch. Eccl. c. 1. n. 5.) « hierarchia nostra indigeat sensibilibus ad diviniorem nostri ex illis ad intelligibilia sublimationem; » pertinebat ad suavem providentiam et sapientiam institutoris sacramentorum, ut signa assumerentur, quae ex se aliquam analogiam praeseferrent ac imaginem rei significatae. At ex hac aptitudine ad significandum possunt tantum dici signa velut in *actu primo;* quod in *actu secundo* sint signa sanctificationis ex rei veritate et signa efficacia, et elementa fundamentalia Ecclesiae visibilis ritusque essentiales cultus divini, hoc rebus sensibilibus convenire non potest nisi ex *positiva institutione*. Sacramenta igitur neque sunt signa naturalia, h. e. quae ex ipsa natura rei sensibilis relationem habeant ad gratiam significandam; nec tamen sunt signa mere arbitraria ita, ut citra omnem similitudinem, quam ex se habeant, instituta sint ad aliud significandum; sed mediam tenent rationem, quia ex aliqua *analogia* sunt apta ad significandum, et *ex institutione* habent, ut reipsa sint signa et sacramenta. Hoc tantum sensu intelligi debet, quod ait s. Augustinus (ep. 98. n. 9. ad Bonifac.): « si sacramenta quamdam similitudinem earum rerum, quarum sacramenta sunt, non haberent, omnino sacramenta non essent »; hocque distinctius expressit Hugo Victorinus verbis

supra citatis: « sacramentum foris sensibiliter propositum ex *similitudine repraesentans, ex institutione significans.* »

Illud ergo totum sensibile, quod est signum sacramentale, determinatum est ad hanc rationem signi efficacis ab institutore sacramentorum; atqui illud totum in omnibus sacramentis novae legis constat essentialiter ex duplici parte, materia et forma, ita ut alterutra dempta iam signum non sit iuxta dicta in thesi antecedenti; ergo tum *materia* tum *forma* sunt determinatae ab ipso institutore sacramentorum.

Quoniam demonstrationem, ipsum Christum Dominum esse immediatum institutorem omnium sacramentorum novae legis in alium locum differimus; id enim post declaratum modum eorum efficaciae melius et plenius intelligetur: hoc loco praescindimus a quaestione de institutore sacramentorum. Etiamsi Christus hominibus, puta Apostolis, ut nonnulli veteres scholastici opinabantur, contulisset potestatem instituendi aliqua sacramenta proprie dicta, semper verum maneret quod in nostro argumento demonstratur, ubi solum generatim dicimus, determinationem *materiae* et *formae* esse ab institutore sacramentorum. Et quoniam purus homo saltem secundum praesentem oeconomiam redemptionis, non posset esse sacramenti institutor nisi ministerialiter, ut alibi dicemus, etiam in hac hypothesi sicut sacramenti institutio, ita determinatio *materiae* et *formae* esset et a Deo, et a Christo secundum humanitatem, et ab homine causa ministeriali, aliter tamen atque aliter. Merus enim homo potestate a Deo accepta posset signum determinare; Christus autem secundum humanitatem, ex cuius pretio sanguinis illud signum esset efficax, ad applicanda sua merita, et Deus ad conferendam gratiam per signum sic determinatum, voluntate consequente ad determinationem ab homine factam, illud ipsum signum ratum haberet et assumeret.

Tripliciter ergo concipi potest institutio: *a*) ita, ut Deus ipse auctor gratiae, nulla interveniente voluntate humana, determinet signum, cui vult adnectere significationem et efficaciam gratiae; *b*) ita, ut Christus homo voluntate humana determinet signum, cui ad significationem et efficaciam gratiae vult adnectere dignitatem ex suis infinitis me-

ritis, quod voluntas divina consequenter ad illam determinationem voluntatis humanae ratum habeat; *c*) ita, ut merus homo potestate a Deo accepta signum determinet, quod consequenter ad hanc hominis determinationem voluntas humana Christi, et consequenter ad utramque determinationem hominis ministri et Christi causae meritoriae, voluntas divina ratum habeat et actu assumat in signum efficax gratiae. In prima hypothesi signum ac proinde essentiales eius partes, *materia* et *forma*, determinarentur *sola* voluntate Dei institutoris principis sacramentorum; in altera hypothesi determinantur voluntate humana Christi per potestatem *excellentiae* institutoris sacramentorum, et divina voluntate *consequente;* in tertia hypothesi determinarentur voluntate meri hominis, qui esset institutor ministerialis, et voluntate *consequente* tum humana Christi tum divina. Semper ergo *materia* et *forma* sacramentorum, si ex his signum sacramentale essentialiter coalescit, determinatae intelligi debent speciali modo ab institutore sacramentorum, sive institutio facta sit per solam voluntatem divinam, sive per voluntatem humanam Christi dependenter a voluntate divina, sive per voluntatem ministerialem meri hominis dependenter a voluntate utraque tum humana Christi redemptoris tum divina.

II. Nihilominus facile intelligitur, tum materiam tum formam potuisse determinari strictius vel latius, ut intra aliquam latitudinem posset esse variatio, quin desineret ratio signi sacramentalis, prout primitus institutum est. Modus autem determinationis pendens a libera voluntate institutoris, qualis sit in singulis sacramentis, cognosci non potest nisi ex cognita hac ipsa institutoris voluntate. Haec autem innotescit ex Scripturis, ex doctrina et declaratione ac maxime ex universali et constanti usu Ecclesiae, quae in intelligendo vero sensu revelationis ac institutorum divinorum, et in universali usu et administratione mysteriorum sub directione Spiritus Sancti errare non sinitur; ad hunc enim finem Christus summus sacerdos et caput Ecclesiae Spiritum veritatis ei promisit manentem in aeternum, et se ipsum pollicitus est cum docentibus omnes gentes et adminis-

strantibus sacramenta futurum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi (Io. XIV. 16. 17; Matth. XXVIII. 20.).

Ex his autem documentis 1°. constat, quid *certo sufficiat*, ut materia et forma sit integra in singulis sacramentis; si scilicet serventur omnia, quae Ecclesia praescribit vel simpliciter tamquam essentialia vel necessario observanda ita, ut aliquo omisso sacramentum censeatur dubium.

Nam 2°. non semper pari securitate constat, quid *certo non sufficiat* ad materiae et formae ac proinde ad signi sacramentalis essentiam servandam. Ratio huius dubii *quoad materiam* sacramenti potest esse fere duplex. *a*) Potest universim aliquando dubitari, utrum aliqua variatio materiae physicae praetergrediatur latitudinem, intra quam materia determinata est. Sic constat, certo sufficere panem triticeum sive azymum sive fermentatum ad conficiendum sacramentum Eucharistiae; sed non aeque constat, utrum panis ex nonnullis aliis speciebus granorum certo non sufficiat (1). *b*) Speciatim ubi circa ritum tenentem se ex parte materiae est diversitas in usu universali Ecclesiae occidentalis atque in usu item universali Ecclesiae orientalis, scientе et probante summo Pontifice et Ecclesia universa, fas est aliquando dubitare non quidem de sufficientia signi et valore sacramenti universim, sed utrum ritus, secundum aliquid deficiens usurpatus in orientali Ecclesia, sufficeret etiam in occidentali. Sic traditio instrumentorum in ordinatione diaconorum et presbyterorum in Ecclesiis orientis

(1) Theologi quidem complures existimarunt, non satis constare, utrum oleum non benedictum ab Episcopo (vel ex concessione saltem tacita summi Pontificis a presbyteris, ut haec facultas concessa est presbyteris graeci ritus) non sit sufficiens materia ad validitatem sacramenti extremae unctionis; imo affirmarunt, esse eam materiam sufficientem (vide Benedictum XIV. de synod. dioeces. l. VII. c. 16. n. 4.). At eis compertum non erat decretum Pauli V. qui 13. Ian. 1615. declaravit temerariam et errori proximam hanc propositionem: « quod nempe sacramentum extremae unctionis oleo episcopali benedictione non consecrato ministrari valide possit. » Et secundum hoc decretum iterum 14. Sept. 1842. approbante Gregorio XVI responsum est a suprema Congreg. S. Officii *negative* ad dubium: « an in casu necessitatis parochus ad validitatem sacramenti extremae unctionis uti possit oleo a se benedicto? »

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

nec nunc usurpatur nec umquam in usu fuit, sola igitur impositio manuum Episcopi apud orientales est pro materia. In Ecclesia tamen latina si illa traditio esset omissa, ordinatio ad securitatem foret sub conditione repetenda (Bened. XIV. de Synod. dioeces. l. VIII. c. 10. n. 13.). Quantumvis enim probabilius videatur, traditionem instrumentorum fuisse ab Ecclesia praescriptam solum ad expressiorem significationem potestatis acceptae per manuum impositionem cum forma illam comitante (1), atque ideo non certo constet, utrum etiam in Ecclesia latina non sufficiat manuum impositio pro materia sacramenti; haec tamen ipsa incertitudo relinquit in sua probabilitate sententiam alteram, quae traditionem instrumentorum in Ecclesia occidentali ad essentiam materiae pertinere docet. Totam hanc controversiam habes expositam a plerisque theologis recentioribus, prae ceteris autem praeclarissime apud Benedictum XIV. de Synodo dioeces. l. VIII. c. 10, ubi indicantur etiam auctores, ex quibus monumenta antiquitatis huc spectantia repeti possunt. Quoad opiniones scholasticorum in hac re confer etiam tractatum nostrum de Traditione th. XVII. n. II. Sententia autem posterior, ex qua alia essentialis materia in una parte Ecclesiae, alia in parte altera admitti deberet, quomodo sustineri possit, optime declarat Card. de Lugo disp. II. sect. 5. n. 85. seqq. Supponi scilicet deberet, Christum institutorem sacramenti determinasse materiam solum *generice*, ut adhibeatur sacra caerimonia et ritus aptus ad significandam potestatem, quae in ordinatione confertur; determinationem autem *specialem* reliquisse Ecclesiae ita, ut ipse signum in individuo ab Ecclesia determinatum ratum habeat. Quo posito ex varietate determinationis ab Ecclesia factae haud difficulter varietas intelligeretur essentialis materiae. Controversiae aliquot haud absimiles sunt etiam de materia sacramenti Confirmationis, de quibus lege cl. P. Perrone de Confirm.

(1) Hugo Victorinus de Sacram. l. 2. P. III. c. 12. et Magister Sententiarum 4. dist. 24. §. « Septimus est ordo, » ita explicant: « accipiunt (presbyteri in ordinatione) calicem cum vino et patenam cum hostiis de manu Episcopi, *quatenus his instrumentis potestatem se accepisse agnoscant placabiles Deo hostias offerendi.* »

c. III. n. 65. seqq. De matrimonio autem potest quidem esse quaestio, quomodo materia et forma distinguantur, de qua re supra dictum est; nullum autem est dubium, quid sufficiat vel non sufficiat ad materiam ab institutore determinatam, dummodo prae oculis habeatur, ad dignitatem sacramenti elevatum esse non alium contractum matrimonialem, quam qui secundum leges regni Christi sit *legitimus*.

Quoad *formam verborum* omnis dubitatio, quae incidere potest, eo tantum revocatur, utrum significatio ab institutore intenta et significandi modus ab ipso statutus observentur.

Iam 3°. si determinatio materiae et formae inter se comparentur, ex doctrina et usu universali Ecclesiae colligitur, materiam sacramentorum ab institutore determinatam esse *in specie* (1), prout unitas speciei in quotidiano usu vitae humanae intelligitur, non autem prout de ea philosophi vel definiunt vel disputant; ex quo ipso intelligitur, materiam in aliis sacramentis strictius determinatam esse, in aliis minus stricte. Haud absimili ratione *forma* ab institutore determinata est non secundum materialem sonum verborum (non enim, inquit Augustinus in Io. tract. 80. n. 3, verbum sanctificat, quia dicitur, sed quia creditur; et aliud in eo est sonus transiens, aliud virtus manens); neque determinata est secundum phrasin grammaticam, sed *secundum significationem* pro diversitate sacramentorum vel distinctam vel saltem in confuso. Sic distincta requiritur expressio personarum ss. Trinitatis cum *nominis* tamquam essentiae unitate in baptismo ut sacramento et initiatione christianae fidei. Sufficienter autem in sacramento Confirmationis particulare donum gratiae exprimitur sive verbis usurpandis in Ecclesia latina: « signo te signo crucis, confirmo te chrismate salutis in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti », sive verbis Ecclesiae graecae: « sigillum doni Spiritus Sancti » σφραγις δωρεας πνευματος ἁγιου; *significatio*

(1) Iuxta opinionem aliquorum theologorum excipienda esset materia sacramenti Ordinis, quae ex eorum doctrina voluntate antecedente solum *in genere* et voluntate demum consequente *in specie* determinata censeri deberet, ut ex paulo ante dictis patet.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

enim formae in coniunctione praesertim cum materia utrimque eadem est, licet *modus significandi* sit diversus. Adhuc evidentius locutione solum grammatica differt, quod enuntiant latini: « *ego te baptizo* in nomine etc., » et quod dicunt orientales: « *baptizatur servus Dei N.* in nomine etc. » (1). Similiter inter formam indicativam in sacramento poenitentiae et formam deprecativam, quae apud orientales, aliquando etiam apud occidentales viguisse dicitur, et argumentum suppeditavit prolixis eruditorum dissertationibus, equidem non nisi grammaticum discrimen esse existimo. Profecto enim etiam in modo illo deprecativo non simplex deprecatio, sed significatio sententiae iudicialis nomine et auctoritate Dei pronuntiatae continetur; unde etiam in plerisque illis formulis mentio fit verborum salvatoris Io. XX. 23: « quorum remiseritis peccata » etc.

Constat denique 4°., *materiam* et *formam* secundum modum definitum ab ipso sacramentorum institutore pertinere ad *substantiam* sacramenti, de qua loquitur Concil. Trid. sess. XXI. cap. 2; caerimonias alias praescriptas ad significationem et dignitatem sacramenti expressius velut oculis exhibendam, subesse potestati legiferae Ecclesiae. Unde per se patet, non solum materiam et formam, quae sive certo sive probabiliter ad essentiam pertineat signi sacramentalis, adhibendas esse, ne invalida aut dubia reddatur administratio; sed etiam praescriptos ritus ceteros ex lege gravissima Ecclesiae, quamvis non ad validam, ad licitam tamen administrationem observari oportere, nisi quandoque solemnis administratio, ut frequenter accidit in baptismo, urgente necessitate impediatur.

Corollarium. Ex dictis intelligitur, qua generatim variatione in *materia* aut *forma* fiat et qua non fiat, ut collatio

(1) Scholastici plerique falso adscribunt Graecis formulam modi imperativi: *baptizetur;* est ea in omnibus Ritualibus, et in perpetuo usu indicativa; *βαπτιζεται ὁ δουλος του Θεου*. Ita etiam habet forma syriaca apud Melchitas, Maronitas, Iacobitas: *baptizatur N.* in nomine etc. ܡܥܡܕ vel in foem. ܡܥܡܕܐ De hac re et de quaestione sub Urbano VIII. habita circa formam Nestorianorum vide Assemani Bibl. Or. T. III. p. 248. seqq.

sacramenti vel irrita sit vel dubia. Nominatim vero ex praenotatis colligi potest, quis sit genuinus sensus doctrinae Zachariae Pontificis ep. 6. ad Bonifac. (Mansi Collect. Conc. T. XII. p. 325.). Declarat ibi Pontifex, baptismum collatum « in nomine *Patria et Filia et Spiritu Sancta* » habendum esse validum, « si ille qui baptizavit, non errorem introducens aut haeresim, sed pro sola ignorantia Romanae locutionis infringendo linguam, ut praefati sumus, baptizans dixisset. » Videtur ergo indicari, errorem ministri contra fidem efficere posse, ut forma, ceteroquin sufficiens, sit invalida. At hic distingui debet in primis valor sacramenti pendens ab *intentione* ministri, et pendens a sinceritate formae. Si minister studio corrumpat verba ex ea intentione, ut non faciat quod facit Ecclesia et non conferat sacramentum, hoc erit utique irritum, etiamsi corruptio per se non esset substantialis; tum vero nullitas sacramenti non provenit ex defectu formae, sed ex defectu necessariae intentionis, de qua alibi dicemus. Zacharias autem loqui videtur de ipso defectu formae, qui proveniat ex haeresi. Enimvero haeresim ministri non officere valori baptismi, constat ex definitionibus catholicis adversus rebaptizantes inde a III ad V saeculum; et praeterea constat, hunc non posse esse sensum Pontificis ex disertis verbis in ipsa illa epistola. Rationem enim reddens cur baptismus, corruptis illis verbis collatus, haberi debeat validus, continuo subiicit: « quia quicumque baptizatus fuerit *ab haereticis* in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, nullo modo debet rebaptizari. » Doctrina igitur intelligi ita debet. Si verba adhibita in forma non sint ambiguae significationis, sed ex usu communi sensum tantum unum habere possint eumque genuinum ab institutore sacramenti praescriptum, nullus error ministri potest efficere, ut forma illa non sit sufficiens. Sed si verba corrumpantur ita, ut sensum habere possint vel genuinum formae sacramentalis vel alium diversum, cuiusmodi sunt illa presbyteri Bavari, « in nomine Patria etc. », tum sane forma legitima non erit, si a ministro adhibeantur ad hunc diversum a significatione formae sacramentalis et erroneum

sensum exprimendum. Vide Suarez disp. II. sect. 5. cf. S. Th. 3. q. 60. a. 7. ad 3. et a. 8.

CAPUT III.

DE EFFICACIA SACRAMENTORUM NOVI TESTAMENTI

THESIS VI.

Praemissa notione de obice removendo et de causa instrumentali, demonstratur, sacramenta novi testamenti esse proprio sensu causas instrumentales gratiae.

« Virtus sacramentis novi testamenti propria est, ut per ea, tamquam causas instrumentales, hominibus non ponentibus obicem gratia » sanctificans, vi ipsius signi sensibilis sacrique externi ritus iuxta » Christi institutionem adhibiti, conferatur. »

Duo ad intelligendam hanc thesim declaratione indigent, *obex* quid sit, et quae eius removendi ratio; tum quae sit notio *causae instrumentalis* comparate ad causam principem; tertium vero his suppositis demonstrandum est, *efficacia* scilicet visibilium sacramentorum ad collationem gratiae sanctificantis.

I. Obex gratiae, ad quam efficiendam sacramenta instituta sunt, *simpliciter* dictus intelligitur animae dispositio mala, vel absolute vel secundum praesentem Dei providentiam repugnans infusioni gratiae. Obex inquam *simpliciter* dictus est haec mala dispositio, seu indispositio ad recipiendam gratiam; nam datur etiam deficiens dispositio, quae est indispositio non quidem ad gratiam simpliciter, sed ad gratiam ulteriorem et abundantiorem, et quae ideo potest dici obex *secundum quid*. Cf. Suarez disp. 28. sect. 4. (§. « Et potest in hunc modum »).

Discrimen est ergo inter *obicem* gratiae et *ineptitudinem* ad sacramentum ipsum suscipiendum, cuiusmodi ineptitudo oritur ex defectu characteris baptismalis quoad omnia reliqua sacramenta, ex charactere iam recepto quoad sacramenta characterem imprimentia, ex sexu femineo quoad Ordinem, ex sanitate corporis vel ex infantia quoad extremam unctionem, ex impedimentis dirimentibus quoad matrimonium. Obex enim gratiae proprie dictus, supposito etiam valore sacramenti, impedit collationem gratiae et ad ordinem moralem pertinet; haec ineptitudo ad ordinem quodammodo physicum reducitur, et impedit ipsum valorem sacramenti. Hinc defectus necessariae voluntatis ac intentionis ad suscipiendum sacramentum de utroque participat, de ratione scilicet obicis et ineptitudinis. Porro quod in sacramento poenitentiae obex illud reddit nullum saltem plerumque (censetur enim hoc etiam sacramentum quandoque posse esse *informe* i. e. validum sine collatione gratiae), id inde accidit, quia in hoc sacramento obex est simul defectus materiae; quae itidem deesset sane felicissime in hypothesi omnimodae innocentiae a peccato commisso post baptismum.

Ceterum hoc discrimen inter *obicem gratiae* et inter *defectum oppositum valori* sacramentorum amplissime explicatum est velut cardo totius quaestionis a Patribus et nominatim a s. Augustino in controversia cum Donatistis. « De ipso corpore et sanguine Domini, unico sacrificio pro salute nostra, quamvis ipse Dominus dicat, nisi quis manducaverit carnem meam et biberit meum sanguinem, non habebit in se vitam, nonne Apostolus docet, etiam hoc perniciosum male utentibus fieri? Ait enim (1. Cor. XI. 27.): quicumque manducaverit panem et biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini. Ecce quemadmodum obsunt divina et sancta male utentibus; cur non hoc modo et baptismus?... cur non ita et baptismus, quamvis bonus et legitimus, non tamen omnibus habentibus prodest?... Non adtendebas, posse nos dicere, esse ibi (in parte Donati) quidem baptismum Christi iustum, sanctum et bonum; sed poenalem, contrarium, perniciosum inimicis corporis Christi, quod est Ecclesia? » Aug. contr. Crescon. l. I. n. 30. 31.

Iam illa repugnantia sive indispositio ad infusionem gratiae non potest tolli nisi per actus liberos supernaturales ipsius hominis auxilio gratiae actualis elicitos, quibus efficitur ea, quae vocatur *necessaria dispositio* h. e. *non repugnantia ad infusionem gratiae.*

sensum exprimendum. Vide Suarez disp. II. sect. 5. cf. S. Th. 3. q. 60. a. 7. ad 3. et a. 8.

CAPUT III.

DE EFFICACIA SACRAMENTORUM NOVI TESTAMENTI

THESIS VI.

Praemissa notione de obice removendo et de causa instrumentali, demonstratur, sacramenta novi testamenti esse proprio sensu causas instrumentales gratiae.

« Virtus sacramentis novi testamenti propria est, ut per ea, tamquam causas instrumentales, hominibus non ponentibus obicem gratia » sanctificans, vi ipsius signi sensibilis sacrique externi ritus iuxta » Christi institutionem adhibiti, conferatur. »

Duo ad intelligendam hanc thesim declaratione indigent, *obex* quid sit, et quae eius removendi ratio; tum quae sit notio *causae instrumentalis* comparate ad causam principem; tertium vero his suppositis demonstrandum est, *efficacia* scilicet visibilium sacramentorum ad collationem gratiae sanctificantis.

I. Obex gratiae, ad quam efficiendam sacramenta instituta sunt, *simpliciter* dictus intelligitur animae dispositio mala, vel absolute vel secundum praesentem Dei providentiam repugnans infusioni gratiae. Obex inquam *simpliciter* dictus est haec mala dispositio, seu indispositio ad recipiendam gratiam; nam datur etiam deficiens dispositio, quae est indispositio non quidem ad gratiam simpliciter, sed ad gratiam ulteriorem et abundantiorem, et quae ideo potest dici obex *secundum quid*. Cf. Suarez disp. 28. sect. 4. (§. « Et potest in hunc modum »).

Discrimen est ergo inter *obicem* gratiae et *ineptitudinem* ad sacramentum ipsum suscipiendum, cuiusmodi ineptitudo oritur ex defectu characteris baptismalis quoad omnia reliqua sacramenta, ex charactere iam recepto quoad sacramenta characterem imprimentia, ex sexu femineo quoad Ordinem, ex sanitate corporis vel ex infantia quoad extremam unctionem, ex impedimentis dirimentibus quoad matrimonium. Obex enim gratiae proprie dictus, supposito etiam valore sacramenti, impedit collationem gratiae et ad ordinem moralem pertinet; haec ineptitudo ad ordinem quodammodo physicum reducitur, et impedit ipsum valorem sacramenti. Hinc defectus necessariae voluntatis ac intentionis ad suscipiendum sacramentum de utroque participat, de ratione scilicet obicis et ineptitudinis. Porro quod in sacramento poenitentiae obex illud reddit nullum saltem plerumque (censetur enim hoc etiam sacramentum quandoque posse esse *informe* i. e. validum sine collatione gratiae), id inde accidit, quia in hoc sacramento obex est simul defectus materiae; quae itidem deesset sane felicissime in hypothesi omnimodae innocentiae a peccato commisso post baptismum.

Ceterum hoc discrimen inter *obicem gratiae* et inter *defectum oppositum valori* sacramentorum amplissime explicatum est velut cardo totius quaestionis a Patribus et nominatim a s. Augustino in controversia cum Donatistis. « De ipso corpore et sanguine Domini, unico sacrificio pro salute nostra, quamvis ipse Dominus dicat, nisi quis manducaverit carnem meam et biberit meum sanguinem, non habebit in se vitam, nonne Apostolus docet, etiam hoc perniciosum male utentibus fieri? Ait enim (1. Cor. XI. 27.): quicumque manducaverit panem et biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini. Ecce quemadmodum obsunt divina et sancta male utentibus; cur non hoc modo et baptismus?... cur non ita et baptismus, quamvis bonus et legitimus, non tamen omnibus habentibus prodest?... Non adtendebas, posse nos dicere, esse ibi (in parte Donati) quidem baptismum Christi iustum, sanctum et bonum; sed poenalem, contrarium, perniciosum inimicis corporis Christi, quod est Ecclesia? » Aug. contr. Crescon. l. I. n. 30. 31.

Iam illa repugnantia sive indispositio ad infusionem gratiae non potest tolli nisi per actus liberos supernaturales ipsius hominis auxilio gratiae actualis elicitos, quibus efficitur ea, quae vocatur *necessaria dispositio* h. e. *non repugnantia ad infusionem gratiae.*

Hinc 1°. infantes, quorum nullus potest esse proprius actus liber, vel sunt omni modo incapaces ad suscipiendam gratiam per sacramenta, vel in ipsis nullus potest esse obex. Primum repugnat manifestae traditioni apostolicae saltem quoad aliqua sacramenta ; ergo in hac ipsa doctrina apostolica continetur alterum , nullum scilicet in infantibus esse obicem gratiae suscipiendae per sacramentorum applicationem. « *Hoc qui non credit* (parvulos iustificari et salvari per baptismum), *profecto infidelis est;* longeque melior est illo parvulus, qui etiamsi fidem nondum habeat in cogitatione, *non ei tamen obicem contrariae cogitationis opponit, unde sacramentum eius salubriter percipit* » Augustinus ep. 98. n. 10. ad Bonifac.

Quoad adultos 2°. potest esse repugnantia et indispositio ad susceptionem gratiae seu obex *simpliciter* dictus, qui tamen non prae omnibus sacramentis idem est. In iis enim, quae per se et ex fine proprio instituta sunt ad remissionem peccati, atque ideo ad conferendam *primam gratiam,* status peccati non est obex, eo ipso quod ordinata sunt ad remissionem peccati; sed obex simpliciter est impoenitentia de peccato commisso. Ergo dispositio necessaria ad removendum obicem efficitur actibus poenitentiae , ad quos requiritur *fides, spes et voluntas perveniendi ad gratiam Dei, supernaturalis detestatio peccati commissi cum voluntate servandi legem Dei.* Constat id ex ipsa doctrina Christi et Apostolorum in Scripturis consignata: « qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur » Mr. XVI. 16; « euntes docete omnes gentes, baptizantes eos... docentes eos servare omnia, quaecumque mandavi vobis » Matth. XXVIII. 19. 20; « ecce aqua, quid prohibet me baptizari? Dixit autem Philippus: si credis ex toto corde, licet » Act. VIII. 37; « exsurge et baptizare et ablue peccata tua, invocato (ἐπικαλεσαμενος) nomine ipsius » Act. XXII. 16; « poenitentiam agite et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum » Act. II. 38. Manifestum est id ipsum ex historia catechumenatus et administrationis poenitentiae, imo ex ritu ipso utriusque sacramenti descripto a vetustis-

simis Patribus Iustino (1), Tertulliano, Cypriano etc., et ex universali consentiente doctrina omnium aetatum.

In sacramentis aliis, quae ex sua institutione referuntur ad peculiarem sanctificationem membrorum Christi viventium et ideo ad conferendam *gratiam secundam,* obex gratiae simpliciter est *conscientia status peccati,* proindeque dispositio per se necessaria removens obicem est status gratiae. Constat id ex proprio fine horum sacramentorum, ex solemni, quae inde pendet, distributione in sacramenta *mortuorum et vivorum,* et ex omnibus fontibus theologicis. Sed de hac necessaria pro singulis sacramentis dispositione in peculiaribus tractatibus theologiae moralis agitur.

Dixi, dispositionem *per se necessariam* esse statum gratiae, quia iuxta sententiam saltem probabilem et communiorem etiam in his sacramentis vivorum status peccati aliquando *per accidens* non impedit effectum gratiae. Obex enim est *conscientia* status peccati; quando ergo homo inculpabiliter ignorat se esse in peccato, supposita poenitentia per attritionem (2) , obex non exstat , hocque ipso sacramentum etiam *per se* institutum ad conferendum augmentum gratiae seu *gratiam secundam* sanctificabit hominem, quamvis tunc gratia, quae confertur, *per accidens* sit *gratia prima.*

At licet haec dispositio, quam declaramus, sit sufficiens ad removendum obicem *simpliciter* impedientem effectum gratiae, potest tamen cum illa simul consistere indispositio et secundum praesentem Dei providentiam repugnantia ad gratiam *abundantiorem,* atque adeo obex, quem diximus *secundum quid.* Quod ita declaratur. Sacramenta , quorum

(1) « Quicumque persuasum habuerint et crediderint vera esse, quae a nobis docentur et dicuntur, seque ita vivere posse promiserint; ii precari, et ieiunantes priorum peccatorum veniam a Deo petere docentur, nobis una precantibus et ieiunantibus. Dein eo ducuntur a nobis, ubi aqua est, et eodem regenerationis modo regenerantur, quo et ipsi sumus regenerati » Iustinus Apol. I. n. 61.

(2) Impoenitentia est obex, adeoque poenitentia (utique vera et realis, nam poenitentia solum *putata* prorsus poenitentia nulla est) requiritur ad removendum obicem in ipsis sacramentis mortuorum; ergo *a fortiori* eadem valent pro sacramentis vivorum.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

dignitas et valor ad sanctificandum derivatur ex infinito pretio effusi sanguinis et meritorum Christi, non habent praefixam mensuram sanctificationis velut unico limite determinatam; sed eorum valor per se extenditur ad gradus gratiae in indefinitum. Hinc Deus pro suavi sua providentia, qua vult etiam nostram cooperationem, pretium sanguinis Christi ad conferendam gratiam per sacramenta applicat secundum aliquam proportionem dispositionis, ut posita perfectiore dispositione gratiam conferat abundantiorem. Quae quidem servata inter collationem gratiae sacramentalis et dispositionem nostram proportio satis declaratur in Conc. Trid. sess. VI. cap. 7, ubi s. synodus, postquam inter causas iustificationis numeravit sacramentum baptismi ut causam instrumentalem, causam formalem ait esse iustitiam, « quam in nobis recipimus unusquisque suam secundum mensuram, quam Spiritus Sanctus partitur singulis prout vult, *et secundum propriam cuiusque dispositionem et cooperationem.* » Hoc autem non debet ita intelligi, quod amplior *gratia sacramentalis* tamquam merces respondeat dispositioni ut merito, sed unice quod, sublato defectu melioris dispositionis, qui secundum praesentem providentiam obstitisset collationi amplioris gratiae, meritum Christi per sacramenta abundantius applicatur; atque ita *gratia sacramentalis* ex toto confertur per ipsa sacramenta tamquam instrumentales causas, dispositio autem melior est tantum conditio, sine qua non conferrent sacramenta hanc gratiae abundantiam; sicut dispositio simpliciter necessaria non est meritum, cui confertur, sed tantum conditio sine qua non conferretur gratia sacramentalis. Sicut ergo defectus dispositionis absolute necessariae est *obex gratiae simpliciter*, ita ille defectus melioris dispositionis obstans collationi amplioris gratiae potest dici *obex secundum quid*, et sicut dispositio absolute necessaria est remotio obicis *simpliciter* dicti, ita perfectior dispositio, formaliter quatenus perfectior, iure potest dici remotio obicis, quem appellamus obicem *secundum quid*.

Dixi, dispositionem esse tantum remotionem obicis et conditionem *sine qua non*, non autem meritum ad gratiam *sacramentalem;* nam si homo iustus actibus virtutum, quibus se disponit ad sacramentum, etiam meretur augmentum sanctificantis gratiae, haec gratia respondens merito est *ex opere operantis* non autem gratia *sacramentalis*, quae tantummodo virtute ipsius sacramenti confertur, ut inferius demonstrabitur.

Doctrina itaque Bellarmini (De sacr. in genere l. II. c. 1. §. « Igitur ut intelligamus ») omnino verissima est, et immerito correctionis indiga censetur a cl. quodam theologo recenti (Fol. trimestr. Tubing. 1855. fasc. I. p. 29.). Bellarminus ita habet. « Voluntas, fides et poenitentia in suscipiente adulto necessario requiruntur ut dispositiones ex parte subiecti, non ut causae activae; non enim fides et poenitentia efficiunt gratiam sacramentalem, neque dant efficaciam sacramentis, sed solum tollunt obstacula, quae impedirent ne sacramenta suam efficaciam exercere possent; unde in pueris, ubi non requiritur dispositio, sine his rebus fit iustificatio. » Iam ad hanc doctrinam Professor Tubingensis animadvertit, « iustificationem puerorum esse aliam quam adultorum, quatenus in adultis iustitia inhaerens est *activa*, in pueris autem *mere habitualis;* Bellarminum ad hoc discrimen non adtendisse, et ideo mancam dedisse declarationem *quoad obstacula.* » Quidnam sibi vult vir doctus, quando ait, iustitiam inhaerentem in adultis esse *activam*, in infantibus *mere habitualem*, ut ex hoc discrimine concludat, non recte dici a Bellarmino dispositionem removere tantummodo obstacula non autem efficere gratiam sacramentalem? Vel considerat iustitiam inhaerentem in se ipsa, et vult significare id, quod est verissimum, virtutes et gratiam informantem infundi infantibus quoad habitum, sed pro illo tempore non quoad usum (1); in adultis autem habitus infusos virtutum referri ad actus exercendos, et gratiam sacramentalem habere speciales relationes ad gratias actuales in posterum conferendas, quarum infantes, quamdiu carent usu rationis, sunt incapaces. At haec insita ratio ac proprius

(1) « Parvulis in baptismo et culpa remittitur, et virtutes ac informans gratia infunduntur quoad habitum, etsi non *pro illo tempore* quoad usum. » In Conc. Vienn. Clementina *De fide catholica.*

008340

modus gratiae et iustitiae inhaerentis, quae efficitur per sacramenta, profecto nihil pertinet ad declarandum, utrum dispositiones sint aut non sint tantummodo remotio *obstaculorum* impedientium, quominus sacramenta suam efficaciam exerceant. Vel illo vocabulo *iustitiae inhaerentis activae in adultis* et *mere habitualis in pueris* significat cl. censor modum gratiae, quo iustitia confertur. Tum in primis eius ratio loquendi est obscurissima, ne quid amplius dicam; ad rem vero ipsam quod spectat, si dicit adultos iustificandos per sacramenta aliquid agere debere, et cum auxilio gratiae actualis cooperari *active* ad inducendas animi dispositiones, quae sunt conditio sine qua sacramenta suam efficaciam ad conferendam gratiam non exercerent, in infantibus autem nullam requiri huiusmodi actionem et cooperationem; id verum quidem est, sed hoc ipsum multo clarius docet Bellarminus illis ipsis verbis a censore reprehensis; si autem sibi vult, hominem iustificandum per sacramenta concurrere suis actibus ad efficiendam vel promerendam gratiam *sacramentalem* et illam iustitiam inhaerentem, *quam instrumentaliter sacramenta efficiunt*, id sane est, quod Bellarminus reiicit, et quod cl. censor ipse, quantum equidem ex eius dissertatione intelligo, quin sibi contradicat, admittere non potest. Fateor ergo, me non videre, quid in doctrina proposita Bellarmini verum non sit, aut quid in ea displicere potuerit.

II. Sequitur declaratio altera, quid sit *causa efficiens principalis*, quid *instrumentalis*. Causa *principalis*, ut contradistinguitur ab *instrumentali*, ea dicitur, quae virtute propriae formae ac naturae proportionata effectui per sese agit et influit ad effectum producendum; causa vero *instrumentalis* semper relative dicitur ad causam principalem, et est ea, qua principalis utitur ad producendum effectum, in ipsam derivando aliquam virtutem. Causa ergo instrumentalis non habet ex sua natura ac forma propriam virtutem ad producendum effectum, sed agit virtute derivata a causa principali. (Vide S. Th. 3. q. 62. a. 1. cf. Suarez Metaphys. disp. 17. sect. 2. n. 16; Lugo De sacram. disp. 4. sect. 4. n. 43; sect. 5. n. 95.)

Cavendum vero est, ne decepti ambiguitate vocis causam *principalem*, ut contradistinguitur ab *instrumentali*, confundamus cum *causa prima*. Latius enim patet causa *principalis* in oppositione ad instrumentalem quam *causa prima*, quae solus Deus est et contradistinguitur a *causis secundis*, cuiusmodi sunt creaturae. Causa itaque *principalis* alia est causa *prima*, quae est omnino independens sicut in suo *esse* ita in omni sua operatione, et a qua pendent omnes aliae causae tam in existendo quam in agendo; alia est causa *secunda*, quae licet habeat ex sua natura ac forma propriam virtutem ad agendum, habet tamen et naturam et virtutem agendi per creationem ac conservationem a causa prima, et ab hac in agendo pendet, quatenus nonnisi sub eius concursu agere potest. Ex quibus intelligitur, *causam secundam principalem* prae *causa prima* habere quidem aliquas analogias cum causa instrumentali, et ratione dependentiae cum hac comparari posse (cf. S. Th. 1. q. 105. a. 5.); sed prae causa *instrumentali* proprie dicta esse vere *principalem*. (Vide Lessium De gratia efficaci c. 14. n. 7.)

Iam quae diximus de discrimine causae principalis et instrumentalis, non solum valent de *causa physica*, quae effectum sua ipsius actione attingit ac producit, sed etiam de *causa morali*, quae aliqua bonitate et dignitate vel qualitate sua adfert rationem causae physicae intelligenti ad effectum physice producendum (1). Nam etiam illa bonitas ac dignitas aut qualitas, quae in *causa morali* habet rationem *virtutis causalis*, potest esse causae propria et *ex forma inhaerente* atque ita erit *moralis causa principalis*, vel potest esse dignitas non propria sed solum *derivata a causa principali*, et tum erit *causa moralis instrumentalis* prae principali, cui subest et quae per ipsam agit.

Porro ex dictis sequitur, id, cuius nulla esset dignitas

(1) Patet etiam efficaciam *causae finalis* non posse esse nisi *moralem;* distinguitur tamen *causa finalis* a *causa morali efficiente;* haec enim movet sua bonitate *quia est*, finis autem *formalis*, et (ut dici solet) *finis qui obtinendus* non movet, quia est; sed eius bonitas apprehensa movet, *ut sit*.

nec propria nec aliunde derivata tamquam ratio ad producendum effectum, sed quod tantum removeret impedimentum obsistens productioni effectus, ut diximus de dispositione removente obicem gratiae sacramentalis, vel ad cuius praesentiam tantummodo velut meri signi, causa physica ex rationibus aliis produceret effectum; id, inquam, non posse censeri *proprie causam*, sed tantum *conditionem*, sine qua non produceretur effectus, vel (ut alii appellant) *causam per accidens*. Exempla sunt allata a s. Thoma 3. q. 62. a. 1; puta, si ad exhibitionem denarii plumbei pendantur centum librae etc.

His declaratis per se evidens est, signa sensibilia, cuiusmodi sunt sacramenta, non posse esse causas *principales* gratiae, sive eorum efficientia *physica* sit sive *moralis* tantum. Si ergo sacramenta, ut mox demonstrabimus, sunt *causae gratiae*, id non potest intelligi, nisi quod sunt *instrumenta* Dei, qui solus est *causa principalis physice efficiens* gratiae, et instrumenta Christi, cuius merita sunt *principalis et prima causa moralis* omnis gratiae.

III. Reliqua est thesis ipsa demonstranda, hanc scilicet esse virtutem sacramentorum novae legis ex divina revelatione nobis manifestatam, ut per ea, vi ipsius signi sensibilis, tamquam *per causas instrumentales* gratia sanctificans a Deo conferatur, supposita non repugnantia in subiecto suscipiente. Nunc autem abstrahimus a modo, quo sint instrumentales causae, utrum physica an solum morali virtute et efficientia; non enim solutio huius quaestionis, sed solum veritas efficaciae ad conferendam gratiam clare in revelatione est proposita et ad fidem catholicam pertinet.

Hisce positis efficacia sacramentorum ad producendam gratiam concipi adhuc potest tripliciter: primo ita, ut per sacramenta, tamquam per signa et visibilia verba (ut Augustinus loquitur) evangelium reconciliationis extrinsecus proponatur, quam propositionem suscipiens homo, aliunde adiutus gratia actuali interna, sese disponat fide, spe et charitate ad sanctificantem gratiam consequendam *ex opere congruo;* vel, si iam iustus est, *ex opere condigno operantis*. At haec est efficacia propria praedicationis verbi Dei

et sacramentorum veteris testamenti. Alio modo deinde posset concipi ita, ut per sacramenta ex sese solum obtineatur gratia actualis illustrationis et motionis, cui homo cooperans perveniat ad iustificationem vel gratiae sanctificantis augmentum. Haec est virtus propria non sacramentorum sed sacrificii novae legis. Denique potest intelligi ita, ut per sacramenta tamquam per causas, ubi obex non impedit, sanctificans gratia immediate et efficienter conferatur. Tertio hoc modo sacramenta operari, doctrina est catholica in Conc. Trid. sess. VII. can. 5-8. iterum proposita ac definita.

Sane 1°. in sacris litteris non modo collatio Spiritus Sancti et collatio salutis exhibetur consequens ex applicato signo sensibili, eo quod immediate coniungitur signum cum collatione gratiae: « qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit » Mr. XVI. 16. cf. Gal. III. 27; « imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum Sanctum » Act. VIII. 17. cf. ib. XIX. 6; sed etiam explicite relatio *sacramenti ut causae* ad *gratiam ut eius effectum* declaratur. *a*) Baptismo dicuntur *ablui peccata* Act. XXII. 16; 1. Cor. VI. 11, et credentes ac poenitentes baptizantur *in remissionem peccatorum* Act. II. 38. Poenitentia praecedit et *supponitur ut dispositio*, baptismus vero dirigitur causalitate immediata *in remissionem peccatorum;* non autem, sicut baptismus Ioannis, est solum *baptismus poenitentiae* (1), h. e. signum significans et externa propositione excitans virtutem poenitentiae, quae virtus demum sit in remissionem peccatorum. Hinc est discrimen inter efficaciam unius et inefficaciam alterius ad immediatam regenerationem spiritualem: baptismus Ioannis est *in aqua* tantum, baptismus Christi *in Spiritu Sancto* Io. I. 33; Luc. III. 16. Nam *b*) dicimur regenerari, renasci *ex aqua et*

(1) « Ioannes praedicans baptismum *poenitentiae in remissionem peccatorum* » Mr. I. 4; Luc. III. 3. Genitivus complexus: « poenitentiae in remissionem peccatorum » declarat, qualis fuerit baptismus; unde Act. XIII. 24. sine addito simpliciter dicitur *baptismus poenitentiae*. Incisum itaque « in remissionem peccatorum » immediate pendet a nomine *poenitentiae*, ut patet ex ipsius Baptistae declarationibus Luc. III. 16. Baptismus excitabat *ad poenitentiam*, ut poenitentia perduceret *in remissionem peccatorum*.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Spiritu Sancto Io. III. 5, ubi particula causalis *ex* certe designat Spiritum Sanctum ut causam regenerationis; atqui una et eadem non ad Spiritum Sanctum seorsim, sed ad complexum refertur « ex aqua et Spiritu Sancto; » ergo necessario etiam aqua designatur ut causa regenerationis, quamvis ut causa subordinata et instrumentalis sub operatione Spiritus Sancti, quod per se patet ex utriusque diversa ratione ac natura. Pari modo dicitur dari Spiritus Sanctus *per impositionem manuum* Apostolorum Act. VIII. 18, et gratia Dei esse in homine *per impositionem manuum* 2. Tim. I. 6, quae omnes propositiones causales sunt et signum visibile impositionis manuum ut causam gratiae exprimunt, non vero concomitantiam tantummodo signi et donationis gratiae (1). *c*) Sicut baptismo dicuntur ablui peccata et homines regenerari ex aqua et Spiritu Sancto, ita adhuc efficacius, si fieri potest, haec ratio causae exprimitur, cum baptismus ipse appellatur « lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti, » per quod Deus salvos nos facit, et « lavacrum aquae in verbo vitae, » quo lavacro Christus mundat Ecclesiam: « secundum suam misericordiam salvos nos fecit *per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti* » Tit. III. 5; « Christus dilexit Ecclesiam et seipsum tradidit pro ea, ut illam *sanctificaret mundans lavacro aquae in verbo vitae* » Eph. V. 26. cf. 1. Pet. III. 21; Heb. X. 22. (23); Io. VI. 55–59. etc.

Generatim omnibus his locutionibus exprimitur tamquam effectus sacramenti non fides vel poenitentia excitata, sed hac in adultis praesupposita (cf. n. I), effectus immediatus declaratur esse *remissio peccatorum, regeneratio, renovatio, gratia Dei, vita in Christo, communicatio Spiritus Sancti;* et huius effectus causa non dicuntur esse fides, poenitentia, aliive virtutum actus praesuppositi in suscipiente, sed causa

(1) Eamdem ergo significationem causae instrumentalis in loco parallelo 1. Tim. IV. 14. habet particula μετα, ut idem sit *cum* impositione ac *per* impositionem manuum. Quamvis enim in uno loco diserte exprimatur impositio manuum *Apostoli*, in altero manuum *presbyterii*, in presbyterio tamen comprehenditur principaliter etiam Apostolus. Adhiberi autem μετα cum genitivo etiam pro dativo instrumenti, discitur ex lexicis.

dicitur signum ipsum sensibile, ablutio, lavacrum aquae, aqua, manuum impositio; idque declaratur omnibus loquendi formis, praeter quas vix aliae excogitari posse videntur ad exprimendam efficientiam causae instrumentalis.

2°. Catholicus intellectus unanimis et perpetuus huius doctrinae de sacramentorum efficacia manifestus est ex Patrum testimoniis. Praecipua capita ad hanc summam revocari possunt.

a) Spiritus Sanctus, virtus divina elementis aquae, olei etc. verbo consecrante illabitur, et ita vis supernaturalis inest sacramentis ad homines sanctificandos. « Invocato Deo supervenit statim Spiritus de coelis et aquis superest sanctificans eas de semetipso, et ita sanctificatae *vim sanctificandi combibunt* » Tertullianus de Baptismo c. 4. « Vide ne illud unguentum (chrisma Confirmationis) vulgare esse suspiceris. Nam sicut panis Eucharistiae post invocationem Sancti Spiritus non amplius est panis communis sed corpus Christi, sic et hoc sacrum unguentum, post invocationem non amplius simplex, aut si dicere mavis, commune est; sed est Christi et Spiritus Sancti donarium, quod *praesentia divinitatis eius fit efficax* (ἐνεργητικον γινομενον)... Et visibili unguento corpus quidem ungitur, Sancto autem et vivifico Spiritu anima sanctificatur » Cyrillus Hierosolymitanus catech. XXI. mystagogica III. n. 3. cf. s. Basil. De Spiritu Sancto c. 15. n. 35; Cyrill. Alexandrin. in Io. III. 5. Opp. T. IV. p. 147. etc.

b) Patres conferunt aquam baptismalem utero materno, ex quo regeneramur. « Quod est uterus embryoni, hoc est fideli aqua, siquidem in aqua fingitur et formatur. Primum dicebatur: producant aquae reptile animae viventis (Gen. I. 20.); ex quo autem Iordanis fluenta ingressus est Dominus, non amplius reptilia animarum viventium, sed animas rationales *Spiritum Sanctum ferentes aqua producit*... Sed quod in utero formatur, tempore opus habet; in aqua autem non sic, sed uno temporis momento totum perficitur » Chrysostomus in Io. hom. XXVI. al. XXV. n. 1. cf. Gregor. Nyssen. in Christi baptism. Opp. T. II. p. 803. Multo adhuc sublimius conferunt efficaciam, quam tribuit Spiritus Sanctus

sensibilibus signis, cum virtute qua fecundum reddidit b. Virginis uterum ad generandum Christum. « Dedit aquae, quod dedit matri; virtus enim altissimi et obumbratio Spiritus Sancti, quae fecit ut Maria pareret Salvatorem, eadem facit *ut regeneret unda credentem* » s. Leo M. serm. de nativ. Domini IV. et V. Hinc Cyprianus (ep. 1. ad Donat. p. 2. ed. Baluz.) appellavit « undam genitalem, » et hinc piscis in aqua natus symbolum est christianorum : « nos enim pisciculi in aqua nascimur » Tertull. de Baptism. c. 1.

c) His affine est, quod vim aquae ad regenerandas animas rationales impertitam a Spiritu Sancto comparant cum fecunditate primitus indita aquis per Spiritum, qui ferebatur super illas ad producendam animam viventem (Gen. I. 20.), ut Chrysostomus loco supra citato et Tertullianus de Bapt. c. 3. et 4. Imo haec comparatio ad declarandam efficaciam sacramentorum transiit apud Syros in communem usum loquendi; eodem enim vocabulo רוּחַ אֱלֹהִים מְרַחֶפֶת, quo Spiritus dicitur ferri fecundans super aquas (Gen. I. 2.), ipsi utuntur de impositione manuum Episcopi (Assemani Bibl. Or. II. p. 383.), de Spiritu Sancto, qui illabitur visibilibus sacramentis (Ephrem T. III. p. 143; Assem. B.O. IV. p. 294.). Isidorus Hispal. in homilia de corpore et sanguine Domini sive de Paschate (exstat etiam inter Opp. s. Hieronymi ed. Mariani Victorii T. IX. p. 363. et in Bibl. Max. PP. T. VI. p. 636.) comparat verba sacramentalia ad conficiendam Eucharistiam verbo creanti, et efficaciam hanc verborum transmutantium declarat ex efficacia aliorum sacramentorum ad innovandum hominem: « ut ad nutum praecipientis Domini repente ex nihilo substiterunt excelsa coelorum,... ita parem potentiam in spiritualibus sacramentis verbis praebet virtus, et rei servit effectus. »

Denique *d*) simpliciter enuntiant Patres, finem et effectum symboli externi esse gratiam et sanctitatem in anima producendam. « Carnaliter currit unctio, sed spiritualiter proficit; quomodo et ipsius baptismi *carnalis actus*, quod aqua mergimur, *spiritualis effectus*, quod delictis liberamur » Tertullianus de Bapt. c. 7. « Caro abluitur ut anima emaculetur, caro ungitur ut anima consecretur, caro signatur ut

anima spiritu illuminetur, caro corpore Christi et sanguine vescitur ut anima de Deo saginetur. » Id. de resurr. carn. c. 8. Vide Patrum testimonia apud Bellarminum lib. II. cc. 5. 6. 7.

Tria sunt manifesta: primo fides christiana universalis loco, tempore perpetua, in frequentissimo, quotidiano, publico usu sacramentorum persuasum habebat, externas actiones symbolicas, quibus constant sacramenta, producere mirum quendam spiritualem effectum in anima. « Nihil adeo est (aiebat Tertullianus saeculo II vel ineunte III, l. de Bapt. c. 2.), quod obduret mentes hominum, quam *simplicitas divinorum operum quae in actu videntur, et magnificentia quae in effectu repromittitur*..... tanta simplicitate sine pompa homo in aquam demissus et inter pauca verba tinctus mundior resurgit... Incredulitas miratur, non credit: miratur enim simplicia quasi vana, magnifica quasi impossibilia. » Insuper clarum est, hunc effectum proprium sacramentorum non esse ad modum verbi aut doctrinae, secundum leges psychologicas sub operatione actualis gratiae excitationem et velut provocationem actuum fidei aut aliarum virtutum, per quas homo demum iustificetur. Sed imo, quod est tertium notandum, fide et dispositione in adultis supposita docetur, effectum esse ipsam mundationem a peccatis, regenerationem et creationem spiritualem, sanctificationem nempe. Proinde clarum est, constanti professione totius antiquitatis christianae ac certa fide, publico et quotidiano usu manifestata, creditum fuisse ipsis signis sensibilibus, quae sunt sacramenta, virtutem inesse supernaturalem, ut per ea conferatur sanctificans gratia Dei.

3°. Idem confirmatur ex symbolis et Conciliorum definitionibus. « Credimus unum *baptisma in remissionem peccatorum* » symbol. Constantinopol. « Parvuli *in remissionem peccatorum veraciter baptizantur*, ut in iis regeneratione mundetur, quod generatione traxerunt » Conc. Milevit. II. can. 2. (Harduin. T. I. p. 1218.) etc.

4°. Eandem fidem de sacramentorum virtute et efficacia manifestavit Ecclesia clarissime publicis factis, quo pertinet imprimis paedobaptismus, mandatum deinde saepe repetitum, ut etiam sensibus destituti catechumeni baptismo,

fideles absolutione expientur. Legatur Conc. Carthag. IV. can. 76; Arausican. I. can. 12; Leo M. ep. 108. c. 5. ad Theodor. Foroiuliens.; Augustinus de adulterin. coniug. lib. I. c. 26. 28; Confess. l. IV. c. 4.

THESIS VII.

De sacramentorum efficacia ex opere operato.

« Formula ecclesiastica inde ab ineunte saeculo XIII adhibita, et » usu universali, ipsiusque Concilii Tridentini auctoritate consecrata, » qua per sacramenta novae legis dicitur gratia conferri *ex opere ope-* » *rato*, nihil aliud quam hanc ipsam paulo ante demonstratam efficaciam » exprimit visibilium sacramentorum. Protestantes ergo, quando eam » reiiciunt sensu genuino Ecclesiae et catholicorum theologorum acce- » ptam, reiiciunt doctrinam certo revelatam; quando autem sensus ei » substituunt alienos, absurde calumniantur. »

I. Terminus hic theologicus et modus loquendi, quo distinguitur *opus operantis* et *opus operatum*, seu ipsum quod efficitur opus, primum in scholis adhiberi coepit saec. XII labente et XIII ineunte. Primus forte vel certe inter primos ita locutus est Petrus Pictaviensis (1) defunctus anno 1205 post diuturnum magisterium in scholis Parisiensibus; post ipsum Innocentius III (2), qui ab anno 1180 Parisiis studiis vacaverat eo ipso tempore, quo Petri fama erat celebratissima. Eadem aetate per decursum saeculi XIII et eodem semper sensu habent hanc distinctionem inter *opus operatum* et *opus operantis* sive *operans* Guillelmus Altisiodorensis (si eius est Summa aurea) l. IV. fol. 243. col. 1; Alexander Halensis P. 4. q. 3. m. 4. a. 1; Albertus M. 4. dist. 1. a. 5; s. Bonaventura 4. dist. 1. P. 1. a. 1. q. 5. Nec tamen adhuc hoc tempore, quantum ex modo loquendi s. Thomae colligitur, formula videtur fuisse communi con-

(1) « Meretur (minister) baptizatione, ut baptizatio dicitur actio illius qua baptizat, quae est aliud opus quam baptismus, quia est *opus operans*, sed baptismus est *opus operatum, ut ita liceat loqui* » Petrus Pictaviensis Sent. P. V. c. 6.

(2) « Quamvis *opus operans* aliquando sit immundum, semper tamen *opus operatum* est mundum ». Innocentius III de myster. Missae l. 3. c. 5.

suetudine recepta (1). Postquam propter ipsam suam concinnitatem iam diu transierat in universalem theologorum usum, a Concilio ipso Tridentino sancita est ad dogma revelatum de virtute visibilium sacramentorum exprimendum adversus Protestantium errorem, qui et dogma ipsum formula expressum negabant, et verba quibus a catholicis enuntiari solebat, calumniabantur. « Si quis dixerit, per ipsa novae legis sacramenta *ex opere operato* non conferri gratiam, sed solam fidem divinae promissionis ad gratiam consequendam sufficere; anathema sit » sess. VII. can. 8.

Quod spectat formam grammaticam enuntiationis, confugerunt quidam ad interpretationes minime veras sensumque genuinum formulae mutarunt, ut leges grammaticas ad amussim servatas esse contenderent; aiunt scilicet, *opus operatum* intelligi debere opus Christi, *quod in cruce operatum est* nostram redemptionem. At quamvis sit verissimum, sacramentorum efficaciam esse ex opere Christi in cruce, quod nostram operabatur salutem; id tamen non dicitur opus operatum, sed opus operantis Christi; nec hoc sacramentis peculiare est, sed commune omnibus distributionibus gratiarum, quocumque modo fiant, quod sint ex opere et meritis Christi. Concedimus igitur sine ullo dubio, in hac formula vocem *operatum* tum a theologis tum a PP. Tridentinis usurpatam esse significatione passiva pro opere *quod efficitur* (2), ut in vulgata versione Scripturae passive adhibentur verba *promereri* Heb. XIII. 16; *exhortari, consolari* 2. Cor. I. 4. 6; *interpretari* multis in locis.

(1) « Ipsum sacramentum *dicitur a quibusdam opus operatum*, usus autem sacramenti est ipsa operatio, quae *a quibusdam opus operans* dicitur » s. Thomas 4. dist. 1. a. 5.

(2) *Operatum* passive accipitur a Lactantio de Institut. div. VII. c. 27 « susceptis *operatisque* virtutibus; » ab Augustino de unit. Eccles. c. 25. « a femina nobili Lucilla *operata* corruptio; » probabilissime a Tertulliano Praescript. c. 57. « tot opera fidei perperam administrata, tot virtutes et charismata perperam *operata*, tot sacerdotia perperam functa » cf. de anima c. 29. *Inoperatum* idem est ac *non factum* apud Ambrosium de Incarn. c. 9. Forte etiam in Vulgata Gal. V. 6. *operatur* est passivae significationis. Vide Petavium de Incarnat. l. VIII. c. 12. n. 16; Bellarminum de Iustificat. II. c. 4; Stapleton l. VIII. c. 29. de Iustificat.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Ad rem ipsam quod spectat hac locutione significatam, *opus operatum* opponitur *operi operantis*. Hoc alterum est operatio actusque *meritorius*, quo ipse operans sibi vel alteri aliquid meretur aut impetrat. *Opus operatum* autem intelligitur non subiectiva operatio, sed obiective ipsum opus editum per se, quin ratio habeatur *meriti* hominis, qui operatur propriisque actibus aut opus ponit aut eius redditur particeps. *Opus operatum* ergo in sacramentis est ipsum visibile sacramentale signum valide positum. Quando igitur sacramenta dicuntur valere *ex opere operato* ad conferendam gratiam; significatur *a*) *positive*, ipsum sensibile signum iuxta Christi institutionem adhibitum valere ad gratiam conferendam; significatur *b*) *negative*, hanc virtutem sacramenta habere, et gratiam sacramentalem conferri *non ex opere operantis*, quod sit sive ab administrante sive a suscipiente, h. e. non ex aliquo actu quatenus *meritorio*, quo ille ministrando, hic suscipiendo sacramentum mereatur gratiam. At *c*) illa formula non significatur excludi, sed immo significatur includi actus liberos ministrantis, quia sine his *opus operatum* nec esse nec intelligi potest, et adsignificantur liberi aliqui actus suscipientis adulti, partim ut ipsum opus operatum valide ponatur, partim ut removeantur impedimenta, quae collationi gratiae ac proinde actuali exsertioni valoris in *opere operato* ad conferendam gratiam obstarent. Quia igitur *opus operatum* valet quidem ad conferendam gratiam, actualis tamen exsertio huius virtutis potest in adultis impediri indispositione repugnante infusioni gratiae, ideo explicite additur in Concilio Tridentino: « sacramenta conferre gratiam *non ponentibus obicem* » sess. VII. can. 6; vel ut habet can. 7: « dari gratiam per sacramenta semper et omnibus, *quantum est ex parte Dei*. »

Iam vero haec virtus sacramentorum est ea ipsa, quam in superiori thesi expressimus, et in verbo Dei revelatam esse demonstravimus. Ergo sensus genuinus, quo a catholicis doctoribus et a Conciliis usurpatur haec formula ecclesiastica, atque docetur sacramenta novae legis valere ad conferendam gratiam *ex opere operato*, et per sacramenta

ex opere operato conferri gratiam *non ponentibus obicem*, quoad rem ipsam est dogma revelatum; quod ad verba autem spectat quibus concipitur, ubi ea iam usu constanti ad certam significationem determinata sunt, non solum homini prudenti displicere non possunt, sed etiam aptissima sunt ad dogma revelatum exprimendum. Doctrina ergo hisce verbis comprehensa, « per sacramenta conferri gratiam *ex opere operato* », impugnari non potest, nisi vel, retento genuino verborum sensu, impugnando ipsum revelatum Dei verbum, vel substituto sensu falso et a mente catholicorum alieno hunc confictum errorem adscribendo universae Ecclesiae, quod utrumque impium est et haereticum. Protestantes inde a sua origine usque ad praesentem diem unum quidem et alterum habuerunt propositum; quia tamen illud prius erat difficillimum propter splendorem veritatis relucentem ex ipsis Scripturis etiam a Protestantibus retentis et ex perpetua traditione ac sensu totius populi christiani, qui a nemine spernitur impune, alterum autem impudentiae erat facillimum et ad doctrinam Ecclesiae catholicae in contemptum adducendam aptissimum, huic potissimum viae calumniarum insistebant et incredibili pervicacia adhuc insistunt.

II. Interpretari itaque solebant et solent formulam in hunc sensum, ut *opus operatum* sit externus actus *suscipientis* sacramentum *meritorius gratiae* per se et quatenus actus externus est, non autem ratione boni alicuius motus interni. Hanc propositionem deinde resolvunt in duas, quae a Bellarmino (l. II. c. 1.) dicuntur contradictoriae et profecto sunt, nisi simul tribuatur catholicis doctrina absurdissima de ratione meriti. Aiunt enim *a*) ex sententia catholicorum *opus operatum* esse opus *meritorium ipsius suscipientis* sacramentum, quo gratiam mereatur; *b*) ex eadem catholicorum sententia *opus operatum* esse opus externum, quod iustificet, etiamsi suscipiatur sacramentum *absque ulla fide aut bono motu* ipsius suscipientis. Adhuc alia inflexione *c*) fingunt, ex sententia catholica non Deum esse qui iustificet, sed sacramentum propria virtute; atque ita Spiritum Sanctum « vices suas resignasse sacramentis »

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ad iustificandos homines. Ex his deinde inferunt Calvinus, Kemnitius et plerique recentiores, a catholicis adscribi sacramentis *vim magicam* (1). Hunc formulae subesse sensum, vel simplici affirmatione sua vel appellatione ad aliqua ex contextu abrupta verba unius vel alterius ex scho-

(1) Abusus huius appellationis « *operatio magica* » ex aliquo tempore etiam apud eruditos quosdam catholicos invalere coepit, ita ut fere omnes modos efficientiae, quae sacramentis tribuatur maior, quam revera sit vel his scriptoribus esse videatur, appellent *operationem magicam*, et hoc nomine reiiciant. Ita concedunt illi catholici, operationem fore *magicam*, si sacramenta operarentur sine bono motu suscipientis; imo aliqui necessarium putarunt asserere, per sacramenta sicut gratiam habitualem ita etiam actum charitatis *ex opere operato* produci in suscipiente, ne operatio sacramentorum videatur esse *magica;* neque enim, aiunt, aliam aptiorem appellationem reperiri posse pro iustificatione adultorum sine actu charitatis perfectae. Pariter ut declarent hi recentiores, virtutem sanctificandi non esse ex naturali efficacia rerum sensibilium, sed esse ex Christi institutione et ex virtute divina, solent dicere, in sacramentis non esse *vim magicam*. Totus hic modus loquendi mea quidem sententia est absurdissimus. Quid enim vero est magia? Est illud scelus, quo per signum aliquod, ex se et natura sua ineptum ad certos effectus producendos, expetitur implicite vel explicite opera daemonis ad illos effectus obtinendos. Sine dubio diabolus in rebus magicis « ipsas quoque res sacramentorum divinorum aemulatur, » ut scribit Tertullianus Praescript. c. 40. (cf. Iustinum Apolog. I. n. 62; Augustinum Civ. Dei l. XX. c. 6.). Vis itaque *magica* unice in eo est, quod a *malo daemone* exposcitur opera ad effectum aliquem obtinendum. Hoc quidem fieri solet per signum seu potius ad signum, quod nec ex se nec a daemone ullam habet virtutem ad talem effectum producendum, sed est et manet merum signum conventionis, ad cuius praesentiam ex pacto explicito vel implicito daemones effectum aliquem sive verum sive simulatum producant. Cf. Aug. doctr. christ. l. II. n. 37. Quare si quis iam ab hac comparatione cum signis magicis non abhorreat, institui ea posset et a veteribus etiam theologis aliquando instituta est potius in sensum contrarium, quod sacramenta non sunt solum signa, ad quorum praesentiam Deus operatur sicut sunt *signa magica*, ad quorum praesentiam ex pacto operantur daemones mali; sed sunt verae causae instrumentales effectuum supernaturalium, gratiae scilicet, et (tria ex illis) characteris sacramentalis. Quod si vero operationem effectuum permanentium et habitualium in anima, qui a dispositionibus suscipientis sacramenta non pendeant, cum recentioribus istis fas est appellare *operationem magicam*, consequens erit, infusionem gratiae in infantibus, et impressionem characteris in illis saltem, qui absque ulla dispositione suscipiant sacramentum, esse *ex vi magica*, quam sane blasphemiam et ipsi detestantur.

lasticis theologis confectum dant, tumque hoc a se adserto sensu formulam in Conc. Tridentino sancitam esse concludunt.

Unus illorum, qui « Symbolicam » Io. Adami Moehler confutandam suscepit, originem formulae eiusque veram significationem a Scoto repetendam esse primum affirmarat; postquam vero facili negotio convictus erat erroris quoad originem, cum usus formulae longe saeculo XIV. sit antiquior, institit tamen contendere, sensum genuinum a Scoto primum esse explicite propositum eum ipsum, quem Protestantes catholicis tribuunt, et quo necessitas omnis boni motus ad iustificationis gratiam consequendam in adultis suscipientibus sacramentum excludatur, huncque sensum deinceps a theologis catholicis fuisse retentum et a Patribus Tridentinis sancitum. Probat hanc formulae significationem verbis ipsius Scoti ex 4. dist. 1. q. 6. n. 10, ut ei quidem videbatur, manifestissimis: « sacramentum ex virtute *operis operati* confert gratiam; *non requiritur bonus motus*, qui mereatur gratiam » (Baur in libro inscripto « Oppositio inter Protestantismum et Catholicismum »). Alii appellant ad sententiam similem Gabrielis Biel (saec. XV.) 4. dist. 1. q. 3: « praeter exhibitionem signi foris exhibiti *non requiritur bonus motus interior* in suscipiente; » ita enim citat Kemnitius omittens verba sequentia, quae Gabriel addit: « non requiritur bonus motus, *quo de condigno vel de congruo gratiam mereatur; sed sufficit, quod suscipiens non ponat obicem.* » (Vid. Bellarminum l. II. c. 1.)

At in primis sensum, quo Concilium Tridentinum intellexerit collationem gratiae *ex opere operato* sacramentorum, nihil opus est ex Scoto tandem colligere, cum declarationes Concilii ipsius sint manifestissimae. Sess. VI. cap. 5. 6. 7. distincte describuntur dispositiones necessariae ad iustificationem tum generatim tum nominatim poenitentia, « quam ante baptismum agere oportet; » et descriptam ibi dispositionem, exsurgentem ex multis actibus supernaturalibus maxime ex fide, sine qua nulli umquam contigit iustificatio, ex odio et detestatione peccati et proposito novae vitae, dicitur consequi iustificatio ipsa, cuius causa finalis

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

est gloria Dei, princeps efficiens est Deus, meritoria Christus, *instrumentalis* sacramentum, formalis inhaerens iustitia. Iterum ibid. can. 9. definitur, praeter fidem aliud adhuc requiri, quod ad iustificationis gratiam consequendam cooperetur, et necesse esse hominem *suae voluntatis motu praeparari atque disponi*. Insuper sess. XIV. cap. 1. et 4. Concilium repetit multiplices necessarias dispositiones ad gratiam per sacramentum baptismi et poenitentiae consequendam; ac tandem concludit verbis disertissimis: « quamobrem falso quidam calumniantur catholicos scriptores, quasi tradiderint, sacramentum poenitentiae absque bono motu suscipientium gratiam conferre, quod numquam Ecclesia Dei docuit neque sensit. » Secundum haec ergo debent intelligi definitiones sess. VII. can. 6. 7. 8. de sacramentis, ubi ex ordine docetur, *a*) sacramenta novae legis conferre gratiam *non ponentibus obicem; b*) dari gratiam per sacramenta semper et omnibus, *quantum est ex parte Dei, si rite ea suscipiant;* denique *c*) per sacramenta novae legis *ex opere operato* conferri gratiam, *nec solam fidem divinae promissionis ad gratiam consequendam sufficere.*

Ex theologis autem praesertim qui floruerunt ante Concilium, possunt quidem aliqui citari, qui videantur exegisse dispositionem tam perfectam, ut iam per se sufficeret ad iustificationem consequendam, etiam extra sacramentum; nullus autem catholicus umquam sive ante sive post Concilium docuit, peccatorem adultum sine bono motu, sine fide, sine aversione a peccato et conversione ad Deum, per sacramentum posse iustificari. Vix autem haec Protestantium calumnia increbuerat, cum omnes catholici, qui de hac re aliquid scripserunt, uno ore eam velut absurdam confutarunt et exploserunt.

Ad Scotum quod spectat, negat is quidem et negant reliqui theologi, ad effectum gratiae, quae confertur per sacramenta, requiri opus operantis *tamquam meritum*, cui gratia retribuatur; sed simul docet, requiri bonum motum *tamquam dispositionem*, qua obex gratiae removeatur. Loco quem obiicit adversarius, Doctor subtilis collationem gratiae in sacramentis veteris testamenti *ex opere operantis* et

ex merito suscipientis comparat cum sanctificatione per sacramenta novi testamenti *ex opere operato*, dummodo obex non ponatur. « Sacramentum novae legis ex virtute *operis operati* confert gratiam, ita quod non requiritur ibi bonus motus interior, *qui mereatur gratiam;* sed sufficit, quod suscipiens *non ponat obicem*. Sed in illis actibus (in sacrificiis et sacramentis veteris legis) non conferebatur ex hoc solo, quod offerens non poneret obicem, sed *tantum conferebatur ex virtute boni motus interioris tamquam meriti* » Scot. l. c. Qui bonus motus interior *tamquam meritum* non requiratur, et qui requiratur *tamquam dispositio ac remotio obicis* ad iustificationem nominatim per sacramentum poenitentiae declarat Scotus 4. dist. 14. q. 4. n. 6–9. Distinguit ibi duplicem viam iustificationis unam extra actualem susceptionem sacramenti per contritionem perfectam tamquam « dispositionem completivam » et tamquam « per virtutem meriti de congruo; » alteram deinde viam esse docet, quando peccator habet solum « dispositionem praeviam » per attritionem, et peccatum remittitur per absolutionem « non quidem ex merito, quia *dispositio interior non erat sufficiens per modum meriti,* sed ex pacto Dei assistentis sacramento suo ad effectum illum, ad quem instituit sacramentum. » Unde ab obiectionem, quod Lazarus primum a Christo suscitatus est a mortuis et postea eductus e monumento, videri ergo necessariam vitam gratiae iam ante confessionem et susceptionem sacramenti, respondet subtilis: « concedo, quod ante perceptionem dignam poenitentiae oportet suscitari vel simpliciter, et tunc per poenitentiae sacramentum non deletur peccatum, sed gratia quae infuit, augetur; vel *suscitari secundum quid,* scilicet ut habeat aliqualem displicentiam de peccatis (h. e. attritionem, ut mox appellat) et propositum cavendi de cetero, et velit suscipere sacramentum poenitentiae, in quo *attritio fit contritio* (quoad effectum per habitum charitatis infusum), et tunc suscitatur simpliciter per sacramentum. » Apparet ergo, quam falsum sit, a Scoto doceri iustificationem per sacramentum ex opere operato *sine bono motu interno;* quamvis sit verissimum, gratiam sacramentalem conferri per ipsum *opus operatum* sacramenti et non

obtineri *per opus operantis tamquam ex merito*, cum opus operantis tantum constituat dispositionem necessariam, atque haec dispositio sit *conditio*, sine qua non confertur, non autem *meritum* propter quod confertur illa gratia.

In loco quem opponunt ex Gabriele, eadem est distinctio inter opus operantis tamquam *meritum* ad effectum sacramenti, quod negatur, et inter actus bonos necessarios ad *dispositionem* debitam comparandam et ad remotionem obicis, qui affirmantur requiri. Imo Gabriel est unus ex illis theologis, qui ante Concilium Tridentinum videntur postulasse in peccatore contritionem perfectam, qua iam ante susceptionem sacramenti poenitentiae sit iustificatus 4. dist. 14. q. 2. Generatim vero ad convincendam calumniam de exclusione boni motus interni ad iustificationem per sacramentum obtinendam, sufficiat haec Gabrielis argumentatio l. c. « *Sine gemitu interiori* nemo adultus renovatur (ut citat Magister ex Augustino). Et ratione arguitur: ad iustificationem impii requiritur *motus liberi arbitrii ut dispositio praevia;* sed per sacramentum poenitentiae iustificatur impius; ergo. Consequentia nota cum minori. Maior est Alexandri, s. Thomae, s. Bonaventurae, Richardi, Durandi, Paludani (requiri nempe *motum liberi arbitrii ut dispositionem praeviam* communis est doctrina scholarum). Ideo dicitur Act. XV: fide purificans corda; quia *motus fidei primo requiritur* ad purificationem. Et probatur ratione post Durandum et Paludanum, quia iustificatio impii est remissio peccati, sed peccatum non remittitur, *quamdiu voluntas eius quod prius volebat, manet in eo;* voluntatem autem recedere ab eo, quod prius volebat, est *displicere ei, quod prius placebat*, in qua displicentia est contritionis dolor. » Pariter de necessaria dispositione ad gratiam recipiendam per sacramentum baptismi docet 4. dist. 4. q. 2, *fictum* intelligi dupliciter, primo eum, qui fingit voluntatem baptismi quam non habet, et hunc neque recipere sacramentum; « secundo ostendendo se esse dispositum ad suscipiendum baptismum, et tamen non est dispositus in animo, aut quia *non habet rectam fidem, aut quia habet peccatum mortale in actu vel in proposito, vel*

complacentiam vel nullam displicentiam de peccato. Et illo secundo modo communiter loquuntur sancti et doctores de ficte accedentibus ad baptismum, qui scilicet accedendo *ponunt obicem gratiae.* »

Sine bono motu igitur adultum iustificari posse, nemo catholicus umquam docuit; docebant tamen id certissime illi ipsi « Reformatores, » qui hoc crimen calumniose catholicis impingunt. Tria enim haec erant principia ipsius Lutheri: *a*) hominem iustificari sola fide, quae sit certa fiducia, sibi propter merita Christi peccata esse remissa, seu potius non imputari; *b*) iustitiam hominis non esse aliud quam externam imputationem, qua Deus eum licet peccatorem respiciat velut iustum; *c*) hanc iustitiam nullis peccatis aliis quam sola incredulitate impediri aut destrui: « nullum malum opus facit malum et damnatum, sed sola incredulitas » (vide Bellarminum de Iustificat. l. IV. c. 1.). Atqui talis fiducia peccatoris evidenter non est *motus bonus* sed persuasio stulta simul et impia. Revera ergo, licet id non faterentur, docebant duces « Reformationis » iustificationem, quae possit esse *sine bono motu;* continetur enim haec doctrina in ipso eorum fundamentali principio de « *sola fide* » iustificante.

THESIS VIII.

Quo sensu fides recenseri possit inter causas iustificationis, quamvis iustificemur per sacramenta ex opere operato

« Quamvis tum generatim actus supernaturales, quibus constituitur » dispositio ad iustificationem, tum nominatim fides referri possint » ac debeant ad aliquod genus causae iustificationis; falsum tamen est, » fidem solam per se spectatam esse dispositionem sufficientem, vel in » doctrina Scripturarum de fide iustificante excludi efficaciam sacramen- » torum ad conferendam gratiam *ex opere operato.* »

I. Si sensu latiori et generico *causa* dicitur omne illud a quo existentia alterius quovis modo pendet, et quo posito existentia alterius sive simpliciter sive saltem concurrentibus ceteris necessariis consequitur; multa sane sunt ordinis inter se diversissimi, quae ad iustificationem peccatoris concurrunt, et quae ideo in aliquo genere possunt

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

et debent dici *causae* iustificationis, sensu alia magis alia minus stricto. Multiplices hae causae enumerantur in doctrina Concilii Tridentini de iustificatione sess. VI. cap. 6. et 7. Causa sensu maxime proprio est sane *causa efficiens*, quae prima et principalis Deus est; ad hunc deinde ordinem efficientis causae revocatur *causa meritoria*, quae est Christus per satisfactionem adaequatam pro nostris peccatis Deo praestitam et per sua merita infiniti valoris; *causa* item *instrumentalis*, cuiusmodi sunt sacramenta. Causa praeterea ibi numeratur *finalis* (1), et causa *formalis* h. e. illa ipsa perfectio ac forma, qua iusti constituimur et sumus.

Praeterea considerari potest causa *materialis* gratiae, ut secundum communem causarum divisionem loqui solent, h. e. ipsum subiectum, *in quo et dependenter a quo* gratia efficitur (2), quae ideo ad vitandam aequivocationem dicitur causa *subiectiva*. Haec est quidem ipsa anima capax supernaturalis elevationis et infusionis gratiae; attamen ut saltem in praesenti ordine providentiae adultus privatus gratia fiat *proxime* capax renovationis per infusionem gratiae, requiruntur aliquae dispositiones animae, et ad has ipsas actus quidam supernaturales (th. VII. n. 1.). Si huiusmodi actus et ipsa dispositio per illos inducta distinguantur, dispositio utpote modus quidam se habendi animae revocatur ad cau-

(1) De causa finali tum in re praesenti de iustificatione tum universim ad distinctam intelligentiam, quomodo gloria Dei sit ultimus omnium finis, utiliter leges Suarez de Gratia T. III. l. VIII. c. 1.

(2) Haec ratio causae materialis sive subiectivae non paucis magni esse videtur, omnibus scilicet illis, qui defendunt efficientiam *physicam* sacramentorum. Quod enim in *fieri* et in *esse* dependet a subiecto, id non proprie *creari* dicitur sed *educi* ex subiecto. Unde quamvis nulla possit esse instrumentalis causa physica creationis, tamen non sequitur, sacramenta non esse causas instrumentales physice concurrentes ad producendam gratiam. Intelligo facile, esse discrimen inter creationem substantiae ex nihilo sui et subiecti, atque inter productionem accidentis in subiecto et cum dependentia a subiecto; verum cum in anima nulla sit veluti vis et seminalis ratio, ex qua gratia quodammodo evolvatur et explicetur, sed mera sit *capacitas passiva* (*potentia obedientialis* dici solet), et non repugnantia ad talem elevationem, nondum intelligo possibilitatem neque tamen evidenter intelligo impossibilitatem causalitatis *physicae* in sacramentis ad producendam gratiam. Sed de hac re inferius.

sam *materialem* seu *subiectivam*, actus vero sunt conditio *sine qua non*, vel causa *per accidens*, et *de congruo* impetratoria ipsius primae iustificationis (1). At non solum in anima per se spectata nihil est quod concurrat ad gratiam efficiendam, nisi mera capacitas et potentia passiva, imo in anima peccatrice est moralis ratio repugnans et positiva indignitas ad infusionem gratiae; sed etiam omnibus illis actibus et dispositionibus, etiam ultimae per actum charitatis, non inest *meritum stricte dictum* et dignitas, cui reddatur *prima* gratia tamquam merces; sunt enim actus adhuc peccatoris et inimici Dei. « Nihil eorum, quae iustificationem praecedunt... ipsam iustificationis gratiam *promeretur* » Trid. sess. VI. cap. 8. (cf. Suarez de gratia T. III. l. VII. cap. 14. n. 6. seqq.; l. XII. c. 24.). Hinc ratio *causae* iustificationis hisce dispositionibus praesertim remotis non eodem modo et eodem rigore significationis convenit sicut causae proprie *meritoriae*, cuiusmodi sunt actus iustorum meritorii gratiae et gloriae (Trid. sess. VI. can. 32.), vel sacramentis (cf. de Lugo de Eucharist. disp. I. sect. 7. n. 120.). Propterea Concilium Tridentinum (sess. VI. cap. 6. coll. 7.) distinguit dispositiones ad iustificationem a *causis* iustificationis, quas ibi enumerat.

Nihilominus tum prima vocatio per gratiam illustrationis et motionis, tum fides concepta sub auxilio gratiae per liberam cooperationem, tum timor salutaris iudiciorum Dei, tum spes in eius misericordia, tum initium vel actus charitatis, et cum eo iuncta detestatio peccati, et propositum novae vitae, atque explicitum vel in his implicite inclusum desiderium sacramenti seu baptismi seu poenitentiae, quos actus tamquam constituentes dispositionem a primo exordio usque ad complementum enumerat Concilium (cap. 6.), haec inquam omnia diriguntur et ordinantur ad iustificationis gratiam obtinendam (2). Insuper sine hac dispositione comple-

(1) Quoniam etiam augmentum gratiae seu infusio *gratiae secundae* appellatur *iustificatio* iuxta illud Apoc. 22. 11: « qui iustus est, iustificetur adhuc; » hinc inducitur distinctio iustificationis *primae* quae est translatio a statu peccati ad statum gratiae, et iustificationis *secundae* (cf. Trid. sess. VI. cap. 4. 7. 10.).

(2) Si fides, spes et virtutes aliae intelligantur ut *habitus informes*,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ta per charitatem nemo umquam extra sacramentum *ex opere operantis* impetrare potest iustificationis gratiam, atque in sacramento ipso non sine dispositione accommoda per fidem, spem et poenitentiam; cum hac dispositione autem infallibiliter ex Dei promissione semper obtinetur. Praeterea actibus ultimae dispositionis (actui charitatis et ex ea profectae contritionis) inest meritum *congruum* immediate ad iustificationem ipsam obtinendam. Quin etiam *dispositioni ultimae* sufficienti ad gratiam per sacramentum *ex opere operato* consequendam dici debet inesse non quidem meritum congruum *ad ipsam hanc gratiam sacramentalem*, sive ad hunc gratiae gradum ex sese et ex *opere operantis* immediate consequendum, sed tamen congruitas, ut iuxta mensuram supernaturalis bonitatis actuum disponentium valor sacramentorum, ex meritis Christi infinite patens, plus gratiae in melius disposito quam in minus disposito operetur (cf. th. VI. n. I.) (1).

Haec dispositionis ordinatio, necessitas, congruitas ad impetrandam gratiam iustificationis abunde satis est, ut singulis etiam partibus dispositionis et singulis actibus disponentibus tamquam *causis in aliquo ordine* (cf. Suarez de Gratia l. VIII. c. 9.) possit et debeat tribui iustificatio *affirmantibus locutionibus*, e. g. *fides iustificat, timor Dei iustificat*, etc. Ad huiusmodi enim affirmationum veritatem sufficit, ut tales actus vel dispositiones contineantur *in aliquo ordine* inter causas iustificationis; sed non significatur, eas esse per se causas sive immediatas sive adaequatas et sufficientes ita, ut non sint et requirantur causae adhuc aliae sive in eodem sive in alio causalitatis ordine.

Sane ut nihil nunc dicamus de causa iustificante prima efficiente, de causa finali, de causa prima meritoria et de

erunt quidem ante iustificationem *dispositiones* ad illam, in iustificatis autem isti habitus iam *charitate formati* pertinebunt ad ipsam inhaerentem iustitiam, atque ideo veluti partes ad *causam formalem* iustificationis seu potius iustitiae.

(1) Alia est ratio in sacramento poenitentiae, ubi virtus poenitentiae manifestata ingreditur tamquam pars *ad modum materiae* ipsum signum sacramentale efficax gratiae (supra p. 37. seqq.).

causa formali, de quibus in praesenti nulla potest esse dubitatio, sed consideremus solum ea, quibus homo aliquo modo concurrit ad iustificationem; in Scripturis legimus locis paene innumeris in hunc sensum: « genuit nos *verbo veritatis*... suscipite insitum *verbum*, quod potest salvare animas vestras » Iac. I. 18. 21; « unus est Deus, qui iustificat circumcisionem *ex fide* et praeputium *per fidem*... Iustificati ergo *ex fide* pacem habeamus ad Deum » Rom. III. 30; V. 1; et « omnis qui habet hanc *spem* in eo, sanctificat se, sicut et ille sanctus est » 1. Io. III. 3; et « *timor Domini* expellit peccatum... *timor Domini* fons vitae » Ecclesi. I. 27; Prov. XIV. 27; et « *eleemosyna* a morte liberat, et *ipsa* est, quae purgat peccata » Tob. XII. 9; et « si impius egerit *poenitentiam* ab omnibus peccatis suis... vita vivet et non morietur; omnium iniquitatum eius, quas operatus est, non recordabor » Ez. XVIII. 21; et « remittuntur (1) ei peccata multa, quoniam *dilexit* multum » Luc. VII. 47. (cf. Suarez de Gratia l. VIII. c. 10.).

Sine dubio igitur *locutionibus affirmantibus* tribuitur omnibus his actibus ratio causalis ad iustificationem; dicimur enim iustificari *ex fide* et *per fidem* simili locutionis forma ac dicimur renasci *ex aqua* et salvi fieri *per lavacrum* (cf. Bellarminum de Iustific. lib. I. c. 17.). Sed non propterea ad *eundem causalitatis ordinem* pertinent, nec *eodem efficientiae modo* iustificant fides aliive actus enumerati ac sacramenta. Actus enim huiusmodi supernaturales virtutum ex propria natura et dignitate habent congruentiam ac ordinem quendam in actu primo, et supposita misericordi promissione Dei in actu secundo ad impetrandam iustificationem primam; et si fiant ab homine iam iustificato, habent meritum condignum ad augmentum gratiae: adeoque praeparant ad gratiam vel merentur gratiam *ex opere operantis* secundum proprium *supernaturalem valorem moralem;* non autem sunt ex institutione et ordinatione Dei assumpti ad conferendam gratiam *citra meritum hominis* per solam applicationem meritorum Christi (exceptis actibus poenitentiae, quando ingrediuntur constitutionem signi

(1) Graece: « *remissa sunt ἀφεωνται* peccata eius multa. »

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

sacramentalis in sacramento poenitentiae). Sacramenta contra non sunt subiectivi actus meritorii hominis iustificandi, sed sunt aliquid *obiectivum*, quod suo valore saltem morali et dignitate derivata ex meritis Christi et institutione divina sanctificat, etiamsi homo in actu collationis nihil mereretur sed passive tantum se haberet, dummodo in eo non sit *obex* seu impedimentum repugnans gratiae infusioni, ut apparet in iis, qui sanctificantur sensibus destituti, et adhuc manifestius in infantibus. Quae quidem sacramentorum virtus satis demonstrata est in thesi VI.

Ex dictis intelliges, absurdas esse obiectiones, quae aliquando fieri audiuntur ex locutionibus Scripturae de fide aliisque actibus virtutum tamquam *causis gratiae*, quasi inde infirmarentur argumenta ad demonstrandam efficaciam sacramentorum ex Scriptura et Patribus deprompta. Particulae *ex* et *per* retinent omnino suam significationem *causalem*, quando dicimur iustificari *ex fide* et *per fidem;* verumtamen *qualis* causa sit, non ex hisce particulis, sed vel ex natura rei quae causa dicitur, vel ex doctrina aliunde deprompta colligendum est. Ad obiectionem igitur, quod dicimur iustificari *ex fide* sicut renasci *ex aqua*, respondetur distinguendo: *hac sola locutione* declaratur ratio causae in fide et in sacramentis, quin simul ostendatur, qualis sit causa, *nego; hac etiam locutione* exprimitur causalitas tum fidei tum sacramentorum, *subdistinguo:* causalitas diversi ordinis, *concedo;* eiusdem ordinis, *nego*. Sed ratio haec causalitatis duplicis ac diversae in fide et in sacramentis distinctiorem postulat declarationem, ad quam progredimur.

II. Posset in primis universim quaeri, quomodo doctrina paulo ante exposita de dispositionibus ad iustificationem componatur cum efficacia sacramentorum ad conferendam gratiam. Si enim postulatur dispositio, et ultima dispositione ex opere operantis ut merito congruo vel condigno supposità, iuxta promissionem divinam consequitur collatio gratiae, nullus videri posset locus relinqui sanctificationi per sacramenta ex *opere operato*. At vel agitur de collatione gratiae *primae* vel de collatione gratiae *secundae*. Datur utique perfecta aliqua dispositio, ad quam semper sequitur ex opere operantis et merito congruo iustificatio peccatoris. Si ergo talis dispositio esset simul dispositio *semper necessaria* ad tollendum obicem et ad effectum gratiae per sacramentum obtinendum, consequens foret, obicem prae quovis sacramento esse peccatum mortale, et hoc numquam remitti *ex opere operato;* proindeque nullum sacramentum esse institutum ad conferendam gratiam *primam*. Ita revera aliqui theologi quoad adultos, ut supra indicavimus, ante Concilii Tridentini definitiones sensisse videntur. Attamen inde non sequeretur, per sacramenta non conferri gratiam *secundam* ex *opere operato;* neque enim potest esse dispositio meritoria gratiae ex *opere operantis*, quin gratia ulterior supra meritum conferri queat ex *opere operato* et virtute ipsius sacramenti. Verum ex doctrina certissima Scripturae et traditionis constat, esse aliqua sacramenta instituta ad peccati remissionem etiam pro adultis, et proinde dispositionem aliquam esse, quae licet cum *immediata remissione* peccati ne ex congruo quidem merito coniungatur, sit tamen sufficiens ad tollendum obicem repugnantem effectui sacramenti, et habeat congruitatem *ad remissionem peccati per sacramentum*. Manifestum id est ex eo, quod *poenitentes* adhuc non remissis peccatis iubentur baptizari *in remissionem peccatorum* (Act. II. 38.), tum quod iudices instituti sunt Apostoli et eorum successores *ad peccata remittenda vel retinenda* (Io. XX. 23.).

At controversia haec praesens est cum Protestantibus, qui efficaciam sacramentorum negantes, causam velut instrumentalem sicut iustificationis universim, ita etiam iustificationis in sacramentis *solam fidem* agnoscunt; adeoque non is est status quaestionis, quod catholici simpliciter negent et Protestantes affirment, fidem esse causam iustificationis; sed quaestio est *de modo, quo fides habeat rationem aliquam causae* in negotio iustificationis. Quatuor praecipua sunt capita haereseos Protestantium in doctrina de iustificatione, mutuo inter se et cum eorum sententia de natura ac scopo sacramentorum intime nexa. *a*) Docent, *iustitiam christianam*, qua coram Deo acceptamur et qua, ut Paulus ait, non apud homines sed apud Deum habemus gloriam (Rom. IV. 2.), non

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

esse quidpiam ontologicum inhaerens animae, nec ethicam mutationem, nec theologicum supernaturale donum; sed esse ipsam *iustitiam Christi, quam Deus nobis imputat*, et propter quam nos licet manentes in nostris peccatis, reputat et acceptat velut iustos ac filios. *b*) Ut iustitia Christi hoc modo nobis imputetur et nos iusti reputemur, unice fit *per fidem*. *c*) Hanc fidem iustificantem, aiunt, non esse *fidem dogmatum*, qua propter auctoritatem Dei credimus omnia divinitus revelata, et quam ipsi appellant *fidem historicam;* sed esse *fidem specialem*, qua singuli certissime credant, sibi singillatim imputari merita Christi, et ideo sibi non imputari sua peccata, sed haberi se coram Deo tamquam iustos (1); hanc itaque *fidem specialem* ubique intelligendam esse, ubi in Sripturis sermo est de iustificatione *ex fide* et *per fidem*. Neque vero in ipsa hac fide, aiunt, esse aliquod meritum; sed eam esse tantummodo « manum, qua apprehendamus merita Christi, » et ea nobis reddamus propria. Hinc *d*) praeter fidem nec esse nec requiri ullam aliam internam dispositionem, quae quidquam conferat ad iustificationem. Nam antecedenter ad iustificationem, quidquid est actuum humanorum, totum est peccatum; consequenter ad iustificationem, si charitas et virtutes aliae adsint (disputant enim, utrum debeant adesse, an possint etiam abesse) (2), illis nullatenus constituitur iustitia christiana, quae est *ex sola fide;* sed sunt fructus quidam connexi et manifestationes ac signa verae fidei.

Ex hac theoria iustificationis consequitur eorumdem Protestantium doctrina de sacramentis, quod sicut universim, ita etiam in sacramentis *sola fides* iustificat: unde ex parte hominis non alia praeter fidem requiritur dispositio,

(1) Est *fides generalis*, qua creditur Deus iustificare peccatores (rite dispositos); sed credendum esse aiunt, me ipsum *speciatim* seu *in individuo* haberi a Deo ut iustum propter merita Christi *mihi* imputata; ideo haec dicitur *fides specialis* in oppositione ad *fidem generalem*.

(2) Doctrinam Georgii Maioris et Maioristarum « bona opera esse necessaria ad salutem » diris persecutionibus exagitarunt plurimi doctores lutherani, ac tandem damnarunt in « *formula concordiae.* » Aliqui (Amsdorf, Wigand) etiam defenderunt *piam* doctrinam, qua statuebant, *bona opera esse noxia ad salutem aeternam*.

et ex parte sacramentorum non alia est virtus non alius scopus, quam ut excitent et foveant fidem, quae sola iustificat. Nobis in praesenti non de doctrina iustificationis universim, sed de his solum duobus capitibus agitur. Negamus, fidem per se spectatam et citra dispositiones alias esse sufficientem praeparationem ad iustificationem etiam in sacramento; multo vero magis negamus, *fidem solam* iustificare, et virtutem sacramentorum restringi ad excitationem fidei ita, ut excludatur eorum efficacia ad conferendam gratiam *ex opere operato*. Intelligimus autem fidem, qualis in Scriptura exhibetur ut iustificans, supponendo nunc falsam interpretationem Protestantium de natura illius fidei alibi refutatam. (Vide Bellarminum de Iustificat. l. I. c. 5. seqq.; Suarez de Grat. T. III. l. VIII. c. 16.)

Praeter fidem multiplices in Scripturis enumerari dispositiones, quibus tribuitur iustificatio, quantum huc pertinet, satis est demonstratum paulo superius (n. I. in hac thesi); et vim insuper iustificandi in iisdem sacris litteris vindicari sacramentis, abunde ostendimus thesi VI. Si ergo nihilominus contenditur, fidem solam esse dispositionem requisitam, et quidem solam sive extra sacramenta sive in sacramentis; nihil reliquum est, quam ut dicatur, in aliis dispositionibus id, quod confert ad iustificationem, esse solam fidem quae in eis includitur, et sacramenta unice pertinere ad excitandam fidem, quae sola iustificet. Atqui hoc utrumque falsum demonstratur tum argumentis *positivis* in Scriptura ipsa consignatis, tum argumento *negativo*, quod Protestantes nullam habent probationem, quae aliquam veri speciem praeseferat.

1. Argumenta *positiva* ineluctabiliter demonstrant insufficientiam dispositionis per solam fidem.

a) Docetur *universim*, fidem non sufficere ad christianam iustitiam, nisi accedat charitas: « si habuero omnem fidem ita, ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum » 1. Cor. XIII. 2. Esse sermonem de fide, quae requiritur in christianis, et quae in suo ordine et suo modo est iustificans, manifestum est tum ex intensione locutionis *omnem fidem*, tum ex verbis, quibus Apo-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

stolus concludit totam hoc capite institutam comparationem aliarum virtutum ac charismatum cum charitate : « nunc autem manent *fides*, spes, charitas, *maior autem horum est charitas* » ib. v. 13. Praeterea *fides* et ab aliis dispositionibus separabilis est, et, nisi alia accedant, per se sola et seiuncta ab aliis in ordine ad effectum salutis mortua est. S. Iacobus c. II demonstrat in Abraham tamquam in exemplari, fidem non sufficere solam ; sed sicut alia non possunt esse sine fide, ita et fidem esse consummandam per alia, ut iustitia christiana possit consistere. « Vides quoniam *fides cooperabatur operibus illius*, et *ex operibus fides consummata* est (ἐτελειώθη). Et suppleta est Scriptura dicens: credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad iustitiam. » Suppletam esse ait Scripturam, videlicet hunc solum esse plenum sensum illius fidei, qua Abraham iustificatus esse in Scriptura dicitur. Prosequitur Apostolus : « videtis quoniam *ex operibus iustificatur homo et non ex fide tantum*... Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est, ita et *fides sine operibus mortua est* » Iac. II. 23-26 (1). Ad hunc sensum etiam Paulus docet, charitatem esse veluti formam fidei ad efficiendam et constituendam iustitiam christianam: « nos enim spiritu ex fide (in oppositione ad observantias iudaicas) spem iustitiae exspectamus. Nam in Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet, neque praeputium, sed *fides quae per charitatem operatur* » Gal. V. 6. Ubi verbum *operatur* (πιστις δι' ἀγαπης ἐνεργουμενη) proba-

(1) Suppleta est per hanc s. Iacobi expositionem etiam doctrina s. Pauli ep. ad Rom. h. e. genuinus eius sensus declaratus, quando ait: « arbitramur iustificari hominem *per fidem sine operibus legis*... si enim Abraham ex operibus iustificatus est, habet gloriam sed non apud Deum » Rom. III. 28; IV. 2. Iam s. Augustinus animadverterat (l. de Fide et Oper. c. 14.), epistolam Iacobi cum nonnullis aliis scriptam fuisse ad corrigendam pravam intelligentiam doctrinae s. Pauli de fide et operibus. Hunc Iacobi scopum fuisse, multis probavit inter ceteros Leonardus Hug (Introd. in N. T. T. II. §. 157.). Lutherus haerens in falsa interpretatione verborum s. Pauli a s. Iacobo confutata epistolam hanc apostolicam, ut notum est, sprevit velut « stramineam » (vide tract. de Tradit. th. XX. nota ultima). In his tamen probris Calvinus cum suis, imo ipsi Lutherani plerique ducem suum sequi ausi non sunt.

biliter passive sumitur (Petavius Incarnat. VIII. c. 12. n. 16; Bellarminus Iustificat. II. c. 4; Stapleton Opp. T. II. de Iustificat. l. VIII. c. 29.), ut idem significetur ac *fides vivificata, informata per charitatem;* unde theologorum modus loquendi de *fide formata* et de *fide informi*. Quod non ita intelligi debet, ac si fides in ratione sua formali fidei constitueretur per charitatem; sed ita, ut fides sine charitate esse quidem possit, verum non sit ipsa iam perfecta iustitia christiana, nec ad eam ultima dispositio; charitas sit perfectio, sed sine fide non sit; charitas absolvat quod fide est inchoatum, charitas impleat quod fides ostendit, ac proinde charitas sit forma non interna sed externa fidei (1). « Fides et charitas initium vitae et finis, *initium quidem fides, finis vero charitas*. Haec duo in unitate coniuncta Dei sunt » s. Ignatius epist. ad Ephes. n. 14. Hinc sicut fides sine charitate mortua est, ita « qui non diligit, manet in morte » 1. Io. III. 14.

b) Quando iam constat, *universim* non solam fidem sufficere ad iustificationem; manifestum est, in sacramentis, si quid pertineant ad iustificationem, non posse cum Protestantibus efficientiam distribui ita, ut iustificatio sit *per solam fidem*, sacramenta vero in Scripturis et in professione totius antiquitatis christianae eatenus tantum dicantur remittere peccata, mundare, abluere, regenerare, quatenus fidem excitent et foveant, per quam solam remittantur peccata. Praeterea pro adultis fides ac praeter fidem poenitentia praeexiguntur in Scripturis et in traditione christiana ad susceptionem sacramenti *in remissionem peccatorum;* ergo *fide et poenitentia* simulque *statu peccati* suppositis, ipsum sacramentum dicitur efficere remissionem peccatorum. Proinde datur vera fides et poenitentia aliqua, quae non sufficit per se ad remissionem peccati, et quae tamen est sufficiens, ut remittatur peccatum per sacramentum (vide supra p. 52.).

(1) « Non dicitur esse forma fidei charitas per modum, quo forma est pars essentiae, sic enim contra fidem dividi non posset; sed in quantum aliquam perfectionem fides a charitate consequitur; sicut in universo elementa superiora dicuntur esse ut forma inferiorum » S. Th. Verit. q. 14. a. 5. ad 1.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

c) Denique tam in Scriptura quam in praedicatione ecclesiastica omnium aetatum efficacia sacramentorum clare describitur ita, ut tamquam effectus non possit intelligi solum excitatio fidei, per quam iustificemur; sed necessario intelligatur iustificatio et sanctificatio vi et virtute ipsius sacramenti. Huc pertinet, quod in descriptione virtutis et actionis sacramentalis ad iustificandum in Scripturis fere semper *in recto* exprimitur ipsum elementum non autem verbum, et numquam verbum *praedicationis* tamquam sanctificans, ut manifestum sit, non exhiberi signum ordinatum principaliter ad intellectum et ad excitationem fidei, sed exhiberi causam ipsius immediatae iustificationis per consecrationem et initiationem. Regeneramur *ex aqua*, mundamur *per lavacrum*, *abluuntur* peccata, sacramentalis gratia est in nobis *per impositionem manuum*. In sacramento poenitentiae in recto exprimitur quidem verbum, sed quod non sit per modum praedicationis, sed sit iudicialis sententia ex auctoritate remittens peccata (Io. XX. 23.); pariterque in extrema unctione verbum non est per modum propositionis et praedicationis ad infirmum, sed exprimitur, in coniunctione cum unctione olei, ut oratio efficax et salvans super infirmum (Iac. V. 14. 15.). Huc deinde pertinet discrimen inter baptismum Ioannis, qui est baptismus poenitentiae et baptismus in aqua, atque inter baptismum institutum a Christo, qui est baptismus in remissionem peccatorum et baptismus in Spiritu Sancto. Huc postremo potissimum pertinet universalis christiana professio et Patrum explicatio, quod Spiritus Sanctus sanctificat signum visibile, et ita hoc vim combibit sanctificandi; quod ipsum visibile sacramentum sanctificatum in se continet virtutem ad sanctificandum et transmutandum hominem, et reliqua supra exposita; sunt enim in hunc locum transferenda omnia, quae adtulimus th. VI. n. III.

2. Reliquum est, ut dicamus de eo, quod superius appellavimus *argumentum negativum*, de inanitate videlicet probationum, quibus persuadere volunt Protestantes, fidem solam iustificare; unde consequens sit, sacramentorum operationem non posse esse aliam, quam ut fidem hanc iustificantem excitent et foveant. Revocantur argumenta eorum

ex Scripturis petita omnia ad duplicem classem, ad propositiones scilicet simpliciter *affirmantes*, et ad propositiones, quas putant *excludentes*. Ad priorem classem pertinent testimonia, quibus dicitur: « iustificati ex fide, pacem habeamus » Rom. V. 1; « iustus ex fide vivit » Rom. I. 17; Gal. III. 11; Heb. X. 38; (Habac. II. 4.); « fide purificans corda eorum » Act. XV. 9; « notum vobis facio evangelium, quod praedicavi vobis... per quod et salvamini » 1. Cor. XV. 1. 2. etc. Ad alteram classem possunt referri in primis testimonia excludentia, ut putant, necessitatem et valorem omnium operum distinctorum a fide. « Arbitramur, hominem iustificari per fidem sine operibus legis » Rom. III. 28; « gratia enim estis salvati per fidem... non ex operibus » Eph. II. 8. 9. etc. Tum huc referunt maxime propositiones universales. « Ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam » Io. III. 15; « remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes, qui credunt in eum » Act. X. 43; « in hoc omnis, qui credit, iustificatur » Act. XIII. 39; « omnis qui credit, quoniam Iesus est Christus, ex Deo natus est » 1. Io. V. 1. etc. Denique tertio loco adferunt unum vel alterum textum, in quo solius fidei virtus iustificans exprimi videtur speciatim comparate ad sacramenta. « Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur » Mr. XVI. 16; ergo fides sola sufficit, aiunt, ut quis non condemnetur, ac proinde salvat sola, non autem salus adscribitur sacramento. « Mundans eam lavacro aquae in verbo vitae » Eph. V. 26; atqui verbum vitae est praedicatum evangelium; ergo mundatio adscribitur evangelio praedicato, cui respondet fides. « Salvos facit baptisma non carnis depositio sordium, sed bonae conscientiae interrogatio in Deum per resurrectionem Iesu Christi, qui est in dextera Dei deglutiens mortem » 1. Pet. III. 21; atqui resurrectio Christi apprehenditur fide; ergo fides est, quae in baptismo salvos facit.

a) Responsio ad haec argumenta ex principiis hucusque statutis sit prima generalis. In iustificatione tam prima quam secunda, h. e. tam in iustificatione peccatoris quam in augmento gratiae in iustis, considerari debet *opus ope-*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

rantis, quo peccator ad illam se disponit, et iustus gratiam ulteriorem meretur; tum considerari debet collatio gratiae *ex opere operato* per sacramenta. Fides subiectiva pertinet ad opus operantis et ad dispositionem. Atqui opus operantis in ordine ad iustificationem nullum esse potest, quod excludat efficaciam sacramentorum ex *opere operato*, ut superius demonstratum est. Ergo neque fides, eo ipso quod in negotio iustificationis continetur intra ordinem *operis operantis*, opponitur aut repugnat efficaciae sacramentorum *ex opere operato*, quaecumque demum fidei intra illum ordinem vis tribuatur. Ergo etiamsi diceretur, *solam* fidem iustificare, cum id intelligi necessario deberet de causalitate *operis operantis* per modum dispositionis vel meriti, inde nulla repeti posset oppositio adversus argumenta, quibus efficacia sacramentorum demonstratur, nec ulla esset ratio ad detorquendum obvium et clarum sensum testimoniorum, quibus illa efficacia enuntiatur. Aliis verbis: causalitas sacramentorum *ex opere operato* et causalitas fidei *ex opere operantis*, quaecumque haec esse supponatur, nec sibi opponuntur, nec se invicem excludunt, quia sunt in diverso ordine, et quia alius est gradus gratiae conferendus *ex opere operantis*, et alius conferendus *ex opere operato*.

b) Attamen haec responsio est potius indirecta, nec declarat, quomodo fides sit et dicatur causa iustificationis. Ut intelligantur itaque testimonia, quae a Protestantibus obiici consueverunt, imprimis distinguatur *fides, verbum Dei, evangelium* spectatum *obiective*, et *fides subiectiva* h. e. actus vel habitus fidei. Fides obiectiva et evangelium, ut est complexus omnium dogmatum, praeceptorum et institutorum divinorum, comprehendit in se omnia media iustificationis et inter haec etiam sacramenta, atque hoc sensu intellecta fides ac evangelium, quatenus ab homine suscipitur et exsecutioni mandatur, sane iustificat et sanctificat, sive potius Deus et Christus per evangelium iustificat. « Evangelium virtus Dei est in salutem omni credenti, Iudaeo primum et Graeco; iustitia enim Dei (iustitia qua a Deo iustificamur, vel actio iustificans Dei) in eo revelatur (manifestatur et splendet) ex fide in fidem (a prima inchoatione, quando

suscipitur, usque ad supremam perfectionem sanctitatis) » Rom. I. 16. 17.

c) Verumtamen quaestio potissimum est de fide *subiectiva*. Sic fides est initium iustificationis, radix et fundamentum omnium actuum ac virtutum supernaturalium, quibus vel peccatores ad iustificationem disponuntur, vel iustificati eius merentur incrementum; actus enim mere naturales, sive ante initium fidei sive etiam fide iam supposita, neque positive disponunt ad gratiam, nec conferunt ad augmentum gratiae. Nonnisi fide salutariter cognoscitur Deus ultimus finis, ad quem tendendum: « sine fide impossibile est placere Deo; credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, et inquirentibus se remunerator sit » (Heb. XI. 6.). Nonnisi fide cognoscitur Christus redemptor, praeter quem « non aliud nomen est sub coelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri » Act. IV. 12. Fide cognoscitur et aversio a Deo per peccatum et gravitas peccati; cognoscitur divina iustitia quae placanda, divina misericordia ad quam confugiendum, divina bonitas quae amanda; cognoscitur infirmitas hominis et potentia divini adiutorii; cognoscuntur media omnia auctore Christo proposita aut instituta, interque haec maxime sacramenta ad conciliandam Dei gratiam et acquirendam salutem. Neque fides est solum theoretica cognitio, sed ipsa practice inclinat et primum disponit animam ad salutarem timorem, ad supplicem orationem, ad spem, ad poenitentiam, ad charitatem, ad observationem mandatorum Dei, ad fructiferum usum sacramentorum, ad omnem vitae sanctitatem; nec ulla potest esse inchoatio, progressio, perfectio iustitiae supernaturalis in hac vita, quae, quantum ad opus operantis, non progerminet ex fide tamquam prima radice, non innitatur fidei tamquam fundamento; et quatenus est ex opere operato, in adultis non supponat fidem ut radicem et fundamentum necessariae dispositionis. « Ex fide autem ideo dicit Apostolus iustificari hominem, non ex operibus, quia *ipsa prima datur, ex qua impetrentur cetera*, quae proprie opera nuncupantur, in quibus iuste vivitur » (s. Augustinus de Praedest. SS. c. 7. n. 12.).

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Ex his iam intelligitur α) hominem iustificari ex fide et per fidem, tamquam ex prima inchoatione iustificationis et ex radice omnium dispositionum; non tamen excludi sed imo adsignificari ceteras dispositiones, quarum ipsa est radix, et ceteras causas nominatimque sacramenta, ad quorum fructum percipiendum fides cum reliquis dispositionibus et praeparat et inducit. Intelligitur pariter, iustum ex fide vivere, non quod nullae sint aliae causae, quibus vita iustorum gignatur, conservetur, foveatur et augeatur; sed quod ipsa est fundamentum, cui tota vita iusti innititur. Haec erit responsio ad primam seriem testimoniorum *affirmantium*.

Porro β) eo ipso quod fides est initium et fundamentum omnis iustitiae christianae, *opera*, quatenus sunt citra et extra fidem nec progrediuntur ex principio supernaturali gratiae, sive sint opera legis sive opera moralia ex solis viribus naturae, nihil positive conferunt ad iustitiam christianam. Unde iustificatio est ex fide et non ex operibus, quae sint opera adaequate distincta seu potius separata a fide; at non est sine operibus, si intelligantur dispositiones et opera bona ac virtutes, quae habent principium et fundamentum in fide; nec sane inter opera illa, quae ab Apostolo fidei opponuntur, censeri possunt sacramenta, quae maxime *fide obiectiva* comprehenduntur, et nonnisi *fide subiectiva* ceterisque dispositionibus suppositis rite et cum fructu sanctificationis ab adultis suscipiuntur.

Tum non solum nemo sine fide iustificatur, sed etiam fides ex se ordinatur ad ulteriores dispositiones et ad iustificationem, atque adeo omnis qui fidei documenta sequatur et media adhibeat, ad quae fides inducit, iustificatur. Potest ergo spectari fides, quae contra suum scopum culpa hominis maneat sterilis et solitaria, et de hac dicitur: « si quis fidem dicat se habere, opera autem non habeat, numquid fides poterit salvare eum? » (Iac. II. 14.). Potest deinde spectari fides, ut scopum perfectionis, ad quem ordinatur, assequitur, et est fides quae « per charitatem operatur ». De hac simpliciter valent dicta universalia et absoluta: » in Christo omnis, qui credit, iustificatur; Christo omnes prophetae testimonium perhibent, remissionem peccatorum ac-

cipere per nomen eius omnes, qui credunt in eum etc. » Ex his igitur patet, quid sibi velint testimonia allata secundo loco, quae a Protestantibus dicuntur *universalia* et *excludentia*, pro iustificatione *ex sola fide*.

γ) Reliquum est, ut respondeatur ad testimonia, in quibus solis aliqua relatio inter fidem et sacramenta exprimitur. Ad primum ex Marc. XVI. 16: Christus Dominus ibi Apostolis tradit potestatem et officium praedicandi evangelium omni creaturae, cui mandato respondet ex parte omnium gentium officium credendi, h. e. ut amplectentes evangelium, doctrinam scilicet, praecepta, instituta Christi reddantur fideles. Unde verbis quae h. l. sunt: « qui crediderit », apud Matth. XXVIII. 20. respondent haec alia: « docentes eos *servare omnia, quaecumque mandavi vobis.* » Quamvis igitur solum diceretur: « praedicate evangelium omni creaturae; qui crediderit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur »; etiam ita non posset censeri sola fides sufficiens ad salutem, sed deberent intelligi necessaria omnia instituta evangelica, de quibus aliunde constare posset. At Christus h. l. diserte praeter fidem baptismum tradidit ac praecepit ut necessarium ad salutem: « qui *crediderit et baptizatus fuerit*, salvus erit. » Ergo primo, qui crediderit quidem, non tamen eatenus ut velit etiam baptizari, salvus non erit. Deinde est aliqua fides et fidei perfectio, quae antecedit baptismum et sufficit tamquam dispositio, ut quis iustificetur et salvus sit per baptismum, quae tamen non sufficit sine baptismo ad iustificationem et salutem. Ubi vero duo postulantur vel ut causa vel ut conditio ad aliquem effectum, effectus deficiente alterutro non obtinetur. Hinc baptismus exhibetur necessarius ad salutem non solum ratione *praecepti*, quatenus quispiam eius neglectu violet legem Dei, et ideo propter hoc peccatum non salvetur; sed exhibetur necessarius etiam ut *medium* ad iustificationem et proinde ad salutem, quia datur talis quaedam dispositio, quacum componitur adhuc status peccati et reatus damnationis, et in qua dispositione potest per baptismum et tantummodo per baptismum effici iustificatio.

Commentarius hic ad verba Christi affirmantia: « qui cre-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

diderit et baptizatus fuerit, salvus erit », continetur in aliis ipsius Christi verbis formae negantis: « nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei » Io. III. 5. Quod vero inferunt, penes Marcum non baptismo sed soli fidei adscribi salutem, eo quod in altero inciso Christus dixit: qui non crediderit, condemnabitur; non autem dixit: qui non fuerit baptizatus, condemnabitur; haec inquam argumentatio plane absurda est, non secus ac si quis ita concluderet: qui cucurrerit in stadio et modo praescripto attigerit metam, accipiet bravium, qui vero non cucurrerit in stadio, non accipiet bravium; ergo acceptio bravii tribuenda est soli cursui, non autem assecutioni metae. Videlicet cursus est necessarius, quia sine eo meta debito modo attingi non potest; formalis tamen ratio cur bravium obtineatur, est debita assecutio metae. Ubi enim plura concurrunt necessaria ad unum effectum, ut paulo ante dixi, defectus unius sufficit ad negationem effectus; non tamen inde licet inferre: ergo illud unum sufficit ad positionem effectus, nec aliae sunt causae ad illum necessariae. Ita ergo qui non crediderit, condemnabitur; quia non credens neque baptizatur, vel certe non potest baptizari cum effectu iustificationis et salutis. Non tamen inde licet concludere: ergo baptismus non est necessarius ad iustificationem, vel non est causa iustificationis; sed solum potest inferri: ergo ei qui recusat credere (ἀπιστησας), neque baptismus proficeret ad salutem. « Deest bono catechumeno baptismus ad capessendum regnum coelorum, sicut deest malo baptizato vera conversio; qui enim dixit: nisi quis renatus fuerit etc., dixit etiam: nisi abundaverit iustitia vestra » etc. s. Augustinus de Bapt. l. IV. c. 21. Ceterum ubi deest fides vel ut dispositio in adultis vel ut effectus baptismi in parvulis, ibi semper deest etiam vel baptismus ipse vel fructus baptismi, iustificatio et salus; ubi autem inculpabiliter deest *actualis* susceptio baptismi, non necessario deest in adultis fides per charitatem vivificata, et proinde potest esse iustificatio ex *opere operantis* et salus aeterna. Unde si propositione negativa diceretur: qui non fuerit baptizatus, condemnabitur; intelligi de-

beret de baptismo vel *actu* suscepto cum dispositione sufficiente, vel de baptismo solum *in voto* cum dispositione perfecta per charitatem. Propositio autem: « qui non crediderit, condemnabitur, » semper et simpliciter vera manet.

Ad locum alterum Eph. V. 26. respondetur: falsum est, mundationem non tribui baptismo tamquam causae immediatae; dicitur enim Christus mundare Ecclesiam *per lavacrum*, quod lavacrum administratur *in verbo vitae*. Causa itaque mundationis ponitur ipsum lavacrum, quod tamen non sola lotione, sed lotione simul et verbo vitae constituitur. Atqui verbum vitae, in quo administrandum sacramentum a Christo praescribitur, est ipsa invocatio ss. Trinitatis et forma sacramenti ad initiationem et consecrationem, non autem verbum per modum praedicationis ad docendum cf. Mt. XXVIII. 19.

Denique allato testimonio ex 1. Pet. III. 21. diserte baptismus, cuius effectus mere naturalis est lotio corporis, atque adeo ipsum visibile signum declaratur habere effectum supernaturalem, ut « salvos nos faciat », et sit « interrogatio, » h. e. postulatio et acquisitio (ἐπερωτημα) bonae conscientiae coram Deo cf. Heb. X. 22. Quod vero additur: « per resurrectionem Iesu Christi, qui est in dextera Dei, deglutiens mortem », ibi non sane dicitur fides in resurrectionem esse sola causa acquisitae bonae conscientiae et salutis; sed exhibetur Christus redivivus et tum in se tum pro nobis victor mortis ut causa superior, a qua dignitas et efficacia sacramenti ut causae instrumentalis derivatur. Illud ergo « per resurrectionem Iesu Christi » etc. potest intelligi, ut idem sit ac si diceretur, per Iesum Christum redivivum. Seu ut loquamur distinctius, resurrectioni in Bibliis adscribitur iustificatio nostra (cf. Rom. IV. 25.) non solum ut causae exemplari, et ut confirmationi ac demonstrationi doctrinae ac promissionum Christi, sed etiam ut causae meritoriae, non quasi per resurrectionem in se et seorsim spectatam Christus meritus esset nostram iustificationem, sed quatenus resurrectio est complementum operis redemptionis, atque ideo consideratur coniuncta cum morte Christi velut unum opus redemptionis.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

3. Quoniam etiam dicta aliquot Patrum proferuntur, qui diserte docuerint hominem iustificari *sola fide*, principium ad intelligendum verum sensum huiusmodi propositionum excludentium est sequens. Patres numquam absolute et in comparatione cum quibusvis aliis causis aut dispositionibus, sed tantum in comparatione cum actibus, qui vel generatim vel in aliquo speciali casu revera non concurrunt ad iustificationem, *soli fidei* ad exclusionem *talium actuum* tribuunt rationem causae. Ita iuxta doctrinam Apostoli a ratione iustificationis excludentes opera legis et opera mere naturalia, in oppositione ad haec commendant *solam fidem*. Cum latro, inquit Origenes in Rom. III. 28, clamavit e cruce: « Domine Iesu memento mei, pro *hac sola fide* ait ei Iesus: amen dico tibi etc. » Similiter inducit exemplum Magdalenae: cui « ex nullo *legis opere*, sed *pro sola fide* dixit Dominus: remittuntur tibi peccata tua. » Vel ex solis his exemplis patet, intelligi fidem quae per charitatem operatur. Qualia vero opera excludantur a ratione causae iustificationis, declarat Origenes continuo: « ubi fides non est, quae credentem iustificat, etiamsi opera quis habeat ex lege, tamen, *quia non sunt aedificata supra fundamentum fidei*, operatorem suum iustificare non possunt » (Orig. Opp. T. IV. p. 517.). In hunc sensum ad exclusionem pretii iustitiae mere naturalis in ordine iustificationis supernaturalis, scribit Basilius (homil. de humilit. n. 3. T. II. p. 158. ed. Maurin.), hanc esse gloriationem apud Deum, « quando quis non *propter iustitiam suam* effertur, sed agnoscit se indigere vera iustitia, *fide autem sola* in Christum se iustificatum esse. » Pariter opponunt aliquando *fidem solam* operibus externis vel ipsis sacramentis actu susceptis, quando haec in casu necessitatis adhiberi non possunt. Ita s. Bernardus (opusc. X. de Baptism. ad Hugon. Victor. n. 8. ed. Mabillon. p. 635. alias ep. 77.) interpretatur verba Christi Mr. XVI. 16. Christus non repetit, « qui baptizatus non fuerit; sed tantum, qui non crediderit, condemnabitur; nimirum innuens, *solam interdum fidem* ad salutem sufficere et sine hac nihil sufficere. » Patet autem facile, fidem hanc cui *soli* tribuitur iustificatio, non modo non excludere, sed manifesto includere perfectionem aliarum dispositionum. Bernardus, qualem intelligat illam *fidem solam* interdum sufficientem, ibidem multis declarat. « Si recordatus fuerit homo, inquit, necdum se salutis percepisse mysterium, et *dolens poenitensque toto desiderio expetierit*, sed assequi mortis celeritate nequiverit, damnabit fidelem suum Deus? » Vide Stapleton T. II. De Iustific. l. VIII. c. 35; Bellarminum De Iustific. l. I. c. 25.

THESIS IX.

Quomodo verba sacramentalia non mere ad praedicationem evangelii pertineant, sed sint consecratoria.

« Sicut cum Protestantium haeresi de sola fide iustificante et de fine » sacramentorum, quae unice vel potissimum ad fidem in promissa evan» gelica sustentandam instituta esse docent, intime nectitur error alter, » quo verba sacramentalia dicunt esse *concionalia*, et ad praedicationem » evangelii revocari; ita vicissim ex propria sacramentorum virtute ad » conferendam gratiam in antecedentibus demonstrata consequitur, ver» ba esse *consecrantia*, quae iuncta rebus efficax sacramentale signum » constituunt et absolvunt. »

I. Iuxta doctrinam fundamentalem Reformatorum saeculi XVI superius expositam iustitia Christiana est ipsa *formalis iustitia Christi*, quae singulis imputatur. Imputatur autem Christi iustitia, dum singuli *fide speciali* credunt sibi propter Christi iustitiam sua peccata remitti, h. e. non imputari, et per hanc fidem *iustitiam Christi apprehendunt*. Hinc *sola fides* iustificat. Fides autem excitatur per verbum Dei praedicatum, sive id fiat per virtutem divinam insidentem ipsi verbo praedicato et audito vel lecto, ut habet doctrina Lutherana; sive fiat iuxta sententiam Calvinianam eo, quod Spiritus Sanctus in connexione cum verbo Dei praedicato, h. e. dum praedicatur verbum, in praedestinatis immediate excitat fidem vi ac virtute ipsius aeterni decreti praedestinationis; nam alios, qui praedestinati non sunt, nullum umquam fructum sive in praedicatione verbi sive in sacramentis percipere aiunt. Porro quamvis Spiritus Sanctus fidem in promissiones Dei excitet per praedicationem verbi vel in praedicatione verbi, tamen etiam instituta

sunt sacramenta, quae utpote verba magis sensibilia et signa adhibita singulis, sint adminicula et, ut loquitur Calvinus, appendix verbi Dei ad illam certissimam fidem promissionum evangelii sibi singillatim applicatarum, et iustitiae Christi sibi singillatim imputatae nutriendam et confirmandam (1). Iam vero hunc scopum sacramenta non

(1) « Deus qui ordinavit, ait Chemnitzius inter theologos lutheranos praecipuae auctoritatis, ut fides esset quasi manus nostra, qua quaeramus, apprehendamus et accipiamus gratiam Dei in Christo: idem Deus etiam certum medium seu organon ordinavit, per quod beneficia Filii mediatoris velit offerre seu exhibere. Tale ergo medium seu instrumentum Dei est verbum evangelii praedicatum, auditum, cogitatum, fide apprehensum . . . . . Deus igitur non uno tantum modo per nudum scilicet verbum gratiam suam nobis exhibere voluit, sed *infirmitatem nostram voluit certis adminiculis sublevare*, institutis scilicet et promissioni evangelii annexis sacramentis, h. e. certis signis, ritibus seu cerimoniis in sensus incurrentibus, ut illo commoneret, erudiret et certos nos redderet, quod foris in specie visibili geri cernimus, illud intus virtute et potentia Dei in nobis effici. *Sicut enim verbum incurrit in aures et ferit corda, ita ritus sacramentorum incurrit in oculos ut moveat corda, ut non dubitemus, Deum nobiscum agere, et velle iuxta verbum efficacem esse ad salutem*... Non alia est gratia, quae in verbo promissionis, et alia quae in sacramentis exhibetur, nec alia est promissio in verbo evangelii, alia in sacramentis, sed eadem est gratia, *unum et idem verbum, nisi quod in sacramentis per signa divinitus instituta verbum quasi visibile redditur... Verbum enim promissionis est obiectum illud quod fides in sacramentis intuetur, et in illo (verbo promissionis) apprehendit ea, quae verbo in sacramentis promittuntur, offeruntur et exhibentur* » Chemnitzius Exam. Conc. Trid. P. II. p. 16. ed. Genev. 1614. In eundem sensum docet Calvinus. « Hanc damnationem (peccati originalis) sublatam et a se depulsam esse certi per baptismum fideles fiunt, quando Dominus *hoc signo nobis pollicetur, plenam solidamque remissionem factam esse*... iustitiam quoque apprehendunt, sed qualem in hac vita apprehendere populus Dei potest, nempe imputatione dumtaxat, quia pro iustis et innocentibus eos sua misericordia Dominus habet » Calvinus Instit. l. IV. c. 15. n. 10. Ex recentioribus Protestantibus Schweitzerus compendium doctrinae ita exhibet. « Quamvis Spiritus Sanctus immediate operetur vitam salutis in animo, id tamen non fit nisi in connexione cum externis perceptibilibus religiosis efficientiis, quarum instrumenta praecipua ideo dicuntur instrumenta gratiae... Primum et praecipuum instrumentum gratiae est administratio verbi Dei... Adminicula verbi Dei sunt sacramenta, quia veritates salutares humanae nostrae cognitioni per verbum propositas modo adhuc

attingunt, hoc suum munus non praestant, nisi dependenter a praedicatione verbi; imo sacramenta ipsa in hac hypothesi non sunt nisi sub alia quadam forma praedicatio promissionum evangelicarum, quae ad fidelium animos in fide roborandos dirigatur. Supposito igitur tali scopo principe vel unico sacramentorum, sive potius sublata omnino per abominabilem hanc haeresim notione sacramenti novae legis, et sacramentis substituta forma quadam praedicationis, quae apud ipsos appellatur sacramentum, sane consequitur, verba quae adhibentur in talium sacramentorum administratione, esse *concionalia*. At si sacramentis novae legis ex institutione divina vis inest et virtus conferendi gratiam *ex opere operato*, seu si ipsum sacramentale signum immediate est efficax gratiae, et si hoc signum divinitus institutum praeter res etiam verbis constat, atque adeo verba sacramentalia sunt pars constituens ipsum obiectivum efficax signum; profecto theoretica propositio et praedicatio promissionum divinarum non pertinet essentialiter ad administrationem sacramentorum, nec verba essentialia ad constituendum sacramentum sunt concionalia sed *consecratoria* modo, quo

magis sensibili nostrae sensuali naturae exhibent » (citatur in Periodic. trimest. Tubing. 1855. p. 43. 44.). Ex hac theoria consequens sane erat, in negotio iustificationis valde exiguum vel nullum esse fructum sacramentorum. Nam sacramenta ipsa non nisi ex doctrina et praedicatione verbi Dei possunt credi et cognosci signa promissionum divinarum; nisi ergo fides verbi Dei praesupponatur firma, etiam per haec signa visibilia non firmabitur; pendet enim fides in haec signa totaliter a fide in verbum Dei, et non vicissim fides in verbum Dei a fide in sacramentale signum. Insuper in verbo Dei promissiones expressae sunt longe clarius; sacramenta, si ita se haberent, ut dicitur, essent symbola obscura ad modum typorum veteris testamenti; quomodo ergo, si clara et expressa propositio promissionum in verbo Dei non sufficit ad fidem, haec per symbola obscura poterit illuminari et firmari? Unde ex illa theoria de sacramentis Zwinglius deduxit consequens impugnatum quidem, sed nunquam valide refutatum a ceteris illis Reformatoribus: «sacramenta sunt signa et cerimoniae, inquit, quibus se homo Ecclesiae probat aut candidatum aut militem Christi esse, redduntque Ecclesiam potius certiorem de fide tua quam te. Si enim fides tua non aliter fuerit absoluta, quam ut signo caerimoniali ad confirmationem egeat, non est fides » (vide Periodic. Tubing. l. c. p. 47.)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

nunc declarabimus. Vide Bellarminum de Sacram. l. I. c. 19. cf. de Lugo disp. II. sect. 4.

II. Verba sacramentalia *consecratoria* sunt in omnibus quidem sacramentis novae legis, quia in omnibus sunt non solum signa theoretica ad manifestandas et proponendas promissiones Dei, sed fine principali sunt signa practica, quae ex divina institutione producunt supernaturalem effectum, quem significant; non tamen eodem modo se habet verbum consecratorium in sacramento quod est *res permanens*, et in sacramentis quae *actione* constant *transeunte*, et ideo non sunt realiter, nisi dum administrantur.

Si sacramentum aliquod est *res permanens*, hoc signum efficax gratiae, quatenus permanens, non componetur praeter rem etiam verbis realiter permanentibus, cum verba ex natura sua sint aliquid successione transiens, nec possint permanere nisi virtute in aliquo effectu. Verba ergo in tali sacramento solum concurrent in confectione sacramenti ita, ut per verba res aliqua transferatur vel transmutetur ab uno statu non sacramentali ad aliam rationem sacramentalem. Unde verba illa non immediate sed mediate tantum referentur ad significandam et efficiendam sanctificationem hominis; hanc enim immediate significat et efficit sacramentum permanens, ad quod efficiendum verba ordinantur, in quo tamen non permanent nisi virtute et effectu: significatio autem et efficacia immediata verborum dirigetur ad rem illam transferendam vel transmutandam in sacramentum. Haec tamen translatio et transmutatio est vera *consecratio*. Ergo verba sacramentalia, quibus conficitur *sacramentum permanens*, immediate *consecratoria* sunt tantum rei alicuius obiectivae extra hominem, non autem hominis suscipientis sacramentum. Huiusmodi sacramentum permanens unicum est ss. Eucharistia, in cuius confectione verba a Christo instituta immediate significant et efficiunt conversionem materiae sacramentalis h. e. panis et vini in corpus et sanguinem Domini in statu cibi ac potus sub iisdem panis et vini permanentibus speciebus: hic autem cibus ac potus quamdiu manet, est signum efficax spiritualis refectionis et sanctificationis nostrae, ac proinde *per*

manens sacramentum. Verba igitur illa sunt et dici possunt *consecratoria panis ac vini*, si spectetur *terminus a quo* secundum substantiam transiens, ac status sacer et sacramentalis accidentium permanentium ac demonstrantium corpus et sanguinem Christi in termino *ad quem*; sunt et possunt dici *consecratoria corporis et sanguinis Domini*, si spectetur *terminus formalis ad quem*, et *consecratio* non intelligatur translatio in statum sanctiorem, sed realis praesentatio Sancti Sanctorum, ac positio in statu sacramentali et specialiter sanctificante; sunt denique et possunt dici *consecratoria sacramenti corporis et sanguinis Domini*, si spectetur *terminus totalis ad quem*, et *consecratio* intelligatur constitutio rei sacratissimae. At haec melius intelligentur alio in loco, ubi agemus de transubstantiatione.

In sacramentis vero, quae consistunt in aliquibus actibus praetereuntibus, et quae proinde sunt dum fiunt, verba transeuntia cum actione pariter praetereunte, seu verba cum rebus componunt ac constituunt ipsum signum efficax sanctificationis; et ideo sicut totum signum ita et verba utpote pars ipsius signi diriguntur significatione et efficacia ad ipsum hominem sanctificandum. Ibi ergo verba habent immediate duplicem relationem *consecratoriam*, *a*) *ad ipsam materiam*, quam verba tamquam forma determinant et elevant ad *esse* sacramentale. « Detrahe verbum, et quid est aqua nisi aqua? *accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum*... hoc est verbum fidei quod praedicamus, quo sine dubio, ut mundare possit, *consecratur et baptismus* » s. Augustinus in Io. tract. 80. n. 3. (supra p. 36.). Relate ergo *ad materiam* verba sunt *consecratoria*, non quod dirigantur ad materiam et ex ea consecrent sacramentum, ut accidit in sacramento permanente, sed quod per modum formae componendo cum materia unum sacrum signum, hanc reddant ex materia remota proximam et sacramentalem. Tum *b*) verba *consecratoria* sunt relate *ad ipsum hominem suscipientem sacramentum;* sicut enim totum sacramentum ita sane et verba sacramentalia, utpote forma determinans et absolvens in suo *esse* signum efficax gratiae, significant et

efficiunt sanctificationem hominis. « Unde tanta *virtus aquae*, ut corpus tangat et cor abluat, nisi *faciente verbo?* » August. ibid. Ideo verba ad hominem ipsum sanctificandum diriguntur : ego te baptizo... confirmo... absolvo etc. (1).

Postremo tam in sacramentis quae solo usu constant, quam in sacramento permanente, verba possunt dici *consecratoria ex sua origine*, quia sunt verba non relicta arbitrio sed instituta et consecrata ab ipso magno sacerdote Christo Iesu ad supernaturalem effectum producendum.

Iam vero verba sacramentalia triplici hoc sensu consecratoria esse, continetur ut consequens necessarium in duplici veritate: quod 1°. sacramenta sunt sacra signa immediate efficacia sanctificationis, non autem sunt signa tantum theoretica promissionum Dei; et quod 2°. verba sacramentalia sunt pars per modum formae constituens signum efficax gratiae cum materia, quae et ipsa per formam accedentem fit sacra et pars signi sanctificantis. Atqui prior illa propositio th. VI. sqq. posterior th. IV. et V. demonstrata est. Declarato ergo sensu, quo verba sint et dicantur *consecratoria*, haec veritas non alia indiget demonstratione.

Argumenta specialia duci possent, si opus esset, ex baptismo infantium, ex valore sacramentorum apud haereticos et errantes in doctrina fidei, ex doctrina Patrum invocationi ss. Trinitatis et verbis evangelicis, quibus perficiuntur sacramenta, tribuentium efficaciam ad consecrandum elementum et ad sanctificandum hominem. Profecto enim verba sacramentalia (in coniunctione cum materia ad constituendum unum signum) non minus sunt efficacia ad sanctificandos infantes, qui nec promissiones divinas et significationes sacramenti intelligere nec fidem (actualem) concipere possunt; nam quod infantes actu credant in sacramenti susceptione, putidum esse figmentum Lutheri nemo diffitebitur, hominis scilicet, qui solis Scripturis fidem se habere professus hoc miraculum absque ullo indicio Scripturarum ex mero suo arbitrio obtrudere voluit. Porro etiam in adultis efficacia sacramentorum non ideo desinit, quod suscipientes nec verba nec totius signi significationem theoreticam et concionatoriam intelligant; imo manet efficacia, etiamsi tum conferens sacramentum tum suscipiens verba intelligerent sensu falso et haeretico. Quod sacramentum non confert actu sanctificationem, si suscipiens culpabiliter erret in fide, id non est ex defectu efficaciae in sacramento sed propter obicem, quo homo se reddit incapacem gratiae. Unde in baptismo e. g. ab Arianis collato verba manebant sacramentalia, licet ab eis intellecta sensu haeretico; contra vero si illa mutarentur e. g. baptizando « in nomine Dei unius et trini », verba quantumvis orthodoxa et secundum veram fidem intellecta, iam sacramentalia non essent. Quae omnia repugnant hypothesi significationis tantummodo theoreticae et concionatoriae in verbis sacramentalibus. Praeterea verba sacramentalia sensu et modo superius declarato dicuntur in Scripturis et a ss. Patribus *consecrare ipsam materiam* sacramentorum. « Calix benedictionis, cui benedicimus » 1. Cor. X. 16. « Aqua simplex, Spiritus Sancti et Christi et Patris invocationem percipiens, vim sanctificationis acquirit » Cyrill. Hier. Cat. III. n. 3; « sanctum unguentum (ἅγιον μυρον) post invocationem, Christi donarium et efficax Spiritus Sancti (conferendi) praesentia divinitatis eius factum est » Id. Cat. mystag. III. n. 3. « Quomodo homicidam exaudit deprecantem vel supra aquam baptismi vel supra oleum vel super Eucharistiam vel super capita eorum, quibus manus imponitur? Quae omnia tamen et fiunt et valent etiam per homicidas » s. Augustinus de Baptism. l. V. c. 20. Vide Bellarmin. l. I. c. 19.

Scholion 1. Licet propria ratio et finis princeps sacramentorum novae legis constituatur in efficientia sanctificationis, non autem in obiectiva et theoretica solum significatione per modum doctrinae; hanc tamen etiam alteram rationem in sacramentis nostris Ecclesia catholica non negat, sed eam secundariam esse affirmat, quae ex virtute ac dignitate principe sacramentorum pendeat et consequatur. Theologi catholici agunt frequenter de fine secundario sa-

(1) Patet facile, illos Scotistas, qui sacramentum poenitentiae solis verbis absolutionis constare putabant, verba *consecratoria* hoc secundo sensu habuisse, non autem potuisse admittere *consecratoria* primo sensu relate ad materiam, quam in hoc sacramento negabant.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

cramentorum ad nostram *eruditionem, humiliationem, exercitationem,* ut habet s. Thomas 3. q. 61. art. 1; et s. Bonaventura in 4. dist. 1. P. I. a. 1. q. 1. (1); quod idem s. Bonaventura ib. dist. 2. a. 1. q. 2. aliis verbis ait, sacramenta esse quidem in *medicamentum,* sed simul etiam in *documentum* et *ornamentum* Ecclesiae. In catechismo Romano P. II. c. 1. n. 14. causae finales institutionis sacramentorum numerantur multae: ut per signa sensibilia facilius intelligeremus supersensibilia; ut essent pignora promissionum divinarum ad fidem et spem nostram sustentandam; ut sacramentis tamquam tesseris ac symbolis fideles internoscerentur, sacramentorum usu fidem suam palam testarentur, communione eorumdem mysteriorum velut unius corporis membra inter se visibili vinculo et mutua charitate connecterentur; postremo ut necessitas sensibilium elementorum in via salutis humanam superbiam edomaret atque comprimeret. At vero haec omnia, in quibus novatores totam rationem ac virtutem sacramentorum concluserunt, supponunt virtutem propriam sanctificantem in sacramentis et non nisi ex ea supposita deducuntur, de qua virtute sanctificante catechismus distincte agit ib. n. 27-29. Unde Concilium Tridentinum non negat, sed imo indirecte indicat, *etiam* ad hos fines quos diximus, sacramenta spectare; damnat vero haereticos, qui in his principem vel solum scopum ac totam virtutem sacramentorum constituunt. « Si quis dixerit, haec sacramenta *propter solam fidem* nutriendam instituta fuisse; A. S. » « Si quis dixerit, sacramenta novae legis non continere gratiam... quasi signa *tantum* externa sint acceptae per fidem gratiae vel iustitiae, et notae quaedam christianae professionis, quibus apud homines discernuntur fideles ab infidelibus; A. S. » sess. VII. can. 5. 6.

(1) « Expediens fuit (institutio sacramentorum) a parte aegroti: quia erat caecus quoad rationalem, ideo data sunt ei sacramenta visibilia ad *eruditionem;* erat elatus quoad irascibilem, ideo data sunt ei sacramenta corporalia ad sui *humiliationem;* erat fastiditus quoad concupiscibilem, ut non saperent ei spiritualia, ideo sacramenta sunt ei data ad *exercitationem,* ne forte in unius solius perceptione vel in spiritualium tantum contemplatione sibi posset fastidium generari et taedium » s. Bonaventura l. c.

Scholion 2. Celeber est locus s. Augustini in Io. tract. 80. n. 3, ubi videri posset s. Doctor tum verbum sacramentale habuisse velut *praedicationem evangelii,* tum virtutem sanctificandi tribuisse tantum *fidei et non sacramento.* Commentans in verba Io. XV. 3; « iam vos mundi estis propter verbum, quod locutus sum vobis, » ita scribit.

« Quare non ait: mundi estis propter baptismum, quo loti estis, sed ait: propter verbum, quod locutus sum vobis, nisi quia et in aqua verbum mundat? Detrahe verbum, et quid est aqua nisi aqua? Accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum, etiam ipsum tamquam visibile verbum. »

« Unde ista tanta virtus aquae, ut corpus tangat et cor abluat nisi faciente verbo, non quia dicitur sed quia creditur? Nam et in ipso verbo aliud est sonus transiens aliud virtus manens. Hoc est verbum fidei, quod praedicamus, ait Apostolus, quia si confessus fueris in ore tuo, quia Dominus est Iesus etc. Unde in actibus Apostolorum legitur: fide mundans corda eorum. Et in epistola sua b. Petrus, sic et vos, inquit, baptisma salvos facit non carnis depositio sordium sed bonae conscientiae interrogatio » (Rom. X. 8. sq.; Act. XV. 9; 1. Pet. III. 21.).

« Hoc est verbum fidei, quod praedicamus, quo sine dubio, ut mundare possit, consecratur et baptismus... Lege Apostolum et vide, quid adiungat: ut eam sanctificaret, inquit, mundans eam lavacro aquae in verbo. Mundatio igitur nequaquam fluxo et labili tribueretur elemento, nisi adderetur, *in verbo.* »

« Hoc verbum fidei tantum valet in Ecclesia Dei, ut per ipsum credentem, offerentem, benedicentem, tinguentem, etiam tantillum mundet infantem, quamvis nondum valentem corde credere ad iustitiam et ore confiteri ad salutem. »

Difficultas, ut dixi, in tota hac oratione duplex est, quod Augustinus 1°. videtur dicere, verbum *praedicationis* esse illud, quod mundat in baptismo; quod 2°. virtutem mundandi in baptismo non ipsi verbo nec verbo cum elemento sed *tantum fidei* videtur tribuere: « faciente verbo, *non quia dicitur,* sed *quia creditur.* »

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Ut sensum genuinum assequamur, quatuor partes distinguimus in contextu Augustini. *a*) Ait generatim, *verbum fidei* esse, quod mundat, non solum extra baptismum excitando fidem et dispositionem necessariam, ut Christus dixit: mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis, sed etiam in baptismo; nam sine accedente *verbo fidei* sacramentum, quod mundat, non consistit. Haec explanat et demonstrat usque ad illa: « tamquam visibile verbum. » *b*) In ipso verbo fidei, ait, distinguatur oportet *sonus materialis*, « quia dicitur, » « sonus transiens; » tum *significatio formalis* seu potius *res significata*, quae est fidei obiectum, et cui debet respondere fides subiectiva: « quia creditur », « virtus manens. » Verbo generatim tum extra baptismum ut respondeat fides, tum in baptismo ut una cum elemento constituat sacramentum, et sacramentum cor abluat, efficacia non competit ratione *soni materialis* sed ratione *significationis formalis* et *rei significatae* per verbum: non quia sunt haec vocabula materialia, sed quia est formale verbum Dei et verbum fidei (1). Ad declarandam hanc distinctionem, quod scilicet efficacia est in verbo, quatenus est *formale verbum fidei*, pertinent textus quos adfert. Haec usque ad verba: « conscientiae interrogatio. » *c*) Considerat *verbum fidei*, illud scilicet compendium symboli et professionis christianae: « in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, » praecise ut est *forma baptismi*, atque hoc modo verbum ait esse *consecratorium* (2), quo conse-

(1) Modo non valde absimili declarat alibi virtutem divinam operantem per verbum sacramentale. « Deus aeternus est, nec tamen aqua et omnis illa actio corporalis, quae agitur cum baptizamus, et fit, et transit, aeterna est. Ubi rursus etiam illae syllabae celeriter sonantes et transeuntes, cum dicitur *Deus*, nisi dicantur, non consecratur. Haec omnia fiunt et transeunt, sonant et transeunt; virtus tamen *quae per ista operatur*, iugiter manet, et donum spiritale, *quod per ista insinuatur*, aeternum est » contra Faust. XIX. c. 16. cf. de Baptism. l. III. c. 10. n. 15.

(2). Verbum fidei quo consecratur baptismus, ab Augustino non aliud intelligi quam ipsam *formam baptismi*, satis per se constat. « Si evangelicis verbis, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti Marcion baptismum consecrabat, inquit l. III. de Bapt. n. 20, integrum erat sa-

crante fluxum et labile elementum constituitur baptismus; ita ut revera per elementum accedente verbo fiat, teste Scriptura, mundatio et sanctificatio. Usque ad illa: « nisi adderetur, *in verbo*. » *d*) In ultima parte ex baptismo infantium demonstrat verbi fidei, quando *sacramentale* est, propriam virtutem ad mundationem, ita ut non excitatio fidei actualis, quae in infante nulla est, et per fidem demum remissio peccati, sed *immediate iustificatio et sanctificatio* tribuenda sit ipsi sacramento. Quod vero ait s. Doctor, verbum fidei per ipsum credentem, offerentem, benedicentem, tinguentem mundare infantem, intelligi debet de ministerio offerentium et baptizantium, qui nisi crederent, ordinarie suum ministerium ad infantis baptismum non exhiberent; non autem potest intelligi ita, ut fidei eorum tamquam causae immediatae tribuatur infantis mundatio, cum is nihilo minus mundaretur, etiamsi nec offerentes nec baptizans essent fideles. Hanc esse non solum in se certam et catholicam doctrinam sed etiam sententiam Augustini, patet ex omnibus eius disputationibus de baptismo haereticorum adversus Donatistas; et speciatim de fide offerentium tamquam conditione ordinaria, ut parvuli perducantur ad baptismum, non vero causa eorum iustificationis, legi possunt, quae habet ep. 98. n. 2. 5. ad Bonifac.

Quare si obiicitur: iuxta Augustinum verbum in sacramento est verbum *praedicationis;* et illud dicitur efficax non in se *quatenus dicitur*, sed solum ratione fidei *quatenus creditur*, respondendum est ad 1^um^: considerat Augustinus verbum evangelicum quod praedicatur, tum generatim ut *verbum Dei*, tum speciatim quatenus compendium verbi fidei constituit *formam baptismi, concedo;* considerat verbum praedicationis *in ipso baptismo, subdistinguo:* considerat verbum fidei ut *formam consecrantem* et una cum elemento constituentem sacramentum, quod mundat a peccato, *concedo;* considerat verbum in baptismo ut propositionem doctrinae, *nego*. Respondeo ad 2^um^: verbum dicitur efficax

cramentum, quamvis eius fides sub eisdem verbis aliud opinantis quam catholica veritas docet, non esset integra sed fabulosis falsitatibus inquinata. »

non in se sed ratione fidei, *distinguo:* dicitur efficax non ratione *soni materialis*, sed ratione *rei significatae*, et quatenus est *verbum fidei obiectivae, concedo;* dicitur efficax non ipsum verbum consecrans et cum elemento constituens sacramentum, sed efficacia tribuitur *fidei subiectivae, nego.* Vide Bellarminum l. I. c. 20; Vasquez in 3. P. T. II. disp. 129. c. 4. n. 53. seqq. cf. s. Thom. 3. q. 60. a. 7. ad 1.

THESIS X.

De modo et ratione intestina, qua sacramenta novae legis non solum sint conditio necessaria sed vera causa gratiae.

« Ut supernaturalis dignitas sacramentorum et ex ea *modus* intelligatur, quo ea non solum sunt conditio necessaria sed vera causa collationis gratiae, tenendum est principium, quod sacramenta dum fiunt, sunt moraliter actiones Christi redemptoris et summi sacerdotis, quas ad passionis suae fructum singulis applicandum ipse primum instituit, et per ministros sua auctoritate fungentes iugiter exsequitur. Unde 1°. sacramentis inest supernaturale pretium et dignitas obiectiva, quae ex Christi meritis promanans exigit eorum qui initiantur, sanctificationem; atque ideo sacramenta sunt *verae causae morales* collationis gratiae. Ex eodem principio praeterea 2°. sacramenta sunt practica signa et tamquam realia verba Dei sanctificatoris, quibus per suos ministros operationem suam sanctificantem exprimit; unde sicut in aliis verbis Dei practicis extraordinariis ita et in sacramentis velut verbis Dei practicis ordinariis, non quidem *sonus transiens* sed *virtus manens* (1), quae in se invisibilis per signum visibiliter manifestatur, *physice* operatur effectum significatum. »

I. Principium, quod ponimus instar fundamenti, indubitatum est. Si enim ipsum ministerium docendi nomine et auctoritate Christi exercetur ab Ecclesia, multo magis in omnibus ritibus sanctificantibus, cuiusmodi sunt sacramenta, Ecclesia et quivis Ecclesiae minister gerit moraliter personam Christi (2) ex ipsius institutione ac mandato

(1) Augustinus in Io. tr. 80. n. 3; contra Faust. XIX. c. 16. cf. s. Th. 3. q. 62. a. 1.

(2) « Per quemlibet ministrum detur, illius est baptismus, de quo dictum est: hic est qui baptizat (Io. I. 23.)... Itaque invenimus dictum ab Apostolis, et gloriam meam quamvis utique in Domino, et ministerium meum, et evangelium meum, quamvis utique a Domino impertitum et donatum; baptismus autem meus, nemo dixit eorum omnino.

pro Christo legatione fungens. Matth. XXVIII. 18. 19; Io. XX. 21-23; Eph. V. 25. 26; 1. Cor. IV. 1. (cf. I. 13-16.); 2. Cor. V. 20. Est hoc evidens ex ipsa natura ministerii et actuum exercendorum; repugnat enim profecto, ut actus illi externi ab homine positi habeant valorem ad iustificationem et gratiam conferendam initiato, nisi quatenus ex institutione Christi et auctoritate et potestate a Christo delegata exerceantur. Unde etiam in forma ipsa et in ritu administrationis haec potestas delegata et actio exsequenda nomine Dei et Christi expressa reperitur; sacramenta enim in nomine ss. Trinitatis, et a ministris ex praescripto Christi institutis consecrantur. Expressissime vero haec moralis gestio personae Christi ex parte ministri cernitur in consecratione Eucharistiae sacramenti sacramentorum, ex quo tamquam ex exemplari eadem functio et actio nomine Christi etiam in ceteris sacramentis intelligeretur, etiamsi in eorum ritu ipso minus perspicue esset exhibita. « Consecratio quibus verbis fit, et cuius sermonibus? Domini Iesu. Nam reliqua omnia in superioribus a sacerdote dicuntur, laudes Deo deferuntur, oratio petitur pro populo, pro regibus, pro ceteris; ubi venitur, ut conficiatur venerabile sacramentum, iam non suis sermonibus utitur sacerdos, sed utitur sermonibus Christi. Ergo sermo Christi hoc conficit sacramentum. Quis est sermo Christi? Nempe is, quo facta sunt omnia. Iussit Dominus, et factum est coelum, iussit Dominus, et facta est terra... Si ergo tanta vis est in sermone Domini Iesu, ut incipiant esse quae non erant, quanto magis operatorius est, ut sint quae erant, et in aliud commutentur?... Non erat corpus Christi ante consecrationem, sed post consecrationem, dico tibi, quia iam corpus est Christi. Ipse dixit et factum est, ipse mandavit et creatum est. Tu ipse

Neque enim omnium aequalis est gloria, nec ministrant (in verbo et opere) omnes aequaliter, nec aequali prudentia sunt omnes praediti, et in evangelizando alius alio melius operatur, et ideo potest dici alius alio doctior in ipsa doctrina salutari (quam inde aliquo modo potest dicere suam); alius autem alio melius baptizatus dici non potest, sive ab inferiore sive a maiore baptizatur » (et ideo baptismus non est Cephae vel Pauli vel Apollo, sed Christi tantummodo). S. August. de Baptismo l. V. n. 14. 16.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

eras, sed eras vetus creatura; posteaquam consecratus es, nova creatura esse coepisti » (de Sacram. l. IV. c. 4. inter Opp. Ambros. T. II.). Quando haec vis ad commutandum in sacramento Eucharistiae, et ad innovandum hominem in omnibus sacramentis tribuitur *sermoni Christi*, facile patet, non intelligi solum sermonem esse Christi, quatenus olim dictus est a Christo; sed quatenus sermonem instituit ut suum repetendum iugiter per saeculorum decursum, et quatenus nunc, cum fit consecratio, eum sermonem ipse dicit per suos ministros. Ideo distinguuntur, quae usque ad confectionem sacramenti *dicit sacerdos*, quamvis et illa pleraque sint sermones olim a Christo dicti, et quae fiunt in confectione sacramenti, ubi sacerdos iam non suis sed *Christi sermonibus* utitur, dum ipse nomine Christi et Christus per ipsum ut ministrum enuntiat sermonem operatorium.

Praeterea haec doctrina de Christo magno sacerdote, qui perpetuo ipsa signa sacramentalia et sacros externos ritus sacramentales administret ut actiones suas non quidem visibili exsecutione sed invisibili maiestate, quod ea peragat per ministros ipsius nomine et auctoritate fungentes; haec inquam doctrina multipliciter declarata est et principii fundamentalis instar propugnata in controversia cum Donatistis de valore sacramentorum independente a fide et meritis ministri. Vide s. Augustinum in Io. tract. V. nn. 9. 11. 13. 15. 18-20; tract. VI. nn. 6-8; et passim in ll. adversus Donatistas. « Hic (Christus) est, qui baptizat in Spiritu Sancto; nec sicut Petilianus dicit, iam baptizare cessavit, sed *adhuc id agit, non ministerio corporis sed invisibili opere maiestatis* » contr. litt. Petilian. l. III. c. 49. n. 59. « Petrus baptizet, hic (Christus) est qui baptizat; Paulus baptizet, hic est qui baptizat; Iudas baptizet, hic est qui baptizat » in Io. tract. VI. n. 7. Cf. s. Ambros. ep. 63. n. 38; s. Pacian. ad Sympronian. ep. 3. n. 7.

S. Thomas hoc ipsum principium hisce verbis complectitur. « *Agens principale* in baptizando est ipse Deus per auctoritatem, et ipse Christus secundum quod homo, cuius meritum operatur in baptismo; et ex plenitudine divinae bonitatis et (plenitudine) gratiae Christi pervenit gratia ad

baptizatum... Baptismus non est instrumentum agens in virtute ministri, qui et ipse *instrumentum est agens in virtute Christi et Dei* » 4. dist. 5. q. 2. a. 2. sol. 2. et 3.

II. Iam ex praesupposito principio explicatur, quomodo ipsae actiones sacramentales, ipsaque visibilia signa iuxta Christi institutionem posita non solum sint *conditio* necessaria, sed sint *verae causae morales* collationis gratiae.

Christus meritum et pretium redemptionis complevit in cruce; » una enim oblatione consummavit in aeternum sanctificatos, » Heb. X. 14; IX. 12. 25. 28. etc. Non tamen ideo iam etiam nullis intervenientibus conditionibus et causis subordinatis, in effectu ipso remissionis peccatorum et sanctificationis meritum Christi est singulis applicatum (vide tract. de sacrificio Euch. th. V.). At Christus redemptor sanctificatione et meritis per passionem et mortem suam consummatis etiam meruit, ut posset instituere sacramenta tamquam suas operationes sacras ad applicationem pretii sui sanguinis pro singulis, dum perpetuo per suos legatos ea administraret. Unde meruit Christus supernaturale pretium et supernaturalem dignitatem sacramentorum; et horum dignitas, tum quatenus Christus redemptor ea ex suis meritis instituit, tum quatenus ipse principaliter ea per suos ministros dispensat, tota derivatur ex dignitate personae et ex pretio sanguinis redemptoris. Non intelliguntur itaque sacramenta operationes Christi tamquam nova augmenta meritorum eius, quod sane absurdum foret opinari; sed eorum dignitas et pretium supernaturale fundatur in satisfactione ac meritis completis in cruce. Dici potest sacramentum nomine et auctoritate Christi administratum exhibere coram Deo pretium sanguinis Christi in cruce effusi; sicut etiam interpellatio Christi pro nobis in coelo non est per novum meritum, sed est exhibitio meritorum Christi in cruce consummatorum (vide tract. de Incar. th. LI.). At supposita tali Christi institutione sacramentorum fundata in pretio infinito suae passionis ac mortis, et supposita Dei acceptatione huius sacrae actionis symbolicae ad effectum applicationis meritorum Christi, sacramentum nomine Christi administratum ipsa sua dignitate derivata ex Christi meritis exigit, con-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

stanti lege praesentis ordinis reparati, collationem gratiae, ad quam est institutum. Christus in cruce complevit redemptionem universalem voluntate quodammodo antecedente; in sacramentis et per sacramenta sua rite adhibita eam applicat particulariter ad iustificationem peccatorum et sanctificationem iustorum voluntate consequente.

Ex his intelligitur coniunctio sacramentorum in Scriptura et communi Patrum doctrina cum Christi passione et morte tamquam causa meritoria principe, ex qua virtutem suam mutuantur; sicut vicissim explicatio proposita ex illis Scripturae et Patrum sententiis vindicatur et vera esse demonstratur. « Christus dilexit Ecclesiam et *seipsum tradidit pro ea*, ut illam sanctificaret *mundans lavacro aquae in verbo vitae* » Eph. V. 25. 26. Finis, cur Christus se tradidit in passionem ac mortem, dicitur esse, ut sanctificaret Ecclesiam mundans per sacramentum. Igitur *a*) meritum mortis Christi est, ex quo instituit sacramentum sanctificans; et ad hunc etiam finem se tradidit, ut mereretur hanc sui sacramenti dignitatem. *b*) Christus non solum in actu mortis suae meruit sanctificationem Ecclesiae, sed hanc sanctificationem particulariter applicat per sacramentum, quo ipse, utique per suos ministros, Ecclesiam dicitur mundare. *c*) Hoc pretium lavacri in verbo vitae seu baptismi est igitur derivatum ex eius persona, qui morte sua meruit, ut institueret talis pretii sacramentum, et qui perpetuo ipse illud principaliter administrat. Hinc « quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius (εἰς τον θανατον ἀυτου in mortem ipsius) baptizati sumus » Rom. VI. 3; non solum quod mors Christi est exemplar mortis, qua in baptismo morimur peccato, sed etiam quia baptismus continet pretium mortis Christi, atque adeo, dum mergimur baptismo, velut mergimur in mortem Christi, quae est vita nostra, ut per ipsum baptismum moriamur peccato, quod est mors animae, morientes autem morti vivamus (1). Cf. Coloss. II. 12; 1. Cor. XI. 26.

(1) « Ut per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium » Heb. II. 14. « Ero mors tua, o mors » Os XIII. 14. Mors mortis est vita, negatio privationis seu perfectio privationi contraria.

In hanc sententiam intelligenda est communis Patrum doctrina, quando dicunt, sacramenta ex latere Christi h. e. ex consummata eius passione fluxisse (Ambrosius, Chrysostomus, Augustinus, Leo M., Cyrillus Alex. cf. Suarez in 3. P. T. I. disp. 39. sect. 3.); sacramenta esse rubentia sanguine Christi: « unde rubet baptismus Christi, nisi Christi sanguine consecratus? » (Augustinus in Io. tract. 11. n. 4.); constare sacramenta propria sanctitate propter eum, a quo sunt instituta (Id. contr. Crescon. IV. 16.); baptizari nos in sanguine Christi per lavacrum regenerationis (Hieronymus in Is. I. 11.); aquam baptismi habere gratiam Christi (vulgatus Ambrosius de Sacrament. I. 5.); sacramenta continere gratiam (Concil. Florent. et Trident.).

S. Thomae doctrina post ea, quae dicta sunt, melius intelligitur. « Humana natura in Christo, inquit, erat velut quoddam organon divinitatis, et ideo humana natura aliquid communicabat in operatione virtutis divinae (cf. tract. nostr. de Incarn. th. XL.)... Unde sanguis Christi pro nobis effusus (1) habuit vim ablutivam peccatorum: Apoc. I. 5. lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo; et Rom. III. 24.

(1) Intelligitur hac locutione, ut patet, satisfaciens et meritoria effusio sanguinis et voluntaria pretiosissimae vitae oblatio cf. 3. q. 48. a. 1. ad 1. Haec sanguinis effusio est causa, sane *moraliter* h. e. meritorie non autem *physice* efficiens remissionem peccatorum, et haec ipsa causalitas seu hoc pretium satisfactorium et meritorium derivatur in sacramenta. Distinguit quidem s. Thomas in passione Christi rationem causae, ut est *meritoria* et ut est *efficiens* nostrae salutis, nec tamen ideo tribuit ei operationem salutis per efficientiam *physicam;* his enim nominibus causae *meritoriae* et *efficientis* non tam designat duplicem diversum modum efficientiae in ipsa passione, quam potius diversam relationem ad subiectum, quod per passionem Christi est causa salutis nostrae. Si passio Christi refertur ad Deum absolute spectatum, qui illam aeterno consilio ordinat ad nostram salutem et per eam nos vult salvare, passionem appellat causam instrumentalem *per modum efficientiae,* non vero causam meritoriam; quia Deus absolute spectatus non sane meretur sed efficit nostram salutem. Quando autem passio refertur ad Christum hominem, qui nostram salutem per passionem meretur, ita spectatam eam dicit causam *per modum meriti* 3. q. 48. a. 6. ad 3; q. 49. a. 1; cf. 3. dist. 19. q. 1. a. 1. sol. 1; Vasquez in 3. P. disp. 133. c. 4.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

iustificati in sanguine ipsius. Et sic humanitas Christi est instrumentalis causa (instrumentum coniunctum) iustificationis; quae quidem *causa nobis applicatur* spiritualiter (et ex opere operantis) per fidem, et *corporaliter* (atque ex opere operato) *per sacramenta*... Unde illud est perfectissimum sacramentum, in quo corpus Christi realiter continetur, scilicet Eucharistia; et est omnium aliorum consummativum, ut Dionysius dicit in Eccles. Hierarch. c. 3. Alia vero sacramenta participant aliquid de virtute illa, qua humanitas Christi instrumentaliter ad iustificationem operatur, ratione cuius *sanctificatus baptismo sanctificatus sanguine Christi* dicitur ab Apostolo Heb. X. 29. Unde *passio Christi in sacramentis* novae legis dicitur *operari; et sic sacramenta novae legis sunt causa gratiae quasi instrumentaliter operantia ad gratiam*.... Instrumentum movet, in quantum movetur... Similiter sacramenta operantur ad gratiam, prout sunt quasi mota a Deo ad hunc effectum; qui quidem motus attenditur secundum *institutionem, sanctificationem* (quatenus supernaturalis dignitas a Deo per Christum hominem merentem in sacramenta derivatur cf. 3. q. 62. a. 5. O) et *applicationem* ad eum, qui accedit ad sacramenta » (nam in ipsa applicatione et dispensatione agens principalis est Deus et Christus, cuius nomine et auctoritate sacramenta administrantur). S. Thom. de veritat. q. 27. a. 4. O et ad 4.

Iam ex hucusque declaratis facile apparet, quomodo sacramenta novae legis non solum sint conditio *sine qua non*, sed vera causa moralis collationis gratiae; non tamen causa princeps, sed instrumentalis. *Causa moralis* proprie dicta differt a mera *conditione*, sine qua non poneretur effectus, eo quod causae morali competit aliqua virtus, dignitas, excellentia, quae licet non physice influat et cooperetur ad ipsum *esse* effectus producendum, est tamen causae physice producenti ratio, propter quam producat effectum. Contra vero in eo, quod solum est conditio *sine qua non*, nulla est huiusmodi dignitas vel virtus; sed solum est aliquid connexum cum altero, in quo altero est propria ratio causalitatis non tamen exserenda in actum, nisi quando illa con-

ditio coniungitur. Sic si princeps iubeat oeconomum suum stipem dare omnibus deferentibus certum signum e. g. denarium plumbeum, mandatum principis seu princeps iubens est causa moralis efficiens, ut illi homines accipiant donum; inest ei namque auctoritas et dignitas, propter quam oeconomus dat pecuniam; ostensio vero signi plumbei est tantum conditio, sine qua non daret; nihil enim in illo signo est dignitatis, quod moveat oeconomum, sed tota ratio residet in mandato principis, quod tamen suam virtutem movendi oeconomum non exsereret, nisi coniungeretur ostensio signi plumbei.

Porro si illa dignitas ac pretium insit causae morali *ex propria forma permanente*, causa erit *principalis* non instrumentalis; si vero tota derivetur a causa superiori non per modum formae permanentis, sed solum quatenus superior hac inferiore *utitur et in eam influit*, haec inferior erit causa *instrumentalis* (1). Hoc modo debet intelligi, quod s. Thomas agens de sacramentis tam saepe repetit, virtutem causae instrumentalis non habere *esse completum*. « Instrumentum non operatur, nisi in quantum est motum a principali agente, quod per se operatur. Et ideo virtus principalis agentis habet permanens et completum *esse* in natura', virtus autem instrumentalis habet *esse* transiens ex uno in aliud, et incompletum . . . Sic et sacramentum consequitur spiritualem virtutem ex benedictione Christi et applicatione ministri (nomine Christi agentis) ad usum sacramenti » s. Thomas 3. p. 62. a. 4. corp. et ad 3.

Atqui sacramenta habent iuxta demonstrata veram dignitatem supernaturalem ex meritis et effuso pro nostra sanctificatione sanguine Christi, quae dignitas exigit sanctificationem eorum, qui remoto obice sacramentis initian-

(1) « Dicitur per se agere, quod agit per aliquam formam sibi inhaerentem per modum naturae completae, sive habeat illam formam a se sive ab alio, aut naturaliter aut violenter, per quem modum dicuntur illuminare sol et luna, calefacere ignis et ferrum ignitum et aqua calefacta. Alio modo aliquid operatur ad effectum aliquem *instrumentaliter*, quod quidem non operatur ad effectum per formam sibi inhaerentem, sed solum in quantum est motum a per se agente » s. Thomas de veritat. q. 27. a. 4. O.

tur; sunt ergo non solum *conditio* sed vera *moralis causa* sanctificationis. Habent autem eam supernaturalem dignitatem non ex forma aliqua eis inhaerente, sed tota derivatur a persona et meritis redemptoris, in quantum moraliter sunt actiones Christi sacramenta instituentis, ut iugiter suo nomine et sua auctoritate administrentur a legatis suis; sunt ergo causae *instrumentales*. Vide supra th. VI. n. II. Consulantur de Lugo disp. IV. sect. 5. n. 72. seqq.; Arriaga disp. X. sect. 3. praesertim n. 23-31; Pallavicinus Curs. theolog. l. VI. c. 16. n. 215-218; Haunoldus l. IV. c. 3. controvers. 3. n. 610-627; Antonius Mayr tract. X. disp. 2. a. 2; Holtzklau theolog. Wirceburg. de Sacram. c. 2. a. 2. n. 55. seqq.

III. Sunt praeterea sacramenta *instrumenta Dei* ad gratiam nobis conferendam. Vidimus supernaturalem dignitatem sacramentorum, qua exigente collationem gratiae constituuntur verae causae morales gratiae, derivari totam ex meritis et pretio sanguinis Christi; atque ideo Christum *per sua merita* esse causam moralem *principem* gratiae, sacramenta autem esse causas morales *instrumentales* ipsi Christo redemptori, non sane ad merendum sed ad meritum in cruce consummatum nobis applicandum. At in Christo Domino ipso humanitas per se spectata est instrumentum Dei Verbi ad merendam et conferendam nobis gratiam, quia infinita dignitas meritorum derivatur ab infinita dignitate personae divinae, quae per humanam naturam assumptam tamquam per instrumentum coniunctum et functionibus huius naturae tamquam principii *quo*, ut dici solet, pro nobis condigne satisfecit et nobis gratiam meruit, ac nominatim meruit dignitatem suorum sacramentorum. Ergo *dignitas sacramentorum* spectatis meritis, ex quibus ea promanat, proxime quidem ad Christi humanitatem ut ad principium *quo*, sed ultimo ad divinam ipsam personam ut ad principium *quod* redigenda est. Et hic est primus modus, quo sacramenta ut causae morales sunt *instrumenta Dei Verbi* ad conferendam nobis gratiam. « Principalis causa efficiens gratiae est ipse Deus, ad quem comparatur humanitas Christi sicut instrumentum coniunctum, sacramentum

autem sicut instrumentum separatum, et ideo *oportet, quod virtus salutifera a divinitate Christi per eius humanitatem in ipsa sacramenta derivetur* » s. Thomas 3. q. 62. a. 5.

Praeterea sicut generatim auctor princeps redemptionis nostrae est Deus, qui « sic dilexit mundum ut filium suum unigenitum daret » Io. III. 16. et « Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi » 2. Cor. V. 19; ita est auctor princeps omnium mediorum salutis atque adeo sacramentorum, quae per Christum (secundum quod homo est) instituit, et quibus utitur ad nos sanctificandos, dum nomine et auctoritate ipsius Patris et Filii et Spiritus Sancti administrantur. Ex hoc principio inferimus id, quod in ultima parte theseos enuntiatum est. Sacramenta scilicet non solum sunt actiones Christi, *secundum quod homo* est nobisque gratiam promeruit, ex qua ratione ostendimus n. II. ea esse veras causas morales instrumentarias collationis gratiae; sed sunt etiam velut realia, seu iuxta modum loquendi Augustini, visibilia verba practica Christi spectati *secundum divinam naturam*, et proinde Dei unius et trini, qui ea instituit iisque utitur constanti lege ad suam divinam actionem seu voluntatem sanctificatricem et productricem gratiae sensibiliter exprimendam. Virtus divina est, quae *ut causa physica* producit ac infundit gratiam; sed huius virtutis et actionis divinae *expressio sensibilis* est ipsum visibile sacramentum, a Deo ad hoc institutum et a Deo per suos ministros ad hoc adhibitum, eo fere modo, quo verbum sensibile Filii Dei: « Lazare, veni foras; » « puella, surge » Io. XI. 43; Luc. VIII. 54, expressio erat divinae virtutis et operationis, quae *efficientia physica* excitabat mortuos.

Secundum haec intelligi potest explicatio modi, quo sacramenta dicantur efficacia gratiae, quando Henricus Gandavensis, probabiliter etiam Guillelmus Altisiodorensis, et recentius atque explicatius Dominicus Viva (Theol. T. II. P. VII. disp. 7. q. 2. n. 5.) docent, sacramenta conferre gratiam eo, quod divina omnipotentia ad effectum gratiae in eis *speciali modo inexistit*. Deus secundum *essentiam* aequali modo ubique est, non tamen in omnibus aequali modo

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

est secundum *potentiam* et *praesentiam*, h. e. secundum operationem et manifestationem (vide tract. de Deo th. XXXIV.). Speciali enim modo est e. g. in iustis, diffundens in eis sua dona sanctificantia, et exhibens se eis ut obiectum fidei, spei et charitatis, speciali modo erat in omnibus theophaniis, speciali modo in templo, quod « sanctificavit, ut poneret nomen suum ibi » 3. Reg. IX. 3. At si sacramenta tamquam actiones Christi redemptoris ex dignitate sua supernaturali exigunt coniunctionem divinae omnipotentiae et bonitatis ad conferendam gratiam initiatis, quemadmodum ostendimus n. II., et si a Deo ipso ordinata sunt, ut tamquam practicum verbum Dei visibile sint expressio divinae actionis sanctificantis, quod ostensum est hoc n. III.; negari non potest, *speciali modo secundum operationem et manifestationem* Deum sanctificatorem esse in sacramentis. Hinc sancti Patres efficientiam sacramentorum tribuunt praesentiae Spiritus Sancti, « qui *in illis latenter operatur*, » ut ait s. Basilius (de Spiritu Sancto c. 15. n. 35.). « Si qua in aqua gratia, *ex praesentia est Spiritus Sancti* » Ambrosius (de Spiritu Sancto l. I. c. 6. n. 77.). « Sacrum unguentum post invocationem est Christi et Spiritus Sancti donarium, quod *praesentia divinitatis eius* fit efficax... Et visibili unguento corpus quidem ungitur, Sancto autem et vivifico Spiritu anima sanctificatur » (Cyrillus catech. 21. n. 3.). « Sacramenta ob id dicuntur, quia *sub tegumento corporalium rerum divina virtus secretius operatur* salutem » (Isidorus Etymol. l. VI. c. 19.).

Duo autem hic sunt animadvertenda, unum momenti maximi, alterum magis ad modum loquendi pertinens quam ad rem ipsam. Primum est, ne res ita concipiatur, ac si Deus solum ex sua promissione sacramentis assisteret, et posito sacramento ipse conferret gratiam; hoc enim modo sacramenta visibilia non praetergrederentur rationem *signi*, nec essent *verae causae* gratiae, ut animadvertit s. Thomas (3. q. 62. a. 1; de verit. q. 27. a. 4. 0), et ut satis ex superioribus constat. Habendum ergo est sedulo prae oculis, in hac explicatione, de qua nunc agimus, supponi et includi explicationem priorem n. II. propositam. Quare non solum

omnipotentia Dei physice producens gratiam dicitur *sacramentis adsistere*, quin in illis spectatis distinctim ab hac assistentia sit quidquam concurrens et exigens collationem gratiae; sed imo *supernaturalis dignitas* sacramentorum saepe iam declarata *exigens collationem gratiae* est ratio et quodammodo vinculum, cur inexistat et quo coniungatur sacramentis divina virtus ad effectum sanctificationis nostrae; sicut in anima iusti, si exemplo in multis quidem dissimili uti licet, gratia sanctificans est quasi vinculum, quo anima unitur inhabitanti Spiritui Sancto. Aut igitur fallor aut ex dictis apparet, non deesse modum explicandi *inexistentiam divinae virtutis et omnipotentiae* in sacramentis, quam aliqui scholastici prorsus intelligi non posse dixerunt (cf. Vasquez in 3. P. disp. 132. c. 1. n. 2. 12; Suarez disp. 9. sect. 2. §. « ultimus modus »).

Alterum quod dixi advertendum, est illud dubium, utrum sacramenta, ratione huius inexistentiae virtutis divinae seu Dei operantis et physice producentis gratiam, possint ac debeant censeri *causae instrumentales physicae* ad conferendam gratiam, ut instantius contendit Viva l. c. « Quoties agens producit effectum per virtutem physicam propriam seu appropriatam, inquit, tunc producit illum physice. Sed sacramenta in hoc casu producerent gratiam per omnipotentiam inexistentem, tamquam per virtutem iis appropriatam. Ergo producerent gratiam physice. » Confirmat deinde ex eo, quod si sacramenta producerent gratiam per qualitatem physicam eis inhaerentem, physice producerent gratiam; iam vero omnipotentia Dei inexistens sacramentis tamquam virtus eis appropriata supplet vices illius qualitatis inhaerentis; ergo sacramenta dici debent etiam physice producere gratiam, eo quod modo supra explicato eis inexistit tamquam virtus appropriata omnipotentia divina physice producens gratiam (1). Verum tota

(1) Haec eadem videtur esse doctrina Dominici Bañez, quamvis aliis verbis proposita. « Cum Deus mediante corporeo instrumento v. g. mediante aqua causat gratiam in anima, duo facit in ipso instrumento. Primo *communicat illi suam divinam actionem* (quae nihil est aliud quam ipsa *divina essentia agens*). Secundo utitur actione propria

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

haec lis videtur esse de verbis. Si omnis illa operatio, quae cum sacramentis coniungitur ut *conveniens et appropriata* supernaturali eorum dignitati, dicitur *operatio sacramenti*, et illud totum complexum *ex signo visibili et divina omnipotentia*, appellatur *sacramentum operans*, nemo dubitat quin sacramenta dici deberent *physice* producere gratiam. At quando quaeritur de modo, quo sacramenta sint causa gratiae, utrum *physice* an solum *moraliter;* semper intelligitur quaeri, quae sit virtus *ipsius signi visibilis* sub omnipotentia Dei, et ut ab hac omnipotentia distinguitur. Hoc autem modo etiam in explicatione Dominici Viva nihil aliud intelligi potest tamquam *virtus propria sacramenti*, quam eius *supernaturalis dignitas* derivata a persona et meritis Christi, quae exigit collationem gratiae, et eo ipso exigit coniunctionem divinae omnipotentiae ad gratiae productionem. Haec vero sacramenti efficacia, considerati dis-

ipsius instrumenti (puta e. g. ablutione corporis) in ordine ad animam, et *mediante communicatione applicat animae suam virtutem divinam et suam actionem productivam gratiae.* Et quamvis operatio naturalis et propria instrumenti (e. g. ablutio corporis) per se ipsam non attingat animam, nihilominus ipsum instrumentum et ipsa operatio naturalis eius proprie dicitur attingere animam et productionem gratiae in illa, eo quod instrumentum attingit animam et productionem gratiae *operatione sibi communicata a Deo* agente principali, quatenus illa *operatio sibi communicata a Deo* determinatur et quasi modificatur per operationem propriam instrumenti. Quemadmodum licet sola anima rationalis per intellectum producat intellectionem, non utendo organo corporeo, nihilominus non sola anima dicitur intelligere sed totus homo constans anima et corpore, eo quod intellectus, dum est in corpore, non producit intellectionem nisi determinatus a phantasmate corporeo; ita hic non solum operatio communicata instrumento a Deo auctore principali dicitur concurrere ad productionem gratiae, sed totum instrumentum corporeum etiam secundum actionem sibi propriam, eo quod *actio communicata ab agente principali* non attingit productionem gratiae nisi determinata per actionem propriam instrumenti. In hoc sensu debet intelligi id quod diximus, instrumentum *deferre et applicare* per suam propriam operationem, *virtutem et actionem principalis agentis* ad subiectum, circa quod fit operatio principalis agentis. Et eodem sensu intelligitur id, quod dicit Caietanus 3. q. 13. a. 1. quod *instrumentum corporeum defert imperium practicum divini intellectus* ad opus miraculosum et ad subiectum, circa quod tale opus patratur » Bañez in 1. q. 45. a. 5. conclus. 4. ad 4.

tincte ab omnipotentia divina, profecto non est *physica* sed tantum *moralis causa* gratiae.

Quae dicta sunt de *causalitate morali* sacramentorum, tum quatenus sunt instrumenta Christi redemptoris et summi sacerdotis *secundum humanitatem*, tum quatenus sunt instrumenta *Dei auctoris principis* omnium mediorum gratiae ac salutis, ita certo deducuntur ex principiis revelatis, ut a nemine in dubium vocari possint. Est ergo omnino certum, sacramenta esse *veras causas morales* collationis gratiae; sed non hoc ipso iam probatum est, ea non esse simul etiam *causas physicas*. Ex hac igitur thesi certo constat, falli eos, qui putant causalitatem physicam sacramentorum ideo vindicandam esse, quia hac non adserta vel hac negata iam ratio *verae causae* et differentia a sacramentis veteris testamenti, iuxta doctrinam catholicam profitenda, in sacramentis novi testamenti intelligi non posset, quasi sola remaneret ratio *signi* aut *conditionis sine qua non*, quae ad rationem verae causae non sufficit; non tamen adhuc satis constat, utrum reipsa sacramentis non competat *etiam* ratio causae *physica operatione immediate concurrentis* ad productionem gratiae. De hac re dicemus in thesi sequenti; nunc aliqua, quae intelligentiam *causalitatis moralis* in sacramentis obscurare possent, elucidanda supersunt.

IV. Videri possent sacramenta non esse modo, quo dictum est, *causae morales* gratiae; quod 1°. causa moralis puta iubens, consulens, etc. agit per causam physice ponentem effectum, non vero *causa physica per moralem*. At non sacramenta operantur per Deum, sed Deus per sacramenta confert gratiam. Insuper 2°. si sacramenta essent causae morales, non efficerent aliquid in homine sanctificando sed in Deo sanctificante. Atqui absurdum est sacramenta aliquid efficere in Deo; et insuper sacramenta sunt causae immediatae ad conferendam gratiam non solum mediatae. Ergo non sunt causae morales. 3°. Actio, qua conficitur sacramentum, saltem aliquando talis est, quae nec fit, nec fieri potest *nomine* ac *in persona* Christi et Dei, ut sunt actus poenitentis et pactio matrimonii; nec enim

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

profecto Christus per hominem confitetur aut init contractum. Generatim quando homo per ipsam collationem sacramenti peccat, non agit tunc Christus per hominem, et tamen sacramentum consistit et est efficax ad collationem gratiae. Ergo ipsum principium, cui tota doctrina proposita innititur, falsum esse videtur.

Respondendum est ad 1^um^: quae causa dicatur agere per alteram, non pendet a modo operandi *physico* vel *morali*, sed a *subordinatione* unius ad alteram. Iubens dicitur utique agere per exsecutorem, non eo quod ille est causa moralis hic causa physica; sed quia hic illi est subordinatus. Vice versa si causa physica sit principalis habens subordinatam causam moralem et hanc ordinans ad effectum a se intentum, causa physica dicitur agere per moralem. Sic Deus absolute spectatus per Christi merita, per eius passionem ac mortem, nos redemit et salutem confert, quia haec causa meritoria et eatenus *moralis* est Deo subordinata, et a Deo ordinata ad effectum nostrae salutis. Ita ergo Deus confert gratiam per sacramenta, quia haec a Deo instituta et ordinata sunt ad hunc effectum, et auctoritate ac iussu Dei ad hunc effectum administrantur.

Ad 2^um^. Si haec obiectio valeret, in primis neganda esset *causalitas moralis* omnibus meritis tam Christi ipsius quam nostris. Constat tamen certo, merita Christi valoris infiniti et opera nostra bona facta per gratiam esse Deo rationem conferendi nobis beneficia et praemia multiplicia, atque ideo veras esse *causas morales* beneficiorum ac praemiorum. Directe deinde respondetur. In Deo nihil efficitur aut effici potest; divina enim intellectio et volitio, ut est in se, et substantialiter, est ipsamet divina essentia infinita et immutabilis. Potest tamen esse huius divini actus alia atque alia relatio, alius atque alius respectus ad extra, cui diverso respectui ad extra, si est practicus et operans, respondet diversus effectus in rebus. Talem divinae intellectionis et volitionis substantialis *respectum* ad extra appellamus divinam *operationem*, divinam *volitionem creantem, efficientem, sanctificantem*, etc. pro diversitate terminorum, ad quos refertur. Neque vero haec operatio aliquid superaddit Deo ut in se est, sed superaddit aliquid creaturae ad quam refertur (cf. tract. de Deo th. XXVII.). Quando videlicet bonitas aliqua in creatis postulat aliud bonum et cum alio bono connexa est tamquam ratio ipsius, ut dignitas meritorum Christi et ex eis derivata dignitas sacramentorum postulat gratiam conferendam; illa bonitas est causa alterius huius boni, et moraliter causat in creatura hoc bonum, non autem aliquid efficit in ipso Deo. Quia tamen voluntas divina vult hunc ipsum ordinem unius ad alterum, et ut unum sit tamquam effectus propter alterum tamquam causam moralem, causa moralis potest dici Deo ipsi esse ratio producendi physice effectum; quae productio, ut dixi, nihil mutat in Deo, sed mutat aliquid in creatura (1). Quamvis ergo dignitas sacramentorum habens ordinem ad conferendam gratiam contineat in se rationem collationis gratiae a Deo efficiendae, et ita dici possit Deo ipsi ratio conferendi gratiam; sacramenta tamen nihil efficiunt in Deo, sed efficiunt moraliter sanctificationem in homine.

Quod vero opponitur, sacramenta, si sint causae morales, non fore causas *immediatas*, distinguendum est. Quatenus sunt causae morales, non attingunt immediate *operatione physica* effectum gratiae, sed solum sua supernaturali dignitate exigunt sanctificationem hominis per infusionem gratiae, quae *physice* producitur a Deo, *concedo;* hoc enim ipsum dicitur, quando dicuntur causae *morales*. Non sunt causae *immediatae* ipsius gratiae, sed solum fidei vel dispositionis, per quam deinde obtineatur gratia sive ex opere operantis sive tamquam per manum apprehendentem iusti-

(1) « Voluntas Dei cum sit libera (ab omni influxu causae a se distinctae) magis etiam quam quaevis voluntas, non habet causam nisi finem voluntatis suae. Finis autem voluntatis suae est sua bonitas, quae est ipsemet.... Sed tamen *effectus* voluntatis eius, scilicet *ipsum volitum* ordinatum ad bonitatem suam, potest procedere ex aliqua causa, quam Deus praescivit ab aeterno; et istum ordinem causae ad causatum Deus vult, et vult, quod effectus sit quia causa est, non autem ita quod causalitas referatur ad voluntatem (quae est ipsa Dei essentia) sed ad volitum, et ista *causa voliti*, non *volendi*, dicitur *ratio quaedam voluntatis ex parte effectus* » s. Thomas 1. dist. 41. q. 1. a. 3.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tiam Christi, ut docent Protestantes, *nego*. Dicuntur scilicet sacramenta *immediatae* causae gratiae et iustificationis in oppositione ad doctrinam Protestantium, qui docent effectum sacramentorum, quatenus aliquem eis adscribunt, non esse immediate iustificationem sed solum *mediate*, quatenus sacramenta pertinent ad fovendam et confirmandam fidem, per quam solam iustificemur.

Ad 3^{um} respondetur: distingui debet formalis administratio ritus sacri a Christo instituti ad sanctificandos homines; susceptio sacramenti et eius effectuum; bonum vel malum morale, quod servata essentia ipsius ritus ab homine, qui ministrat, superadditur, non formaliter ut minister est, sed ut homo est.

Quoties secundum Christi institutionem cum materia coniungitur forma a ministro legitimo, i. e. potestatem habente ab ipso Christo, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, toties existit ritus per institutionem Christi sacer et sacramentalis, et toties proinde homo agit ut *minister* deputatus a Christo, nomine et auctoritate Christi; eoque ipso dispensatio sacramenti fit *principaliter* a Christo et solum *ministerialiter* ab homine Christi legato; et ideo secundum superius declarata actio formaliter ut sacramentalis est, censeri debet moraliter actio Christi ipsius. Actio autem ministri, quae est sacramentalis et fit nomine Christi, dupliciter se habere potest; vel enim materia remota non tantum pronuntiatione formae, sed etiam aliqua actione ministri fit proxima et pars sacramentalis actionis, ut aqua in baptismo fit materia proxima, dum ablutio simul et pronuntiatio verborum peragitur a ministro; vel materia remota praeiacens fit proxima per solam coniunctionem formae, ut panis transubstantiatione convertendus in confectione sacramenti Eucharistiae, et actus poenitentis in sacramento poenitentiae, et in matrimonio corpora legitime contrahentium (in sententia probabili, quod corpora sunt materia, et manifestatus utrimque consensus est forma huius sacramenti). In sacramentis ergo illis prioris ordinis actio nomine Christi a ministro peragenda constat *duplici parte*, in sacramentis posterioris ordinis *sola pronuntiatione formae* relata ad materiam praeiacentem.

Ad illud ergo, quod de actibus poenitentis dicitur in obiectione, patet responsio: actio sacramentalis peragenda a ministro nomine Christi est pronuntiatio absolutionis cum debita intentione, et formae coniunctio cum materia praeiacente; non autem materia a ministro nomine Christi et in persona Christi ponenda est.

Ad illud, quod obiicitur de contractu matrimonii, dicendum: licet eadem actio, quae *inducens mutuam obligationem* efficit contractum seu quae est ipse contractus *in fieri*, sit ex institutione Christi etiam *actio sacramentalis* significans coniunctionem Christi cum Ecclesia, et significans atque efficiens gratiam; distingui tamen debet duplex haec ratio. Quatenus enim est ad conferendam gratiam *positio signi sacramentalis* per ministros a Christo deputatos, qui sunt ipsi contrahentes, omnino fit nomine et in persona Christi. Quatenus est actio *inducens mutuam obligationem*, iterum distinguitur *activa* inductio obligationis, dum unus imponit obligationem alteri, et *passiva* obligationis susceptio: *activa* inductio obligationis fit in matrimonio christiano per ministrum sacramenti agentem nomine et auctoritate Christi; susceptio *passiva* obligationis sicut ipsa susceptio gratiae non fit a ministro formaliter ut minister est, sed ab homine suscipiente sacramentum; at nomine Christi et in persona Christi *administratur* quidem non tamen *suscipitur* sacramentum et sacramenti effectus.

Ad ultimum quod opponitur, ministrum quandoque ipsa administratione sacramenti peccare, patet distinctio. A ministro scilicet, formaliter ut minister est Christi, nomine et in persona Christi administratur ritus sacramentalis, quatenus sacramentalis est; at profecto non formaliter ut a ministro sacramenti agente in persona Christi, sed ab homine suo nomine et marte suo superadditur peccatum. Hanc distinctionem inter hominem ut peccator est, et ut minister est Dei ac Christi in sacramentis, frequentissime repetit et inculcat Augustinus adversus Donatistas. « Aqua baptismi in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti cum datur alicui, *nec nostra nec vestra* est sed *illius*, de quo Ioanni dictum est: super quem videris Spiritum sicut columbam de-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

scendentem et manentem super eum, *hic est qui baptizat in Spiritu Sancto* » August. contr. litt. Petil. l. II. c. 2.

Corollarium 1. In sacramento ss. Eucharistiae, ut est *sacramentum permanens* in refectionem animarum nostrarum, duplex ratio, ex qua causalitatem sacramentorum declaravimus, multo mirabilius multoque excellentius se habet. Diximus 1°. in sacramenta, quatenus moraliter sunt actiones Christi redemptoris, derivari ex persona et meritis, passione et morte Iesu Christi *dignitatem supernaturalem*, quae exigit collationem gratiae. At vero in hoc amoris mysterio *dignitas obiectiva* exigens sanctificationem non iam solum constat ex morali attributione et appropriatione actionis ad Christum redemptorem; sed dignitas continetur ipso reali corpore et sanguine Filii Dei cum omnibus eius meritis infinitis, quod corpus et qui sanguis vi verborum in statu cibi ac potus ad nutriendas gratia animas nostras sub speciebus panis et vini ab ipso constituitur. In aliis itaque sacramentis est *derivatio dignitatis* ex persona et meritis Christi in rem aliam tamquam *in instrumentum separatum*; hic, si spectetur persona divini Verbi, est *derivatio dignitatis* in suum proprium corpus et sanguinem et in totam suam sanctissimam humanitatem hypostatice Verbo unitam, quae est *instrumentum coniunctum* sicut olim ad metam, quae est *instrumentum coniunctum* sicut olim ad merendam nobis sanctificationem, ita nunc ad eam nobis actu conferendam. Si vero spectetur *Christus secundum quod homo est*, sic derivatio solum dici potest per identitatem ex uno *statu connaturali*, quo est in coelo, ad statum alterum *sacramentalem*, in quo se constituit nutrimentum animarum nostrarum. Paucis: in sacramentis reliquis ut actionibus Christi est derivatio pretii ex persona et meritis Christi; in hoc sacramento Christus ipse impertit se ipsum in statu sacramentali, corpus et sanguinem suum sacrificio oblatum ut pretium nostrae sanctificationis, cum omnibus suis meritis infinitis, quamvis pro mensura nostrae dispositionis finito modo applicandis; unde merito a Dionysio (Eccl. Hierach. c. 3.) dicitur *sacramentum sacramentorum*. « In sacramento Eucharistiae continetur *ipse Christus substantialiter*, in aliis autem sacramentis continetur quaedam *virtus instrumentalis*

participata a Christo; semper autem quod est per *essentiam* potius est eo, quod est per *participationem* » s. Thomas 3. q. 65. a. 3. cf. de verit. q. 27. a. 4.

Declaravimus 2°. efficaciam sacramentorum eo, quod divina operatio sanctificans in eis tamquam in verbis Dei practicis sese manifestat, et eis speciali modo divina omnipotentia inexistit. At in sacramento Eucharistiae divinitas non solum per operationem et manifestationem speciali modo inexistit, sed vi unionis hypostaticae per concomitantiam « inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter » (Coloss. II. 9.). Ipse itaque sanctitatis auctor Christus Iesus, persona divina in duplici natura sese nobis coniungit nosque complectitur ad effectum nostrae sanctificationis; secundum divinam quidem naturam ut causa princeps physice producens gratiam, per carnem vero et sanguinem suum, ratione cuius ibi totus Christus sacramentaliter existit, tamquam per instrumentum coniunctum, cuius infinita dignitas et infinitum pretium derivatur ex infinita excellentia personae, nobis sacramentaliter donans se ipsum ut animae nutrimentum et nobis applicans thesaurum meritorum suorum (cf. Conc. Trid. sess. XIII. cap. 3. can. 1.). Caro enim Christi vivifica est et sanctificans non quidem per se et quatenus natura est carnis, sed quia eius est caro, qui omnia vivificat. (Vide tractat. nostrum de Incarn. et Petav. de Incarnat. l. X. c. 2.)

Corollarium 2. Intelligitur ex dictis, quare non ipsa *sumptio* Eucharistiae sed tantum res permanens (corpus et sanguis Christi sub speciebus panis et vini) sit sacramentum; sumptio autem sit solummodo sacramenti permanentis applicatio et necessaria conditio, ut sacramentum in actu secundo conferat gratiam sacramentalem; quia scilicet dignitas exigens collationem gratiae tota residet in sacramento permanente, non autem inest ipsi sumptioni, in qua erit quidem meritum ex opere operantis, non tamen virtus obiectiva postulans collationem gratiae *ex opere operato*. (Lugo de Euchar. disp. I. sect. 7. n. 117. 118.)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

THESIS XI.

De rationibus cur a defendenda causalitate physica *sacramentorum abstinendum nobis videatur.*

« Cum explicata causalitas moralis visibilium sacramentorum ex » principiis indubiis certo consequatur, et per eam doctrinae catholicae » de efficacia et dignitate sacramentorum novi testamenti plene satisfiat, » opinio vero de efficientia physica signorum visibilium ad producendum » effectum sacramentalem, primum quidem ex principiis fidei colligi non » possit, deinde vero intelligentiam dogmatis reddat impeditissimam; » ab hac defendenda sententia theologus praeeuntibus multis et gravis- » simis doctoribus tuto et prudenter abstinere potest. »

I. Nihil assumi in demonstranda causalitate *morali* sacramentorum, quod non sit ex principiis fidei certum, satis constat ex thesi praecedenti. Totum enim eo tandem revocatur, quod Christus redemptor sacramenta instituit perpetuo per legatos suos suo nomine et sua auctoritate administranda ad applicationem meritorum suorum pro singulis initiatis; unde consequens est, sacramentis, utpote quae moraliter sunt actiones Christi ipsius, inesse *dignitatem supernaturalem* ex persona et meritis redemptoris, vi cuius dignitatis exigant collationem gratiae pro initiatis.

Ex hac autem doctrina sacramenta veras esse *causas* gratiae non autem solum conditionem *sine qua non*, pariter in superioribus satis demonstratum est.

Iam vero sacramentis praeter rationem verae causalitatis et praeter fundamentum huius causalitatis, quod est eorum *dignitas ex pretio sanguinis Christi*, insuper vindicandum esse *physicum influxum* ad producendam gratiam, neque in Scripturis neque in traditione neque in consentiente explicatione doctorum catholicorum continetur, aut ex hisce fontibus theologicis ea probabilitate deduci potest, ut explicatio testimoniorum in sensum causalitatis *moralis*, de qua aliunde certo constat, non aeque probabilis vel etiam probabilior censeri debeat.

Ex Scripturis nihil aliud in hanc rem proferri potest, quam quod dicimur regenerari *ex aqua, ex aqua et Spiritu Sancto*, sanctificari *per impositionem manuum*. Iam vero his loquendi modis exprimitur quidem ratio verae causae, ut

etiam ex catholica interpretatione et intelligentia constat; qualis vero sit *modus* operationis *physicus* an *moralis*, non ex hisce particulis colligi potest, sed vel ex subiecta materia de qua agitur, vel ex doctrina aliunde comperta disci debet.

Falsum omnino est, huiusmodi locutionibus proprie significari causam physicam tantummodo; aeque enim frequenter et etiam frequentius adhibentur de causa morali: « reconciliati sumus Deo *per mortem* Filii eius » Rom. V. 10; Coloss. I. 22; Heb. II. 14; « habemus redemptionem *per sanguinem* eius » Eph. 1. 7; « redempti estis de vana vestra conversatione... *pretioso sanguine* quasi agni immaculati Christi » 1. Pet. I. 19; Act. XX. 28; Coloss. I. 14. 20; Heb. XIII. 12; 1. Io. I. 7; « genuit nos *verbo veritatis* » Iac. I. 18; « renati non *ex semine* corruptibili sed *incorruptibili per verbum Dei vivi* » 1. Pet. I. 23.

Ex principio hermeneutico indubitato ita concludendum est: ubi exprimitur simpliciter causalitas, semper intelligendus est modus conveniens naturae rei de qua agitur; non autem supponendus modus sine novis miraculis impossibilis, nisi de his aliunde constet. Atqui naturae sacramentorum, de qua aliunde certo constat (ex dictis thesi antecedenti), conveniens modus conferendi gratiam est *efficientia moralis; efficientia* autem *physica* sine novis miraculis de quibus nulla occurrit mentio, locum habere nequit. Ergo in omnibus huiusmodi locis Spiritus Sanctus non aliam quam moralem efficientiam, quae ipsi naturae et sanctitati rituum sacramentalium convenit, voluit indicare et a nobis intelligi. Lugo disp. IV. sect. 5. n. 60. 61; Arriaga disp. XI. sect. 3; Pallavicinus de Euchar. n. 247. Nisi ita esset, et si absque consideratione rei, de qua agitur, phrases grammaticae ultra suum scopum urgendae essent, lingua humana redderetur inintelligibilis; et vero fingere etiam poterimus, aquam esse materiam, ex qua tamquam ex spirituali semine regeneremur, vel esse causam aeque principalem ac Spiritum Sanctum, quia dicimur regenerari ex aqua et Spiritu Sancto; quae sunt profecto absurda.

In ipsa Scriptura ubi de sacramentis agitur, principia traduntur in superiori thesi n. II. indicata, ex quibus non

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

aliam quam moralem efficientiam colligere licet. Imo etiam diserte, ubi efficacia sacramentorum explicatur, ea absque mentione efficientiae physicae omnino constitui videtur in obiectiva postulatione et impetratione remissionis peccatorum et sanctificationis, ita ut ipsum sacramentum sit *obiectiva postulatio gratiae* fundata in consummatis meritis redemptoris et institutoris sacramentorum. Quae est ipsa *causalitas moralis* superius a nobis declarata et demonstrata.

Locus huc pertinens est principis Apostolorum. « Salvos facit baptisma non carnis depositio sordium, sed conscientiae bonae interrogatio (ἐπερωτημα) in Deum per resurrectionem Iesu Christi, qui est in dextera Dei, deglutiens mortem » 1. Pet. III. 21. Cum posterioris incisi, de quo quaerimus, quoad *modum significandi* multae sint ac diversae Patrum ac interpretum explicationes; ipsum contextum inspiciamus. Illis verbis « bonae conscientiae interrogatio in Deum » enuntiari adtributum et efficientiam spiritualem baptismi, clarum est ex oppositione ad prius incisum, quo attributum et efficientia mere materialis negatur: « non carnis depositio sordium, sed bonae conscientiae interrogatio. » Ex eadem oppositione membrorum clarum eo ipso est, ipsum baptismum dici ἐπερωτημα *interrogationem bonae conscientiae*, seu hoc esse praedicatum baptismi ipsius, sicut de eo tamquam praedicatum negatur *carnis depositio sordium*. Ita Basilium intellexisse puto, ubi ait: « si qua est gratia in aqua, non est ex ipsius aquae natura, *sed ex Spiritus praesentia;* non *enim* est baptismus carnis depositio sordium, sed *bonae conscientiae interrogatio in Deum* » de Sp. S. c. 15. Hanc itaque « bonae conscientiae interrogationem » Basilius tribuit praesentiae Spiritus Sancti, seu potius aquae sive baptismo, quatenus ei adsistit Spiritus Sanctus. Iam quid sibi vult baptismus, qui sit *interrogatio bonae conscientiae?* Graecum verbum ἐπερωταω significat quidem interrogare, sed per hebraismum usurpatur etiam pro postulatione et rogatione; nam hebraice et aramaice שְׁאַל utramque habet significationem, sicut et substantivum שְׁאֵלָה בְּעָא (Phil. IV. 6) interrogationem et postulationem significat. Ita etiam ἐπερωταω tum Matth. XVI. 1. tum Ps. 137

(136). 3. (penes LXX) (1) adhibetur pro postulatione. Haec si vera sunt, Petrus efficientiam baptismi in eo collocat, quod est *efficax postulatio obiectiva bonae conscientiae* (2); hic autem valor postulationis derivatur ex persona et completis meritis Iesu Christi, « per resurrectionem Iesu Christi, qui est in dextera Dei deglutiens mortem » (vide supra p. 91). Atqui haec est ipsa *efficientia moralis* a nobis in superiori thesi declarata ac demonstrata. Hanc ergo et non aliam Petrus diserte sacramentis vindicare videtur.

Ad Patrum doctrinam quod spectat, eodem prorsus modo sentiendum est. Quod scilicet docent Scripturae de sacramentis velut *veris causis* sanctificationis nostrae, id Patres repetunt et urgent instantius et multiplici varietate similitudinum persuadere nituntur; ad *veritatem* enim causalitatis persuadendam non ad eius *modum* illustrandum illae similitudines pertinent. Si quando vero explicant rationem et modum efficaciae sacramentorum, non alia quam efficientia moralis ex eis intelligi potest.

Ita docent, *a*) quando efficaciam sacramentorum formaliter constituunt in eo, quod *continent pretium sanguinis Christi,* quod *rubent sanguine Christi,* quod in sacramentis *immergimur sanguini Christi,* h. e. per sacramenta continentia valorem sanguinis Christi idem valor nobis applicatur (supra th. X.); quando *b*) spectantes efficientiam *physicam,* hanc, quatenus est *physica,* docent esse ex parte visibilis ritus tantum externam in corpore, internam autem *productionem physicam* gratiae in anima esse solius Dei. Ita non obscure s. Cyrillus cateches. XXI. n. 3. distinguit *sanctitatem* sacramenti, vi cuius est efficax, et operationem physicam gratiae, quae in coniunctione cum visibili sacramento Spiritui Sancto tribuenda est. « Sacrum unguentum *non amplius commune est* post invocationem Sancti Spiritus,

(1) Ἐπερωτησαν αὐτον σημειον ἐκ του οὐρανου ἀποδειξαι αὐτοις Mt. XVI. Ἐπερωτησαν ἡμας λογους ᾠδων .... ἀσατε ἡμιν ἐκ των ᾠδων Σιων Ps. 136.

(2) Apostolus adhibet nomen ἐπερωτημα quod significans ipsam interrogationem vel postulationem *obiectivam* differt ab *activo* ἐπερωτησις sicut differunt βουλημα et βουλησις, ἀναθημα et ἀναθεσις, συστημα et συστασις κ. λ.

sed fit *efficax praesentia ipsius divinitatis*. Quod symbolice fronti aliisque sensibus tuis illinitur, *visibili quidem unguento corpus ungitur*, Sancto autem et vivifico *Spiritu anima sanctificatur* » (supra th. VI. n. III.). Pariter s. Augustinus asserta primum efficacia sacramenti iuxta illud, « nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto etc. », declarat modum et ordinem operationis in hunc sensum: « *aqua igitur exhibens forinsecus sacramentum gratiae, et Spiritus operans intrisecus beneficium gratiae, solvens vinculum culpae, reconcilians bonum naturae*, regenerant hominem in uno Christo, ex uno Adam generatum » Aug. ep. 98. n. 2. ad Bonifa. cf. contr. Crescon. l. II. n. 16. 26. « Neque aliquis discipulorum eius dedit Spiritum Sanctum; orabant quippe, ut veniret in eos, quibus manus imponebant, non ipsi eum dabant, quem morem in suis praepositis etiam nunc servat Ecclesia » August. Trin. XV. n. 45. cf. s. Hieronym. in Is. IV. 4. « Remissio peccatorum, sive per baptismum sive per alia sacramenta donetur, proprie Spiritus Sancti est, et *ipsi soli huius efficientiae privilegium* manet. Verborum solemnitas et sacri invocatio nominis et signa apostolicis institutionibus sacerdotum ministeriis adtributa, *visibile celebrant sacramentum, rem vero ipsam Spiritus Sanctus format et efficit*, et *consecrationibus visibilibus* invisibiliter *manum totius bonitatis auctor apponit*, et plenitudinem gratiae unctionis divinae pinguedo (i. e. divina bonitas et omnipotentia sanctificans) sanctificationibus officialibus (i. e. visibili sacramento) infundit, et rem sacramenti consummat et perficit » Auctor de oper. cardin. Christi: de Baptism. Christi (in appendice Opp. Cypriani p. 93.) cf. vulg. Ambros. de Sacram. l. I. c. 5. n. 15. Vide de Lugo disp. IV. sect. 5. n. 56.

Quae vero testimonia Patrum nonnullis theologis videntur asserere physicam efficientiam visibilium sacramentorum, ea demonstrant quidem manifesto, sacramenta esse veras causas gratiae et non solum conditiones vel signa, ad quorum praesentiam Deus ex pacto et promissione sua gratiam conferat; demonstrant etiam virtutem et omnipotentiam divinam in sacramento; atque adeo sacramentum,

si simul spectetur divina omnipotentia cum visibili ritu, physice producere gratiam: non tamen demonstrant *physicum* influxum *ipsius signi sensibilis* ad productionem gratiae. Sic sine dubio declaratur virtus propria sanctificans visibilis sacramenti, quando dicitur « aqua et visibile elementum combibere vim sanctificandi, sanctificari et transformari in statum sacrum, eique inseri vim sanctificantem, Deum ipsum dare elemento virtutem sanctificandi, Spiritum Sanctum supervenire aquis, illabi elementis, et per eius praesentiam elementum fieri efficax, mirabilem esse virtutem aquae accedente verbo, ut corpus tangat et cor abluat, mirabilem effectum simplicissimi ritus, ut homo inter pauca verba tinctus mundior resurgat. » At haec omnia verissima sunt, si sacramentis ex meritis Christi inest supernaturalis dignitas exigens collationem gratiae atque adeo virtus *efficacia morali* conferens gratiam, et si eadem dignitas supernaturalis postulat coniunctionem sanctificantis operationis divinae. Quod deinde sacramentis adscribitur efficientia similis illi, quae est verbi creantis, eo quod sacramenta sint practica verba Dei sanctificatoris; id non physicum operandi modum visibilis ritus demonstrat, sed demonstrat sacramenta esse expressionem et manifestationem virtutis divinae physice efficientis sanctificationem (supra th. X. n. III.). Postremo comparationes sacramentorum cum aquis producentibus pisces, cum utero materno, cum virtute supernaturali b. Virginis ad generandum Christum praeclarissimae sunt ad demonstrandam *veritatem* et realitatem causalitatis, sed non possunt applicari ad explicandum *modum* causalitatis; si enim ultra scopum urgentur comparationes, etiam absurda ex eis deducentur, puta e. g. aquam baptismi esse causam materialem hominis regenerati.

Theologi qui huiusmodi Patrum testimonia non nisi de causalitate physica sacramentorum intelligi posse putabant, eo decepti sunt, quod propriam rationem et virtutem *causae moralis* non satis considerantes, eam a *conditione sine qua non* vel a *mero signo* vix distingui putabant. Quod si verum esset, et si non alia daretur causa proprii nominis quam physica; sine dubio ex Scripturae et Patrum doctri-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

na, quae sacramentis virtutem *verae causae* evidenter vindicat, etiam causalitas physica demonstrata censeri deberet.

In hanc confusionem causae moralis cum mera conditione vel signo certe incidit auctor Operis de Re Sacramentaria (Drouin), dum inter cetera ex huiusmodi Patrum locutionibus ita concludit: « quis quaeso eius simplicitatem non rideat, qui sic exclamaret: quae est tanta virtus syngraphae, ut ea exhibita statim pecunia numeretur? quae tanta signi tabernae appensi vis, ut eo conspecto viator defatigatus diversorium ad coenandum petat? Ne igitur paris simplicitatis et imperitiae Patres accusemus, fatendum, ex eorum mente sacramenta virtutem habere acceptam divinitus ad gratiam physice conferendam » l. I. q. 3. c. 2. probat. 2. Negamus paritatem et consequentiam ex ea deductam. Sacramenta non sunt mere signa, sed sunt verae causae dignitate et virtute supernaturali; eorum effectus non est aliquid vulgare ut in allatis exemplis, sed maximum et pretiosum donum gratiae et adoptionis filiorum. Ut exemplo utar aptiori, quam est « signum tabernae, » non sane opera supernaturalia physice sed *moraliter* tantum sunt causa aeternae gloriae; nec tamen puto Drouinius rideret simplicitatem et imperitiam hominis, qui cum Apostolo miraretur, quod « momentaneum et leve tribulationis nostrae supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus *operatur* in nobis » 2. Cor. IV. 17.

Si ex Scriptura et Patribus modus ille efficientiae physicae deduci non potest, quod ipsum etiam de consensu scholae dicendum esse paulo post apparebit; haec sola ratio satis est, ut ab ea opinione defendenda abstineamus. Neque enim haec res aliunde quam ex verbo Dei, et eius consentiente intelligentia in Ecclesia demonstrari posse videtur. Hoc autem argumentum nostrum *negativum* ut vim habeat, supponit modum illum operationis physicae continere mysteria, quae non ex sola revelatione verae causalitatis sacramentorum deduci queant, sed speciali indigerent revelatione, ut cognosci a nobis possent; et quae si assumantur solum ut hypothesis ad dogmatis explicationem, illud non illustrent, sed multo reddant obscurius et intellectu

difficillimum. Quo sensu revera talia mysteria, minime revelata, contineantur in illo modo explicationis, paucis declarabo.

II. Non loquimur de ea sententia, quae neque qualitatem supernaturalem physicam sacramentis inditam, per quam concurrant physice ad productionem gratiae, neque elevationem eorum ex potentia obedientiali ad talem modum physicae operationis admittit; sed docet, sacramenta dum applicantur, *deferre imperium divinum*, vel *operationem Dei* agentis principalis *communicari sacramentis*, atque ita operationem Dei determinatam per sacramenta physice producere gratiam. Hanc enim doctrinam putamus posse intelligi ita, ut solis verbis differat a nostra explicatione (supra th. X. n. III.). Pariter non agimus de sententia alia quorumdam theologorum, qui aiunt, sacramenta esse *causas physicas indirectas* gratiae. Quod ita declarant: « causam physicam instrumentalem indirectam eam esse, quae aliquid physice producit, cui principalis effectus sit coniunctus. Igitur si ad applicationem physicam sacramentorum, ad ablutionem aquae, ad inunctionem olei, gratiam infundit occulta et inenarrabilis virtus Spiritus Sancti, tametsi elementa sensibilia spiritualem virtutem non habeant, erunt nihilominus physica producendae gratiae instrumenta » (Berti l. XXX. c. 20.). Haec doctrina non solum non continet *physicam productionem gratiae* per instrumentalem influxum visibilis sacramenti, de quo nos agimus; sed nisi aliquid addatur, neque explicat, quomodo sacramenta sint *verae causae* et non solum conditiones necessariae ad collationem gratiae; si autem melius explicetur, causalitas sacramenti physice applicati ad producendam gratiam non alia erit quam *moralis*.

Sermo itaque nobis est de *operatione physica* proprio sensu, quando dicitur ipsum elementum visibile, ipsum sensibile verbum elevari a Deo ita, ut sua physica operatione agat in animam, et in ea non quidem ceu agens principale, sed tamquam instrumentum Dei principalis agentis producat sua actione gratiam; sive iam dicatur elementum et sensibile verbum elevari a Deo per aliquam *qualitatem* super-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

naturalem ei inditam ad effectum gratiae vel nescio cuius ornatus et dispositionis producendum (quae posterior opinio fuit veterum Thomistarum Paludani, Capreoli, Dezae), sive elevatio concipiatur absque tali qualitate solum eo, quod Deus omnipotens quavis re uti possit tamquam instrumento ad quemvis effectum. Aiunt enim in quavis re eo ipso, quod est *ens* reale, esse *virtutem inchoatam* ad quidvis efficiendum, quod non specialem aliunde involvat contradictionem, si Deus concursu supernaturali suppleat defectum virtutis naturalis. Talem rerum omnium proprietatem illi theologi appellant *potentiam obedientialem activam*. Hanc doctrinam potissimum excoluit P. Suarez in 3. P. T. I. disp. 31. cf. de Sacram. disp. 9. sect. 1. versus finem.

Non dicemus, quod aliqui theologi contendunt, repugnare efficaciam physicam sacramentorum ad gratiam instrumentaliter producendam; neque enim rerum sive spiritualium sive materialium naturae, nominatim natura gratiae ipsius, conditiones ad quas creatura a Deo elevari possit, relationes, quae possint per divinam omnipotentiam intercedere vel non possint inter res sensibiles et inter spiritum, ita nobis sunt perspectae, ut *a priori* evidenter intelligamus vel repugnantiam vel non repugnantiam huiusmodi instrumentalis actionis. Falluntur tamen ii theologi, quibus satis est ostendisse nobis repugnantiam *non esse evidentem*, ut concludant: ergo talis modus efficientiae *non repugnat*. Sicut enim potest esse obiective possibile imo et realiter existens, quod lumine rationis non cognoscimus positive ut possibile, quamvis neque cognoscamus evidenter ut impossibile; ita hoc idem accidere potest in eo, quod obiective reipsa involvit contradictionem. Quid enim neque possibilitatem neque impossibilitatem cognoscere est aliud quam ignorantia? Quomodo vero inferre possum ex ipsa mea ignorantia possibilitatem rei, quamdiu nullae suppetunt rationes sive intrinsecus perspectae sive ex revelatione deductae, quibus me ab illa mea ignorantia expediam?

At vero admissa etiam non repugnantia, factum ipsum non videtur asserendum. Nam *a*) negari non potest, gratiam sanctificantem, donum illud pretiosum quo constituimur consortes divinae naturae (2. Pet. I. 4.), templum Spiritus Sancti inhabitantis (1. Cor. III. 16; VI. 19; Rom. V. 5.), filii Dei adoptione (Rom. VIII. 15; Gal. IV. 6.), ex sua natura postulare, ut a Deo solo producatur non minus, quam id de creatione proprie dicta communi sententia conceditur; sive iam cum vetustioribus theologis imo vero cum Scriptura sacra illam infusionem gratiae dicas *creationem* (cf. Ps. L. 2; Eph. II. 10. etc.), sive cum aliis dicas *eductionem ex subiecto*, in quo tamen sola est capacitas, nullum autem principium, nulla virtus et inchoatio ad gratiam (vide th. VIII. n. I.). Proinde concursus instrumenti physice ipsam effectionem gratiae attingentis, et adhuc magis, si pro tali instrumento assumantur res materiales vel materialis actio successiva ut ablutio e. g. et pronuntiata verba: huiusmodi inquam concursus et modus effectionis evidenter est praeter rerum etiam supernaturalium ordinem et naturam, et sane impossibilis sine novis miraculis ab ipsa infusione gratiae per se considerata omnino distinctis ac diversis (cf. de Lugo disp. IV. sect. 4. n. 48. 49.). At vero, ut fatetur et contendit ipsemet Suarez in alia materia (Trin. l. II. c. 12. n. 15.), « huiusmodi ineffabilia mysteria asserenda non sunt *sine fundamento cogente.* »

b) Ex iis, quae de causalitate sacramentorum in verbo Dei docentur, talis modus operationis deduci non potest; vel certe, quod omnes fateri debent, non potest sufficiente claritate deduci ita, ut absque ullo fidei et sanae doctrinae periculo non sit cuique integrum negare, hunc esse sensum sive in Scripturis sive in doctrina Patrum. Quae abunde superius demonstrata sunt.

c) Theologi scholae, qui eam sententiam defendunt, inter se magnopere dissident in modo explicandi; alii quam plurimi eam reiiciunt et oppugnant, vel certe ut non necessariam et nimis incertam seponunt. Ita sua aetate « magnos magistros » sensisse s. Bonaventura testatur 4. dist. 1. P. 1. q. 4; et 3. dist. 40. dub. 4 (1). Inter magnos magistros com-

(1) S. Bonaventura in utroque loco citato primum exponit modum operationis physicae ostendens, quot et quantae occurrant in eo difficultates, « quae, inquit, non idcirco narro, quia credo esse insolubilia,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

putandi sunt ipse s. Bonaventura, Henricus Gandavensis, Richardus de Mediavilla, Scotus et eius discipuli communi sententia, ut nihil dicam de schola Nominalium; inde a saec. XVI. Canus, Martinus et Bartholomaeus Ledesma, qui elegantiorem explicationem efficientiae moralis a Francisco Victoria didicisse feruntur, tum Vasquez, Becanus, Conink, Gaspar Hurtadus, de Lugo, Arriaga, Pallavicinus, Martinonus, Haunoldus, Antoine, Gormaz, Antonius Mayr, Tournely, Wirceburgenses, recentiores alii plerique. Ipsi vindices efficientiae physicae prudentiores fatentur utique,

vel ut ipse istam improbem positionem, sed ut ostendam, me ipsam non plene intelligere; et ideo nec affirmare nec negare velle. » Tum descendit ad modum alterum. « Alius est hic modus dicendi. Supposito quod in sacramentis novae legis divina virtus secretius operatur, quia hoc est ipsius fidei et sententiae communis; dixerunt aliqui, sacramenta novae legis habere respectu iustificationis *virtutem influentem, virtutem promerentem, virtutem disponentem, et virtutem efficaciter ordinantem*. Virtutem *influentem* ratione *Spiritus Sancti assistentis*, virtutem *promerentem* ratione *meriti passionis* ad sacramentum concurrentis, virtutem *disponentem* ratione *devotionis ipsius fidelis* sacramentum suscipientis (quae revera non est virtus sacramenti, sed est remotio obicis et dispositio supposita, ut sacramenti virtus secundum mensuram dispositionis conferat gratiam), virtutem denique *efficaciter ordinantem* ratione *divinae pactionis instituentis*. Sic enim instituit Dominus, ut ad talis verbi prolationem et sacramenti susceptionem mirabilis in suscipientibus fieret operatio et suscipientium sanatio et iustificatio, et pro tanto dicunt sacramenta novae legis habere virtutem..... Et propter istum quadruplicem modum habendi virtutem dicuntur sacramenta novae legis iustificare et esse causae gratiae. Nec volunt, qui hanc positionem sustinent, in sacramentis novae legis amplius ponere, tum quia ista satis videntur sufficere ad nostram sanationem et iustificationem; tum quia satis manifestatur nobilitas sacramentorum novae legis in seipsis, tum etiam quia *nec expressa auctoritas nec ratio* videtur cogere amplius illis dare... Hunc modum dicendi et huius quaestionis determinationem plures sustinent bene intelligentes. Et Dominus Guillelmus Parisiensis Episcopus in determinando in scholis Fratrum Minorum approbavit istum modum dicendi coram Fr. Alexandro (Halensi) bonae memoriae » Bonaventura 3. d. 40. dub. 3. Loco altero declarationem causalitatis moralis concludit ita. «Concedimus ergo, quod sacramenta novae legis sunt causa et efficiunt et disponunt extenso nomine (i. e. intelligendo de causalitate morali non physica, ut exposuerat paulo ante), ut dictum est; *et hoc securum est dicere*. Utrum autem plus habeant, nec volo affirmare nec negare » 4. d. 1. q. 4. quaest. later. 2.

hanc suam sententiam non esse certam neque necessariam ad dogmatis defensionem et declarationem. Sic Suarez studiosissimus patronus illius physicae operationis, ubi doctrina catholica de differentia inter sacramenta veteris et novi testamenti declaranda est, non permittit illud discrimen explicari *ex causalitate physica* sacramentorum novi testamenti, « quia, ait, *opinio illa de causalitate physica est valde incerta* et ad hominum sanctificationem non multum referens » (disp. X. sect. 2. §. « Quapropter alii Thomistae »).

d) Sententia illa est mera hypothesis, quae assumi non debet, nisi quatenus conferat ad intelligentiam dogmatis de sacramentorum supernaturali *dignitate et efficacia ex opere operato*. Iamvero dogmatis explicatio per illam redditur difficillima et fere inextricabilis. Certe quando illi theologi prolixis disputationibus conantur respondere ad quaestiones, quae sponte occurrunt et declinari nequeunt, quomodo simul materia et forma, quae non necessario physice coexistunt, nihilominus *ut physice unum* producant gratiam; quomodo sonus verborum, qui non necessario pertingit ad hominem sanctificandum, physica operatione aliquid efficiat, *ubi non exstat;* quomodo gratia et transubstantiatio, quae in instanti et non successive efficitur, possit physice effici *per actionem et prolationem verborum successivam?* Sacramentum enim non exstat, donec ultima syllaba complens sensum pronuntiata sit; unde verba antecedentia, utpote quae physice iam non exstant, non possunt physice aliquid efficere, atque adeo tota operatio physica videtur revocari non iam ad sacramentum, sed ad ultimum sonum syllabae. Quando, inquam, huiusmodi quaestiones et ad illas impeditissimae responsiones leguntur, sane non videtur probabile, Christum redemptorem ad has angustias sacrosancta mysteria redegisse; nec videtur in hac doctrina melius quam in nostra, et fortasse ne satis quidem consultum dignitati sacramentorum et gravitati explicationis in re, si qua alia, sanctissima reverenter et cautissime tractanda.

Consideratione dignissima sunt verba gravis theologi Gabrielis Vasquez, quibus suam disputationem concludit. « Sacramentorum excellentia et dignitas in eo est, ut ex

vi institutionis divinae (et ex merito ac pretio infinito sanguinis pro nobis in cruce effusi, quod per sacramenta, ut actiones sacrosanctas Christi ipsius, nobis applicatur) media sint ad salutem nostram partim omnino necessaria, partim maxime utilia, et eorum beneficio multi gratiam Dei et aeternam vitam consequantur, qua alioquin carerent. Quod autem id praestent physice vel moraliter, quid quaeso refert, ut, non dicam ad maximam, sed vel ad minimam eorum dignitatem pertinere dicendum sit? Adde, physicam efficaciam et concursum, ut a recentioribus explicatur, videri toti dignitati sacramentorum non parum derogare. Etenim ridiculum profecto apparet, totam sacramentorum vim et efficientiam ad extremum quoddam soni aut motus indivisibile revocare, quod physico concursu gratiam producat. Et sane Christum redemptorem nostrum in sacramentorum institutione harum subtilitatum aliquam curam habuisse, plane videtur commentitium. Quocirca cavendum est, ne, dum hoc modo virtutem sacramentorum explicamus, haereticis praebeamus occasionem irridendi mysteria nostrae fidei atque iactandi, ad huiusmodi angustias nos redactos esse pro defendenda eorum efficacitate, quam ipsi impugnant, cum tamen possit multo faciliori et solidiori modo explicari et defendi, ut hactenus a nobis praestitum est » Vasquez in 3. P. q. 62. disp. 132. c. 6. n. 111.

At vero a defendenda sententia ita comparata prudenter et tuto abstinere possumus, etiamsi ipsam rei *possibilitatem* non negemus.

Scholion 1. S. Thomas censetur a plerisque doctrinam de modo, quo sacramenta sint instrumentales causae gratiae, traditam in commentariis ad 4. dist. 1. q. 1. a. 4, in posterioribus suis scriptis paulum immutasse et perfecisse 3. q. 62; de verit. q. 27. a. 4; Quodlib. XII. q. 10. a. 14; contr. Gent. IV. c. 56. 57. In 4. dist. 1. perspicue tradit, sacramenta immediate efficere aliquam *dispositionem in anima*, cuiusmodi in tribus sacramentis est character, in aliis aliqua alia dispositio et, ut vetustiores Thomistae Capreolus, Paludanus, Deza aiebant, *ornatus quidam*, quem sequatur infusio gratiae. Ad gratiae enim productionem sacramentum

ne instrumentaliter quidem pertingere putabant; esse nihilominus veram causam instrumentalem gratiae eo, quod efficiat dispositionem ad gratiam. « In quantum sunt instrumenta divinae misericordiae iustificantis, pertingunt instrumentaliter ad aliquem effectum in ipsa anima, quod primo correspondet sacramentis, sicut est character vel aliquid huiusmodi; ad ultimum autem effectum, quod est gratia, non pertingunt etiam instrumentaliter nisi dispositive, in quantum hoc, ad quod instrumentaliter effective pertingunt, est dispositio, quae est necessitas, quantum in se est, ad gratiae susceptionem » s. Thomas l. c. sol. 1. Modus autem, quo sacramenta concurrerent instrumentaliter ad illam animae dispositionem producendam, videtur omnino ab eis intellectus esse per efficientiam *physicam*. Quamvis enim hoc vocabulo ante Caietanum nemo usus sit, res tamen ipsa videtur esse clara. Illum quippe *ornatum*, quem Canus (Relect. de sacram. P. IV.), Martinus Ledesma (4. q. 3. a. 1. p. 36.) et plerique alii paulo recentiores merito appellant fictitium, non alia de causa supponebant, quam quod efficaciam sacramenti immediate ad gratiam pertingere non posse certum habebant; hoc vero non de virtute et efficacia morali sed solum de physica intelligi potest. Idem apparet ex modo, quo s. Thomas l. c. ad 6. explicat operationem instrumentalem verborum in transubstantiatione. « Verba sacramentalia, inquit, pertingunt instrumentaliter ad transubstantiationem, quantum ad recessum a termino *a quo* (desitionem substantiae panis); sed quantum ad accessum ad terminum *ad quem* (positionem corporis Christi), non pertingunt instrumentaliter nisi *dispositive*, sicut in aliis sacramentis.» At profecto virtus moralis quatenus verba sunt expressio divinae omnipotentiae, et quatenus exigunt conversionem utpote dicta in persona Christi summi sacerdotis, evidenter non minus pertingit ad positionem corporis Christi quam ad desitionem substantiae panis; sed sicut significant, ita operantur una simplici *operatione morali* positionem corporis Christi in ordine ad desitionem substantiae panis; unde etiam s. Thomas in Summa posterius scripta 3. q. 78. a. 4. nullam amplius huius distinctionis facit mentionem.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Sensit igitur in commentario in sententias, operationem instrumentalem verborum ad desitionem substantiae panis et eodem modo in aliis sacramentis ad producendam illam praeviam dispositionem in anima, esse *physicam*.

At quoniam haec opinio de *praevio illo ornatu* tamquam effectu sacramentorum iam apud omnes obsolevit, et Angelici Doctoris genuinam sententiam ex operibus posterioribus cognoscere iubemur; profecto etiam quae fuerit eius sententia de modo, quo sacramenta effectum producant physice ne an tantum moraliter, ex his posterioribus scriptis, dimisso commentario in sententias, discendum erit. Quibus positis apud s. Thomam distingui debent scopus quem unice spectat, et speciales explicationes quibus utitur. Scopus ei propositus est docere, sacramenta novae legis esse *veras causas* instrumentales ad conferendam gratiam, non autem solum *conditionem sine qua non* aut *mera signa*, ut denarius plumbeus est conditio, sine qua non datur pecunia, et traditio libri est signum collati canonicatus. Unde defendit constanter, in sacramentis esse aliquam virtutem spiritualem et supernaturalem, per quam sint instrumentalis causa gratiae. Haec in doctrina Angelici clara sunt, et etiam sufficiunt, ut quis eis inhaerendo dici debeat quoad rei summam a mente s. Thomae non discedere; quamvis fortasse specialibus declarationibus in hac re non iisdem utatur.

Quoad explicationes speciales illius virtutis et efficaciae, quam docet s. Thomas inesse sacramentis tamquam instrumentis Dei et Christi secundum humanam naturam spectati, non omnes eodem modo illum interpretantur. Mihi videtur s. Doctor solum in communi defendisse spiritualem virtutem sacramentorum contra statuentes rationem *merae conditionis* et *signi*, quorum oppugnationem constanter et ubique propositam habet, quin expresse voluerit definire illam virtutem sive ad physicam sive ad moralem tantum efficientiam. Explicationes tamen ita se habent, ut cum modo efficientiae a nobis declaratae, quae |post Melchiorem Canum dici solet *causalitas moralis*, optime conveniant.

Nam 1°. constanter docet Angelicus, sacramentorum virtutem derivari ex passione Christi, non eo quod Christus meruit, ut sacramenta physice efficiant gratiam, quemadmodum interpretantur Suarez et alii, sed ipsam formalem virtutem sacramentorum in eo collocat, quod repraesentant, et nobis coniungunt et, ut ait, ad nos « continuant.passionem Christi, atque nobis singulis, dum suscipiuntur, meritum passionis applicant. « Sacramenta Ecclesiae specialiter habent virtutem ex passione Christi, cuius virtus quodammodo *nobis copulatur* per susceptionem sacramentorum » 3. q. 62. a. 5; « virtus passionis Christi *copulatur nobis* per sacramenta... *continuatio* quae est per sacramenta, fit per usum exteriorum rerum... a *passione Christi* quae est causa humanae iustificationis, convenienter *derivatur virtus iustificativa* ad sacramenta novae legis » ib. a. 6; « *tota virtus a passione Christi derivatur* » ib. q. 64. a. 7; « *ex passione Christi efficaciam habent*, et ipsam quodammodo *repraesentant* » contr. Gent. IV. c. 57; « sacramenta habent virtutem *per coniunctionem* ad Christum crucifixum et passum » Quodlib. XII. q. 10. a. 14.

Praeterea 2°. declarat saepe s. Thomas, sacramentorum totam virtutem instrumentalem esse ex *motione* Dei et Christi, hanc vero motionem nihil esse aliud quam *a*) *ordinationem* et *institutionem*, qua sacramenta a Deo et a Christo homine ordinantur et instituta sunt ad sanctificationem nostram. Ne vero intelligantur ordinata ad sanctificationem per physicum influxum, *b*) motionem consistere, ait, in *sanctificatione* et *benedictione*, impertita ipsis sacramentis, quod Deus et Christus visibilem actionem efficit sacram, in qua sanctitate consistat virtus spiritualis. *c*) Motionem illam, ait, esse in ipsa *dispensatione*, quae scilicet fit a ministris auctoritate Dei et nomine ac in persona Christi. « Vis spiritualis est in sacramentis, in quantum *ordinantur* a Deo ad effectum spiritualem » 3. q. 62. a. 4. ad 1. « Hoc modo (instrumentaliter quatenus mota a Deo) sacramenta novae legis gratiam causant; adhibentur enim ex divina *ordinatione* hominibus ad gratiam in eis causandam. Unde Augustinus dicit, haec omnia, scilicet sacramentalia, fiunt et transeunt; virtus tamen, scilicet Dei, quae per ista opera-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tur, iugiter manet. Hoc autem proprie dicitur instrumentum, per quod aliquis operatur (1) » ib. a. 1. cf. contr. Gent. IV. 56. « Virtutem spiritualem sacramentum consequitur *ex benedictione* Christi, et applicatione ministri ad usum sacramenti » 3. q. 62. a. 4. ad 3. « Sacramenta operantur ad gratiam, prout sunt quasi mota a Deo ad hunc effectum, qui quidem motus adtenditur secundum *institutionem, sanctificationem* et *applicationem* ad eum, qui accedit ad sacramenta » Verit. q. 27. a. 4. ad 4. Docet porro constanter, hanc spiritualem virtutem non esse in sacramentis velut physicam formam inhaerentem; sed esse aliquam derivationem a Christo in sacramenta, et esse aliquid non consistens sed transiens sicut transit ipsa actio sacramentalis (vide th. X. n. II.). Atqui haec omnia clarissima sunt, si intelligantur de supernaturali dignitate sacramentorum ut actionum Christi derivata ex persona et meritis Christi, quae exigat sanctificationem hominis suscipientis sacramentum et per sacramentum applicationem meritorum Christi: sed sunt obscurissima et inextricabilia, si intelligantur de virtute aliqua physica incompleta et fluente a Deo per sacramenta ad animam sanctificandam.

3°. Ex doctrina s. Thomae « sacramenta *significando* causant » Verit. q. 27. a. 4. ad 13. et 17. Unde etiam dicitur virtus verborum, quae omnino simplex est, consequi significationem, quae et ipsa est simplex non composita, « licet in verbis exterius prolatis sit quaedam compositio » 3. q. 78. a. 4. ad 3. Atqui *significatio* in rebus et verbis non est aliquid physicum, nec potest intelligi ut virtus physica et operatione physica aliquid efficiens (vide Vasquez in 3. q. 62. disp. 132. c. 3. n. 85; de Lugo disp. 4. sect. 5. n. 98.).

Scholion 2. Quando agitur de actionibus humanae naturae Christi quae, dum visibilis versabatur in terris, con-

(1) Ita mysteria in carne Christi perpetrata et merita Christi hominis dicuntur a. s. Thoma *instrumentaliter efficere* nostram salutem, quatenus a Deo ordinantur ad hunc effectum, quamvis salutem ipsa merita non physice sed meritorie et moraliter producant 3. q. 48. a. 6. ad 3. q. 49. a. 1; q. 62. a. 5. ad 1. cf. supra p. 109.

currebant cum actibus naturae divinae ad miracula patranda et ad sanandas per gratiam animas; quaestio, utrum illae humanae actiones influxu physico concurrerint an solum moraliter, habet quidem aliquam analogiam cum quaestione praesenti de modo operationis sacramentalis, et revera theologi plures qui tuentur operationem solum moralem, etiam idem defendunt quoad illas actiones humanas Christi in terris conversantis. Attamen discrimen est multiplex, tum spectata proprietate actionum, quarum principium est natura hypostatice unita Verbo, et quas ergo edit ipsum Verbum functionibus suae naturae humanae, quam sibi fecit propriam ita, ut ipsum Verbum verus sit homo et hic homo sit Deus Verbum; tum est discrimen in modo, quo loquuntur Scripturae (cf. e. g. Luc. VIII. 44. 46.) et Patres (cf. Petav. Incarn. l. X. c. 2.) de theandricis illis actionibus Christi, longe diverso, ac quo describitur operatio sacramentalis. Non est ergo concedendum, ut ex admisso physico influxu actionum humanarum Christi ad patrationem miraculorum vel ad collationem gratiae, idem inferatur de sacramentis; neque ut ex asserta solum morali efficientia in sacramentis, eadem etiam restrictio in actionibus theandricis Christi Domini necessario admittenda esse dicatur.

Scholion 3. Gratia habitualis, quam ex opere operato conferunt sacramenta, non sane est in se et intrisecus diversa a gratia, quae extra sacramenta ex opere operantis potest acquiri; nec ulla est ratio fingendi cum nonnullis veteribus theologis habitus peculiares distinctos a gratia sanctificante, qui praeter gratiam sanctificantem per singula sacramenta singulis *diversi* conferantur, et qui peculiares habitus proprie sint ac dicantur *gratia sacramentalis*. Ex altera parte certum est, sacramenta diversa ad diversos fines esse instituta, atque etiam effectum gratiae aliquo modo inter se differre; ex quo ipso sequitur, aliquam debere esse differentiam in gratia, quatenus per sacramenta et quatenus extra sacramenta confertur. Hoc autem nihil potest esse aliud, nisi quod gratia sanctificans ita per sacramenta singula confertur, ut specialem habeat ordinem

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ad auxilia actualia respondentia fini proprio singulorum sacramentorum. *Gratia sacramentalis* itaque nihil est aliud quam ipsa gratia sanctificans collata per sacramentum cum peculiari respectu et ordine ad auxilia actualia, qui ordo gratiae constituitur vi ipsius sacramenti suscepti. Suarez disp. VII. sect. 3; Vasquez disp. 131. c. 7; Lugo disp. IV. sect. 3.

CAPUT IV.

DE CHARACTERE SACRAMENTALI.

THESIS XII.

Veritas characterum sacramentalium demonstratur ex verbo Dei revelato.

« Praeter effectum gratiae omnibus sacramentis communem, esse alterum tribus proprium, quae *characterem* imprimunt in anima h. e. signum quoddam spirituale et indelebile, doctrina est, cuius origo apostolica demonstratur tum ex nota universalitatis et consensionis plane constantis pluribus saltem saeculis, antequam prima Novatorum negatio audiretur, tum ex continua serie testificationis in Ecclesia occidentali et orientali usque ad aetatem apostolicam nunc generalioribus nunc distinctioribus lineamentis consignatae. »

I. Universitatem et consensionem, ut loquitur Vincentius Lirinensis, seu universalem consensum in aliquam doctrinam tamquam dogma fidei et professionis catholicae esse criterium certum antiquitatis absolutae seu apostolicitatis doctrinae eiusdem, in tractatu de Traditione demonstratum est. Universalitas porro et consensio dupliciter se manifestat, ut idem docet Lirinensis Commonit. c. 4. et 28, « primum omnium generalibus, si qua sunt, universalis Concilii (vel universalis magistri Ecclesiae Romani Pontificis), tunc deinde si id minus est, multorum atque magnorum consentientibus sibi magistrorum sententiis. » Atqui doctrina de sacramentis imprimentibus characterem in primis diu ante exortam haeresim et controversiam saec. XVI. supponitur a Pontificibus ut doctrina indubitata Ecclesiae. Ita de charactere sacramentali tamquam de re in confesso apud omnes loquuntur Innocentius III, cap. *Maiores* (1)

(1) Interrogabat Archiepiscopus Arelatensis: « utrum dormientibus et amentibus sacramenti saltem character in baptismate imprimatur? »

(Decretal. l. 3. tit. 42. c. 3.), Gregorius IX. cap. *Consultationi* (l. 1. tit. 11. c. 16.); tum idem dogma in Conc. Florentino diserte declaratur (Decret. pro Armenis), in Conc. Trident. solemniter definitur (sess. VII. can. 9; sess. XXIII. cap. 4. et can. 4.).

Hanc ultimam definitionem non fuisse aliud quam authenticam et solemnem sanctionem professionis catholicae ex pluribus saltem iam saeculis in universa Ecclesia obtinentis, praeterea demonstratur ex constanti et plenissimo consensu omnium Doctorum scholae in eandem doctrinam velut ecclesiasticam et catholicam inde a saec. XII, ex quo tempore scholae theologicae inclarescere coeperunt. Quamvis enim controversia aliqua in scholis esset de natura characterum sacramentalium, eo tamen evidentior est universalis consensus citra controversiam in ipsam characteris veritatem et existentiam. « Characterem in sacramentis quibusdam imprimi, ait s. Thomas, *omnes moderni* confitentur; sed in modo ponendi ipsum in anima partim differunt et partim conveniunt » s. Thom. dist. 4. q. 1. a. 1. Imo illi ipsi, qui hoc doctrinae caput neque ex Scripturis neque ex Patrum testimoniis satis demonstrare posse sibi videbantur, Scotus 4. dist. 6; Gabriel Biel 4. dist. 4. q. 2; dist. 6. q. 2. a. 3. dub. 1; paulo serius Caietanus 3. q. 63. a. 1; illud tamen diserte agnoscunt esse in universali professione ecclesiastica, et ideo propter auctoritatem Eccle-

Responsio Pontificis est: qui est invitus non absolute sed secundum quid, « talis sicut et is qui ficte ad baptismum accedit, characterem suscipit christianitatis impressum. » Amentes et dormientes porro, qui prius cum essent sui compotes, erant inviti, « si fuerint sic immersi, characterem non suscipiunt sacramenti; secus autem si prius catechumeni exstitissent et habuissent propositum baptizari.... Tunc ergo characterem sacramentalis imprimit operatio, cum obicem voluntatis contrariae non invenit obsistentem « (cf. supra th. VI. n. I.). Evidens est tam Episcopum interrogantem quam Pontificem respondendo supponere doctrinam de characteris impressione, ubi baptismus est validus, velut extra dubitationem et omnibus notissimam. Evidens est ergo absurditas calumniae Protestantium, quando ab hac decretali epistola Innocentii III originem novae doctrinae de charactere repetendam esse dicebant, simili acumine, ac quando institutionem confessionis repetebant ex praecepto confessionis saltem annuae.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ad auxilia actualia respondentia fini proprio singulorum sacramentorum. *Gratia sacramentalis* itaque nihil est aliud quam ipsa gratia sanctificans collata per sacramentum cum peculiari respectu et ordine ad auxilia actualia, qui ordo gratiae constituitur vi ipsius sacramenti suscepti. Suarez disp. VII. sect. 3; Vasquez disp. 131. c. 7; Lugo disp. IV. sect. 3.

CAPUT IV.

DE CHARACTERE SACRAMENTALI.

THESIS XII.

Veritas characterum sacramentalium demonstratur ex verbo Dei revelato.

« Praeter effectum gratiae omnibus sacramentis communem, esse alterum tribus proprium, quae *characterem* imprimunt in anima h. e. signum quoddam spirituale et indelebile, doctrina est, cuius origo apostolica demonstratur tum ex nota universalitatis et consensionis plane constantis pluribus saltem saeculis, antequam prima Novatorum negatio audiretur, tum ex continua serie testificationis in Ecclesia occidentali et orientali usque ad aetatem apostolicam nunc generalioribus nunc distinctioribus lineamentis consignatae. »

I. Universitatem et consensionem, ut loquitur Vincentius Lirinensis, seu universalem consensum in aliquam doctrinam tamquam dogma fidei et professionis catholicae esse criterium certum antiquitatis absolutae seu apostolicitatis doctrinae eiusdem, in tractatu de Traditione demonstratum est. Universalitas porro et consensio dupliciter se manifestat, ut idem docet Lirinensis Commonit. c. 4. et 28, « primum omnium generalibus, si qua sunt, universalis Concilii (vel universalis magistri Ecclesiae Romani Pontificis), tunc deinde si id minus est, multorum atque magnorum consentientibus sibi magistrorum sententiis. » Atqui doctrina de sacramentis imprimentibus characterem in primis diu ante exortam haeresim et controversiam saec. XVI. supponitur a Pontificibus ut doctrina indubitata Ecclesiae. Ita de charactere sacramentali tamquam de re in confesso apud omnes loquuntur Innocentius III, cap. *Maiores* (1)

(1) Interrogabat Archiepiscopus Arelatensis: « utrum dormientibus et amentibus sacramenti saltem character in baptismate imprimatur? »

(Decretal. l. 3. tit. 42. c. 3.), Gregorius IX. cap. *Consultationi* (l. 1. tit. 11. c. 16.); tum idem dogma in Conc. Florentino diserte declaratur (Decret. pro Armenis), in Conc. Trident. solemniter definitur (sess. VII. can. 9; sess. XXIII. cap. 4. et can. 4.).

Hanc ultimam definitionem non fuisse aliud quam authenticam et solemnem sanctionem professionis catholicae ex pluribus saltem iam saeculis in universa Ecclesia obtinentis, praeterea demonstratur ex constanti et plenissimo consensu omnium Doctorum scholae in eandem doctrinam velut ecclesiasticam et catholicam inde a saec. XII, ex quo tempore scholae theologicae inclarescere coeperunt. Quamvis enim controversia aliqua in scholis esset de natura characterum sacramentalium, eo tamen evidentior est universalis consensus citra controversiam in ipsam characteris veritatem et existentiam. « Characterem in sacramentis quibusdam imprimi, ait s. Thomas, *omnes moderni* confitentur; sed in modo ponendi ipsum in anima partim differunt et partim conveniunt » s. Thom. dist. 4. q. 1. a. 1. Imo illi ipsi, qui hoc doctrinae caput neque ex Scripturis neque ex Patrum testimoniis satis demonstrare posse sibi videbantur, Scotus 4. dist. 6; Gabriel Biel 4. dist. 4. q. 2; dist. 6. q. 2. a. 3. dub. 1; paulo serius Caietanus 3. q. 63. a. 1; illud tamen diserte agnoscunt esse in universali professione ecclesiastica, et ideo propter auctoritatem Eccle-

Responsio Pontificis est: qui est invitus non absolute sed secundum quid, « talis sicut et is qui ficte ad baptismum accedit, characterem suscipit christianitatis impressum. » Amentes et dormientes porro, qui prius cum essent sui compotes, erant inviti, « si fuerint sic immersi, characterem non suscipiunt sacramenti; secus autem si prius catechumeni exstitissent et habuissent propositum baptizari.... Tunc ergo characterem sacramentalis imprimit operatio, cum obicem voluntatis contrariae non invenit obsistentem « (cf. supra th. VI. n. I.). Evidens est tam Episcopum interrogantem quam Pontificem respondendo supponere doctrinam de characteris impressione, ubi baptismus est validus, velut extra dubitationem et omnibus notissimam. Evidens est ergo absurditas calumniae Protestantium, quando ab hac decretali epistola Innocentii III originem novae doctrinae de charactere repetendam esse dicebant, simili acumine, ac quando institutionem confessionis repetebant ex praecepto confessionis saltem annuae.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

siae credendum, ut Scotus suam disputationem concludit. (De auctoritate consensus scholarum, quatenus ex eo consensus Ecclesiae et traditio apostolica cognosci possit, vide tract. de Traditione th. XVII.)

Ergo doctrina proposita, saltem diu antequam Wicleffi et Protestantium negatio audiretur, in explicita erat professione et manifesta praedicatione ecclesiastica universali. Haec autem clarissima et tutissima nota apostolicitatis doctrinae tum theoretice semper ab ipsis Patribus est proposita, tum practice obortis controversiis semper agnita (tract. de Traditione th. VIII.).

Ex his duo consequuntur. *a*) Etiamsi in monumentis, quae supersunt ex antiquitate, ante XII saeculum explicita professio et clara doctrina de characteribus sacramentalibus non reperiretur; non ideo destitueremur theologica demonstratione, hoc dogma in apostolica revelatione obiective contineri. Reputandum enim animo esset, praeter monumenta scripta aliud esse illudque princeps organon ex Christi institutione ad custodiendum et propagandum depositum fidei, perpetuum scilicet semperque vivum magisterium successionis apostolicae; insuperque admittendum esse in ipsa successione apostolica charisma doctoratus, ut sub assistentia et directione Spiritus Sancti, quae in revelatione continentur implicita, explicentur; quae in propositione sunt minus diserta, praedicentur instantius; quae sunt ambigua, definiantur strictius (tract. de Trad. th. XXV.). Infertur *b*) ex dictis, si quae forte in Scriptura et in ceteris antiquitatis christianae monumentis ad hoc doctrinae caput pertinentia per se videantur ambigua et minus luculenta, eorum interpretationem dirigendam esse ad normam catholici intellectus, ut hic in explicatione et post explicationem distinctiorem dogmatis sese manifestavit (Vincent. Lirinens. c. 28–32).

II. Ut tum scientiae theologicae ad distinctiorem intellectum fundamentorum fidei tum exigentiae polemicae ad abundatiorem defensionem dogmatis directe satisfiat, necesse est prosequi continuationem doctrinae per successionum seriem in antiquitate christiana, et modum inquirere,

quo hoc dogma inde a priscis Ecclesiae saeculis in praedicatione ecclesiastica fuerit propositum; ita enim ex ipsis fontibus compertam habebimus traditionem doctrinae in posterioribus Conciliis definitae, hasque definitiones non novitatem contra antiquitatem, sed antiquitatis explicationem esse, distinctius intelligemus, dum « quod fide Patrum satum est, hoc idem filiorum industria excultum est et observatum » (Lirinens. c. 30.).

Considerabimus doctrinam, ut explicata est in defensione dogmatis catholici et oppugnatione haereseos saeculo V. contra Donatistas; tum ut citra scopum polemicum proponi et inculcari solebat a Patribus saeculi IV; ac denique ut horum explicatio cohaeret cum sententia Patrum antecedentium inde ab aetate apostolica et cum doctrina Scripturarum sacrarum.

1°. Ex Conciliorum definitionibus (Constantinopol. I. can. 7; Sardicens. can. 48; Africani can. 68.), ex Patrum testimoniis, ex factis historiae ecclesiasticae certo constat et hic sine distincta probatione assumimus, semper et ubique inde ab apostolicis temporibus creditum fuisse, tria sacramenta Baptismum, Chrisma, Ordinem semel collata ita « haerere » (quae est Augustini locutio e. g. contr. ep. Parmen. l. II. c. 13.), ut iterum conferri nequeant. Neque ipsi rebaptizantes Episcopi Africani aut postea Donatistae huius dogmatis traditionem apostolicam negabant, si veritas per se spectetur et praecisa ab intestina ratione, cur ea sacramenta repeti nequeant. Eorum scilicet sententia non erat, sacramenta haec tria valide ab haereticis collata iterum esse conferenda redeuntibus ad Ecclesiam; sed ea putabant ab haereticis valide administrari non posse, et ideo a legitimis ministris Ecclesiae non utique repetenda sed primum conferenda esse. Ratio autem huius doctrinae saltem non levissima haec erat, ut apparet ex scriptis s. Cypriani et ex libris s. Augustini adversus Donatistas, quod non distinguerent duplicem effectum nominatim baptismi, vel certe non ita distinguerent, ut effectus aliquis habendus sit prorsus independens a dispositione, et a collatione gratiae Spiritus Sancti. Cum ergo sciens volensque

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

baptizatus in haeresi aut schismate Spiritum Sanctum non recipiat, nullum effectum sacramenti nec ipsum sacramentum extra Ecclesiam aut dari posse aut recipi putabant. Ita docebat Cyprianus, ad quem appellabant Donatistae: « Ecclesiam et Spiritum et baptisma ab invicem non posse separari, et ideo qui ab Ecclesia separati sunt et a Spiritu Sancto, etiam a baptismo intelligi separatos » apud Augustin. de Baptism. l. V. n. 33.

Hinc necesse habuit Augustinus, qui in consensu cum ceteris pastoribus Ecclesiae et nomine ceterorum dogma catholicum adversus Donatistas defendebat, doctrinam traditam de non repetendis sacramentis explicatius exhibere. Distinguendum ergo esse docet *effectum gratiae* Spiritus Sancti, quae non potest esse nisi in bonis, et effectum alium collatum per sacramentum ac *permanentem etiam in malis*. « Spiritum Sanctum sicut habent filii dilecti, non habent filii maligni, et tamen baptismum habent. Nam Spiritus Sanctus disciplinae fugiet fictum, nec tamen eum fugiet baptismus. Itaque potest baptisma esse, et unde se aufert Spiritus Sanctus... Induunt homines Christum aliquando usque ad sacramenti perceptionem, aliquando et usque ad vitae sanctificationem; atque illud primum et bonis et malis potest esse commune, hoc autem alterum proprium est bonorum et piorum. » Unde si Donatistae insistant, Spiritum Sanctum non posse separari a suscepto baptismo, respondet s. Doctor iterum distinguendo donum sanctificans et charisma aliud, quod potest esse sine gratia sanctificante. « Quapropter si baptisma esse sine Spiritu non potest, habent et Spiritum haeretici, sed ad perniciem non ad salutem sicut habuit Saul... si autem non habent avari Spiritum Dei et tamen habent baptisma, potest esse sine Spiritu (sanctificante actu) baptisma » s. August. ibid.

Patet igitur, statum quaestionis in tota illa controversia hunc fuisse, quod adversarii concederent quidem traditionem apostolicam de non repetendis sacramentis, quae in quaestionem veniebant; sed simul contenderent, ritum sacramentalem etiam adhibitum iuxta formam a Christo institutam nihil conferre et non valere extra veram Ecclesiam; catholici contra agnoscerent una cum illa traditione de horum sacramentorum unicitate etiam traditum fundamentum, quod haec sacramenta, ubicumque servatis ritibus conferantur, habeant *aliquem effectum in initiatis independentem a gratia*, perpetuo haerentem ac indelebilem, qui maneat etiam in fugitivis a Deo et ab Ecclesia. Declarant autem id, quod manet et haeret, esse *sigillum, signum, characterem* (utique spiritualem) *impressum* h. e. qui afficiat ipsam animam, et quo maneat homo *specialiter consecratus* et tamquam ovis, miles, minister perpetuo obligatus pastori et imperatori Christo. Ergo non simpliciter tantum doctrinam, quod haec sacramenta repeti nequeant, sed eius doctrinae etiam propriam rationem acceperunt custodes depositi, hancque in illa implicite contineri intellexerunt fidei doctores, et in controversia cum haereticis satis explicuerunt; rationem scilicet esse, quod haec sacramenta *perpetuo haereant in aliquo suo effectu*, qui effectus sit spirituale sigillum ad ontologicam hominis consecrationem distinctam et independentem a gratia. In sacramentis ergo, quorum repetitio ex apostolica traditione negabatur, etiam impressio characteris pari modo saeculo V. agnoscebatur et credebatur tamquam doctrina apostolica.

Reliquum est, ut testimoniis demonstremus, revera hanc, quam exposuimus, fuisse saeculo V. catholicam professionem. Qua in re fere unius Augustini auctoritas potest sufficere ad intelligendam doctrinam communem, spectata tum indole controversiae quae fidei erat, tum auctoritate s. Doctoris, qua immediate nomine Ecclesiae Africanae, mediate nomine Ecclesiae totius pro causa catholica decertabat. (Cf. tract. de Trad. th. XIV.).

Itaque *a*) ad demonstrandum, effectum aliquem esse baptismi perpetuo haerentem et independentem a gratia sanctificante, generatim distinguit Augustinus tria: *sacramentum*, operationem Spiritus seu *effectum et charisma commune bonis et malis, effectum gratiae* qui nonnisi in bonis esse potest. « Cum ergo sit aliud *sacramentum*, quod habere etiam Simon Magus potuit; aliud *operatio Spiritus*, quae *in malis etiam hominibus* fieri solet, sicut Saul

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

habuit prophetiam; aliud *operatio eiusdem Spiritus, quam nisi boni habere non possunt*, sicut est finis praecepti charitas... quodlibet haeretici et schismatici accipiant, charitas quae cooperit multitudinem peccatorum, proprium donum est catholicae unitatis et pacis » de Bapt. l. III. n. 21. (Cf. dicta paulo ante ex l. V. n. 33.)

b) Sacramenta haec semel accepta semper *habentur, haerent, insunt, manent, sunt in homine,* idque in hominibus malis, in haereticis non minus quam in bonis, « ad salutem bene utentium, ad perniciem male utentium » de Baptism. l. III. n. 15. Evidenter non possunt haec intelligi de sacramento externo visibili, quod constans actione transeunte « fit et transit, » (ut loquitur Augustinus cont. Faust. XIX. c. 16.). Nec possunt intelligi de externa solum denominatione, quod scilicet semper verum maneat, hominem fuisse baptizatum, confirmatum chrismate, ordinatum; nam in primis locutiones ipsae manifesto exprimunt aliquid, quod *manet et inest et inhaeret in homine*. Praeterea Augustinus haec sacramenta, quatenus manent et haerent et insunt atque ideo repeti nequeunt, distinguit a sacramentis, quae sanctificant quidem, sed non haerent et non manent in homine. Hoc sensu in sacramento poenitentiae, quo peccatores et redeuntes ab haeresi reconciliantur, considerat sacramentalem actionem transeuntem impositionis manuum cum oratione (forma absolutionis), et eam opponit sacramento semper haerenti baptismatis. « Manuum autem impositio non sicut baptismus repeti non potest. Quid enim est aliud nisi oratio super homines » (i. e. sacramentum transiens, et non sicut baptismus perpetuo haerens)? de Baptism. l. III. n. 21. At denominatio illa externa, quod semper verum manet, hominem suscepisse sacramentum e. g. reconciliationis, non minus obtinet in omnibus sacramentis. Illud *haerens* ergo longe aliud est, aliquis scilicet *realis indelebilis effectus* sacramenti visibilis, cuius ratione dicitur et est *sacramentum manens*. Inculcatur autem ac repetitur ab Augustino haec doctrina instar principii tam assidue adversus Donatistas, ut nihil opus sit ad singula testimonia appellare. Speciminis gratia recitabo aliqua. « Nec

tamen sacramentum baptismatis, quod *in eis* (peccatoribus) *est*, nihil est... Si resipiscant et redeant, salus eis, quae recesserat, redit; baptisma vero, *quia non recesserat*, non redit... Baptismus Christi *in utrisque agnoscendus* (in peccatoribus intra Ecclesiam et in haereticis foris) et in nullis improbandus; sive antequam convertantur, quamvis eis nihil prosit, sive cum convertuntur, ut prosit » de Bapt. l. VI. n. 23. « Si non esset baptisma unum et verum nisi in Ecclesia, non utique *esset in eis*, qui ab unitate discedunt. *Est autem in eis;* nam id non recipiunt redeuntes, non ob aliud, nisi quia *non amiserant* recedentes... Venientibus ad catholicam pacem prodesse incipiunt, *quae foris inerant*, sed non proderant » ibid. n. 14. Invidi et haeretici « *habent sacramenta Christi;* iniqui sunt, sed Christi *in se* sacramentum, quod ad ipsum attinet, sua iniquitate non violant » ibid. n. 50. 52. « An forte minus *haerent sacramenta christiana* quam corporalis haec nota (militi impressa), cum videamus *nec apostatas carere baptismate*, quibus utique per poenitentiam redeuntibus non restituitur, et ideo *amitti non posse iudicatur*? » contr. epist. Parm. l. II. n. 29. « Sacramentum chrismatis... in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut ipse baptismus; sed potest *esse et in hominibus pessimis*, in operibus carnis vitam consumentibus et regnum coelorum non possessuris » contr. litt. Petil. l. II. n. 239. Episcopi redeuntes ex schismate non rursus ordinati sunt, « *sed sicut baptismus in eis ita ordinatio mansit integra*, quia in praecisione fuerat vitium, quod unitatis pace correctum est, non in sacramentis, quae, ubicumque sunt, ipsa sunt. Et cum expedire hoc iudicatur Ecclesiae, ut praepositi eorum venientes ad catholicam societatem honores suos ibi non administrent, *non eis tamen ipsa ordinationis sacramenta detrahuntur, sed manent super eos*. Ideoque non eis in populo manus imponitur (non recipiunt poenitentiam inter laicos), ne non homini sed *ipsi sacramento fiat iniuria* » contr. epist. Parm. l. II. n. 28. Quae verbis paene iisdem repetit de Bapt. l. I. n. 2, ubi conferens utrumque manens sacramentum baptismi et Ordinis: « nulli, inquit, sacramento iniuria facienda est;

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

si discedit a malis, utrumque discedit; *si permanet in malis, utrumque permanet*.

c) Hoc *permanens, haerens, inexistens* in homine semel rite baptizato, chrismate confirmato, ordinato, declarat Augustinus consistere in ontologica aliqua hominis *consecratione*, quae deleri et amitti amplius non potest; proindeque a gratia sanctificante distincta est et separabilis, ut recipi et manere possit consecratio, etiam gratiâ propter obicem non receptâ vel per peccatum iterum amissâ. « Utrumque sacramentum est (baptismus et Ordo) et *quadam consecratione* utrumque homini datur, illud cum baptizatur, istud cum ordinatur; *ideoque in catholica utrumque non licet iterari* » contr. ep. Parm. II. n. 28. Revera hac *consecratione* intelligendum esse characterem sacramentalem, Seripandus in Concilio Tridentino probavit loco clarissimo ex Augustini ep. 98. n. 5. ad Bonifac. (vide Pallavicin. Hist. Conc. Trid. l. IX. c. 5.). « Christiani baptismi sacramentum, ait ibi Augustinus, etiam apud haereticos valet et *sufficit ad consecrationem, quamvis ad vitae aeternae participationem non sufficiat; quae consecratio reum quidem facit haereticum extra Domini gregem habentem characterem, corrigendum tamen admonet sana doctrina, non iterum similiter consecrandum* » (1).

d) Hoc ipsum *manens* et *haerens* sacramenti, quod consecrat et obsignat initiatos, licet utique spiritale sit, conferre tamen solet Augustinus analogice cum signo corporeo, cum signo circumcisionis, cum signatione monetae regiae, cum nota ovibus, cum charactere militibus impresso; et propter analogiam ipsum illud impositum ac manens spiritale signum appellat *characterem* regis ac imperatoris Christi usu tam frequenti, ut iam diu in modo loquendi ecclesiastico hoc evaserit proprium nomen. Habes testimonium modo citatum ep. 98. n. 5; praeterea lege contr. ep.

(1) Eodem fere modo auctor serm. de ablut. pedum (in Append. Opp. Cypriani) Baptismum, Chrisma, Ordinem repetere nefas esse docet, « quia contumelia esset Spiritus Sancti, si evacuari posset, quod ille sanctificat; vel aliena sanctificatio emendaret, quod ille semel statuit et confirmat. »

Parmen. l. II. n. 29; de Baptism. l. VI. n. 1; contr. Crescon. l. I. n. 35. 36; serm. ad pleb. Caesareens. n. 2. 4; in Ev. Io. tract. VI. n. 16; in 1. Io. tract. V. n. 6. « Satis eluxit, inquit, pastoribus Ecclesiae catholicae toto orbe diffusae, per quos postea plenarii Concilii auctoritate originalis consuetudo firmata est, etiam ovem, quae foris errabat et *dominicum characterem* a fallacibus depraedatoribus suis foris acceperat, venientem ad christianae unitatis salutem... a vulnere sanari, *characterem tamen in ea dominicum* agnosci potius quam improbari » de Baptism. l. c. « Ovis es, ait Donatistae, de grege Domini mei, *cum signo errasti;* ideo quaero magis, quia *ipsum signum habes*... Nescis, quia *desertor de charactere damnatur, de quo militans honoratur?* Ideo te quaero, ut *non pereas cum signo... Hoc enim signum salutis extra tibi inesse potest*, prodesse non potest » ad pleb. Caesar. n. 4. « Quod accepisti approbo, quia foris accepisti improbo... *character est regis mei,* non ero sacrilegus; corrigo desertorem, *non immuto characterem* » in Ev. Io. l. c. « Ecce accepit sacramentum nativitatis homo baptizatus; *sacramentum habet,* et magnum sacramentum, divinum, sanctum, ineffabile... Attendat tamen in cor... videat, si habet charitatem... Si autem non habet, *characterem quidem impositum habet, sed desertor vagatur* » in 1. Io. loc. cit.

Advertatur autem, ab Augustino ubique appellari in sua defensione ad communem consuetudinem in catholica, ad sanam doctrinam, ad sensum pastorum Ecclesiae catholicae toto orbe diffusae. Sine ullo ergo dubio non solum Augustinus docuit, sed in catholica Ecclesia reperit una cum dogmate de non iterandis tribus hisce sacramentis etiam traditam huius unicitatis rationem; quod scilicet sacramenta eadem semel accepta *in aliquo suo effectu* perpetuo *haereant, maneant, insint*. Hic vero effectus evidenter declaratur esse aliquid ontologicum, distinctum a sacramento transeunte, a gratia amissibili, a fide quae non est in haereticis; et describitur tamquam *signum quoddam spirituale indelebile,* quo homo initiatus specialem habeat *consecrationem* et relationem ad Christum pastorem et re-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

gem suae Ecclesiae. Sed de natura propria huius signi seu characteris paulo post dicemus.

2°. Doctrina quam hucusque vidimus propositam et defensam saeculo V. in disputatione adversus haereticos, prorsus eadem est et iisdem paene verbis, licet citra scopum polemicum explicata apud Patres tam graecos quam latinos saeculi IV; vel certe ita loquuntur de baptismo nominatim, in quo et chrisma subintelligere solent propter consuetudinem coniungendi utrumque sacramentum et considerandi hoc alterum (ut revera est) tamquam τελειωσιν, perfectionem, et ultimam obsignationem baptizatorum, ita inquam loquuntur de baptismo et eius effectibus, ut doctrina saeculi V. manifesto appareat esse doctrinae antecedentis continuatio, instantior praedicatio et explicatio, qualem controversia cum haereticis et scopus polemicus exigebat.

a) Quando Patres illi antecedentes enumerant effectus baptismi, « captivitatis liberationem, remissionem peccatorum, regenerationem », addunt praeterea tamquam effectum baptismi et chrismatis « *signaculum sanctum, salutare, spirituale, coeleste, divinum, insolubile, indelebile in aeternum* » (1). Ita Basilius in s. Bapt. n. 5. T. II. p. 117; Gregorius Nazianzenus or. 40. in Bapt. n. 4; Cyrillus Hierosol. procateches. n. 16. 17; catech. I. n. 2. 3; catech. III. n. 3; catech. XVII. n. 35. 36; cf. Ioannem Damascen. de Fid. orthodox. l. IV. c. 9.

b) Conferunt hoc *signaculum*, non secus ac saeculo V. contra Donatistas fieri consuevit, cum signis corporeis, cum charactere militum, ovium, cum obsignatione thesauri, cum signatione anuli in cera, cum circumcisionis nota, cum signatione postium filiorum Israël in Aegypto. Basilius l. c. n. 4; Nazianzenus l. c. n. 15; Ephrem Syrus (Bibl. Orient. Assemani T. I. p. 94.); Epiphanius haeres. VIII. (Epicureorum) n. 6; Chrysostomus in 2. Cor. hom. III. n. 7. (ad finem); in Ephes. hom. II. n. 2. (2).

(1) σφραγις ἀνεπιχειρητος Basil. l. c.; σφραγις ἁγια και ἁλυτος Cyrill. procat. n. 16; σφραγις ἀνεξαλειπτος εἰς τους αἰωνας ib n. 17.

(2) « Obsignatus es; sicut enim militibus sigillum, ita et fidelibus

At signaculum *spirituale* est, in corde, in anima; « spiritale est signaculum, inquit Ambrosius, nam etsi specie signemur in corpore, veritate tamen *in corde* signamur » Ambros. de Spiritu Sancto l. I. n. 79. « Si habeas *sigillum in anima* (σφραγιδα ἐπι ψυχης), non accedit diabolus, expavescit enim » Cyrill. catech. XVII. n. 36. « Signatus *et anima* et corpore chrismate et Spiritu » Nazianzenus or. 40. n. 15.

c) Declarant *munus* huius signaculi: « ut per illud a Christo tamquam Domino agnoscamur » Cyrillus ib. n. 3, Basilius l. c. n. 4; ut cognoscamur *etiam quando desertores evadimus* » Chrysostomus Corinth. 2. l. c. Praeterea daemones illud horrent; nobis est custodia (συντηρησις Nazianz.) et praesidium ad gratiae splendorem conservandum Basilius n. 4; Nazianzenus n. 4; Cyrillus cat. I. n. 3; XVII. n. 35. 36. Praeclare s. Ambrosius de Spirit. Sanct. l. c.: « Spiritu signamur, *ut splendorem atque imaginem eius et gratiam tenere possimus*, quod est utique spiritale signaculum; nam etsi specie signemur in corpore, veritate tamen in corde signamur, ut Spiritus Sanctus exprimat in nobis imaginis coelestis effigiem. » Aliud est itaque *signaculum ad custodiam et conservationem gratiae*, aliud *gratia conservanda*.

Spiritus (effectus Spiritus) imponitur, ut etiam si desertor fugias, omnibus cognoscibilis fias » κἀν λειποταξητης, καταδηλος γινη πασιν Chrysostomus in 2. Cor. l. c.

« Nemo te cognoscet, utrum noster sis an hostium, nisi mysticis tesseris exhibeas domesticitatem (οἰκειοτητα.) Quomodo angelus te iuvabit, quomodo eripiet ex hostibus, nisi recognoscat sigillum! Quomodo tu dicis: Dei sum, nisi praeteferas characteres distinguentes (τα γνωρισματα)? An ignoras, quod signatas domos exterminator praetergrediebatur?... Non obsignatus thesaurus facilis praeda est furibus, ovi non signatae sine difficultate struuntur insidiae » Basilius l. c.

« Hoc tibi maximum praesidium in vita ad securitatem; ovis enim signata non facile patet insidiis, quae vero sine signo est, a furibus facile rapitur, hoc tibi et in morte faustum munus funerale (δεξιον ἐνταφιον) » Nazianzenus l. c.

« Spiritus Sanctus per oleum imprimit signum suum ovibus suis, Sicut anulus in cera imprimit suum sigillum, ita etiam signum occultum Spiritus per oleum imprimitur personis, quando unguntur in baptismo, et signantur ipso baptismate » Ephrem l. c.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Praeter haec describunt sancti Patres aliquando hoc idem sigillum iis proprietatibus, quae possunt deducere ad paulo adhuc distinctiorem intelligentiam eius naturae et propriae rationis intestinae hic a nobis solum obiter memorandae. Est insigne, quo agnoscimur a Christo tamquam domino familiae *ut ad familiam eius et ad gregem eius pertinentes:* « accedite ad mysticum sigillum, ut agniti sitis ab hero (ἐυγνωστοι τῳ δεσποτῃ) » Cyrillus cat. I. c. 2. Nam qui illo insignitus est, eum tuentur angeli tamquam *domesticum* et pertinentem ad eorum familiam: « cognoscunt angeli (insignem salutari sigillo), ut eum tueantur utpote aliquem suae familiae (ὡς ὀικειον) » ib. n. 3. Qui habet mysticas has tesseras, exhibet *domesticitatem* et velut affinitatem (ὀικειοτητα) ad familiam Dei. Basil. in s. Bapt. n. 4. Ex altera parte est insigne dominationis: « sigillum dicitur utpote *custodia* et *dominationis insigne* (ὡς συντηρησις και δεσποτειας σημειωσις) » Nazianz. or. 40. n. 4. Designamur ut reges, prophetae, et sacerdotes; hanc enim dignitatem suscipimus in baptismo, sed declaratur etiam dignitatis acceptae esse signaculum aliquod: « tu quoque in baptismo *rex*, et *sacerdos*, et *propheta* efficeris... Obsignaris; quemadmodum enim *sigillum militibus ita et fidelibus Spiritus imponitur*, ut etiam si *desertor fugias*, omnibus *fias manifestus* » Chrys. in 2. Cor. hom. III.

3°. Iam secundum hunc consensum et explicationem Patrum saeculi IV. et V. dicimus intelligi debere sensum Ecclesiae tempore antecedente, quando inde ab aevo apostolico in parcis, quae supersunt, monumentis baptismum usu valde communi Patres exhibent *ut sigillum impressum* (Clemens Romanus ad Corinth. ep. II. cc. 7. 8; Hermae Pastor l. III. similit. IX. cc. 6. 16. 17. 31. (1); Constitutiones Apostolicae l. II. c. 39.); *ut sigillum infragile* (σφραγις ἀθραυστος

(1) Quae commentatur Pastor ibi c. 16, ne falsa omnino sint, symbolice explicari debent; sed tamen demonstrant satis clare sententiam de charactere indelebili etiam post mortem et distincto a gratia. Eos scilicet, qui ante Apostolos in iustitia et omni castitate defuncti erant sine baptismo, in scenam inducit velut post mortem ab Apostolis baptizatos, ut cooptari possent in regnum Dei; quia, inquit, « *tantummodo hoc sigillum defuerat eis.* »

Constitut. Apost. l. III. c. 16.); ut *signaculum in Christo muniens contra tentationes* (Acta Theclae c. 8. Galland. T. I. p. 184.); ut *perfectam custodiam et sigillum Domini* (τελειον φυλακτηριον και σφραγις του κυριου), quo nomine baptismum in celebri illo adolescente ab Apostolo Ioanne commendato tutelae Episcopi Asiani describit Clemens Alexandrinus (apud Eusebium H. E. l. III. c. 23.); ut *signaculum nostrum, signaculum fidei* (Tertullianus de Spectac. cc. 4. 24.); ut *sigillum datum a Domino suis fidelibus, cui opponitur character bestiae dandus ab Antichristo* (ex Apoc. XIII. 16. Hippolytus de Christo et Antichristo n. 6. Galland. T. II. p. 420.); ut *immortalitatem conferens sigillum et salutare signaculum* (ἀθανατοποιος σφραγις, σωτηριον σφραγισμα Constantin. M. apud Euseb. in vita c. 62.). Huc etiam pertinet forma sacramenti chrismatis in Ecclesia Graeca: « *sigillum doni Spiritus Sancti,* » ut iam exhibetur in can. 7. Conc. CP. I. (Hard. I. p. 814.) et sine dubio antiquissima est pertingens ad tempora apostolica (cf. supra p. 47.).

Quin imo superest monumentum saeculi II. labentis, in quo disertis verbis ea fere omnia sunt expressa, quae de charactere apud Patres sequentium aetatum reperimus. Locus extat in Excerptis seu Eclogis ex Theodoto apud Clementem Alexandrinum n. 86, in quibus licet plura sint improbanda, multa tamen plane congruunt communi doctrinae, quo in censu profecto haberi debent sequentia de sacramentali charactere. « Cum Domino numisma oblatum esset, non dixit: cuius est possessio, sed cuius est imago et superscriptio? Caesaris: ut cuius esset, illi redderetur. Sic et fidelis *inscriptionem* habet per Christum nomen Dei, Spiritum autem velut imaginem (ἐπιγραφην μεν ἐχει δια Χριστου το ὀνομα του θεου, το δε πνευμα ὡς ἐικονα). Quandoquidem et muta animalia per *signaculum* ostendunt, cuius sit unumquodque, et ex *signaculo* vindicatur: sic et anima fidelis, quae *veritatis sigillum* accepit, *stigmata* (notas impressas) Christi portat » (οὑτως και ἡ ψυχη ἡ πιστη το της ἀληθειας λαβουσα σφραγισμα τα στιγματα του Χριστου περιφερει).

Non itaque dubia est nec ambigua connexio doctrinae

saeculi IV. cum doctrina aetatis superioris usque ad aevum apostolicum, et posterioris ex priori derivatio ac continuatio.

4°. Expositâ iam doctrinâ prout a primordiis continebatur in praedicatione ecclesiastica, quae sane doctrina ex ipsa universitate consensus et antiquitate demonstratur originis apostolicae, dicimus, de effectu hoc indelebilis signi seu characteris intelligi debere etiam ea loca Scripturarum apostolicarum, in quibus praeter gratiam et communicationem Spiritus Sancti tamquam effectus sacramentalis distincte connumeratur *sigillum aut obsignatio* (σφραγισμα) 2. Cor. I. 21. 22; Eph. I. 13; IV. 30.

Nam *a*) Patrum doctrina et ecclesiastica praedicatio de signaculo et sigillo sacramentali manifeste connectitur cum illis Scripturarum locis velut commentarius cum textu explicando, ut patet ex toto modo docendi et phraseologia Patrum, atque adeo doctrina Patrum debet censeri continuatio et explicatio doctrinae Scripturarum.

b) Ex modo, quo se habet praedicatio ecclesiastica de charactere sacramentali, plene constat, hanc doctrinam fuisse Ecclesiae traditam ab Apostolis; ac proinde constat, Apostolos eandem, ut veritatem revelatam credendam ac docendam in mente gessisse et habuisse in intellectu. At hoc supposito Apostoli non poterant de *sigillo et obsignatione* christianorum per aliqua sacramenta eo modo loqui, quo in Pauli epistolis legimus, quin res characteris sacramentalis, cuius sensu tamquam veritatis credendae et docendae erant a Spiritu Sancto imbuti, ipsis scribentibus obversaretur, et quin eum sensum suis verbis subiicerent.

« *Qui unxit nos,* Deus (est); *qui et (etiam) signavit nos, et dedit pignus Spiritus* in cordibus nostris » 2. Cor. 1. c. *Unctio gratiae* (1), *signatio seu sigilli impressio* (σφραγισαμενος), *pignus Spiritus* inhabitantis, haec inquam tria inter se distinguuntur. Imo particula distinctionis patentior est

(1) Illo verbo « unxit nos » vel tantummodo unctio interna, vel probabilius unctio visibilis sacramentalis cum suo effectu unctionis internae intelligi debet; sicut certe utrumque expressum est, quando dicitur; « ablue peccata tua » Act. XXII. 16; « abluti estis » 1. Cor. VI 11; « aspersi corda a conscientia mala » Heb. X. 22.

penes incisum « qui signavit nos », de quo nobis nunc agitur; nam illud *et* post articulum ὁ και σφραγισαμενος ἡμας necessario accipiendum est pro *etiam,* sic autem idem significat ac si diceretur: « unxit nos, *et insuper, praeter unctionem* etiam signavit nos. » Atqui talis non potest esse coniunctio membri synonymi vel mere exegetici ac declarantis prae inciso antecedenti, quasi *unctio* et *signatio* sit res una eademque; sed necessario intelligi debet distinctio rei duplicis diversae, ut aliud sit *unctio,* aliud *signatio.* Iam si ita est, etiam ex verbis Scripturae per se inspectis demonstrari potest, praeter gratiam sanctificantem et communicationem Spiritus Sancti esse alium adhuc effectum sacramenti (baptismi et Chrismatis) in relatione quidem ad gratiam, sed tamen ab ea distinctum, qui ab Apostolo nominatur *sigillum,* et prorsus est illud *signum spirituale* a Patribus traditum, a Doctoribus explicatius declaratum, ab Ecclesia propositum credendum. Sed quidquid sit de interpretatione verborum Pauli ex solo contextu; illud saltem evidens est, supposita in Apostolis sententia de charactere sacramentali, qualis ex traditione demonstratur, non potuisse Paulum Apostolum *sigillum cum gratia* ita, ut videmus, coniungere et distincte exprimere, quin ea sententia ipsa menti scribentis obversata et illis verbis expressa esse censeri debeat.

Quamvis igitur ex Scriptura, solis adhibitis regulis interpretationis *internis* ex textu et contextu, doctrina de charactere sacramentali demonstrari non posset; potest tamen demonstrari, hanc doctrinam in Scripturis contineri, si interpretatio ad normam traditionis et intellectus catholici dirigatur, quem esse canonem principem interpretationis Scripturarum alibi ostensum est (vide tract. de Trad. th. XVIII.). Potest scilicet testimonium Scripturae sacrae prae aliqua doctrina considerari dupliciter: vel enim consideratur textus Scripturae per se, ita ut a doctrina primum ex Scripturis demonstrata fiat gressus ac descensus ad considerandam doctrinam eandem in praedicatione ecclesiastica; vel ordine inverso a doctrina, ut continetur in traditione et praedicatione ecclesiastica, adscenditur ad considerationem eiusdem doctrinae, ut reperitur Scripturis consignata. In-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

stituta hac posteriori consideratione intelligitur doctrina traditionis de charactere sacramentali esse continuatio, ulterior explicatio et distinctior declaratio doctrinae eiusdem, ut comprehenditur in Scripturis. Atque adeo, ubi de hac connexione doctrinae traditae cum doctrina scripta iam constat, facile illud totum, quod de charactere in traditione proponitur magis explicitum et distinctius declaratum, reperietur in Scriptura saltem implicitum et generalioribus lineamentis adumbratum.

Sane tota doctrina traditionis ad quatuor haec capita potest revocari, quod *a*) character est *signum quoddam spirituale diversum a gratia,* quo insigniti in conspectu Dei et angelorum cognoscuntur distincti ab aliis eo carentibus; quo *b) consecramur, et obligamur in familiam Dei et Christi,* cuius est sigillum; quod *c)* habet *relationem praesidii et custodiae* ad gratiam acceptam per sacramentum; quod *d)* sit *perpetuum ac indelebile.* Atqui tria priora iam continentur in appellatione *sigilli,* quo insigniri dicimur in Scripturis. Insuper illud *primum* videlicet sigilli distinctio a gratia satis clare et diserte in iisdem Scripturis exprimitur, ut paulo ante vidimus: « qui *unxit* nos Deus, qui et *(etiam) signavit* nos » 2. Cor. 1. c. *Alterum* scilicet consecratio et transcriptio in familiam Dei, cuius character est sigillum, praeter appellationem ipsam *sigilli* continetur clarius in locutione Scripturarum, qua dicimur *signari in Spiritu Sancto Dei:* « nolite contristare Spiritum Sanctum Dei, in quo signati estis » Eph. IV. 30. *Tertium* praeter coniunctionem, in qua *obsignatio* ubique ponitur cum gratia, exprimitur simul *cum quarto,* quando ait Apostolus christianis: « *signati estis in diem redemptionis* » ibid. (quae scilicet est redemptio perfecta ex omnibus aerumnis in altera vita). Habes ergo in Scripturis saltem semina totius doctrinae distinctius et abundantius deinde expositae in traditione et in explicatione per charisma doctoratus catholici, quod promissum est pastoribus Ecclesiae (tract. de Tradit. th. XXV.).

Corollarium 1. Sigillum σφραγις dicitur dupliciter, proprie scilicet ipsum *signum impressum,* et metonymice *instrumentum imprimens,* derivatione nominis ab effectu ad causam.

Hoc altero modo aliquando ipsum sacramentum appellatur *sigillum,* in qua appellatione adsignificatur signum impressum vel imprimendum tamquam effectus sacramenti signantis. Hoc sensu dixisse videtur Cyrillus Hierosolymit. cat. I. n. 2. : « accedite ad mysticum sigillum. » Eodem fere sensu s. Augustinus alicubi invocationem ss. Trinitatis in forma sacramentali appellat characterem, quem ut imprimerent, Christus praecepit Apostolis. Est scilicet sacramentum visibile et verbum fidei, quatenus est forma sacramenti, character sensu activo seu *sigillum signans;* cui, dum imprimitur a ministris h. e. applicatur initiandis, respondet character receptus seu *signum impressum* in anima. « Baptismus non ipsorum (haereticorum) est, sed Christi. Invocatio nominis Dei super caput ipsorum, quando ordinantur Episcopi, invocatio illa Dei est non Donati..... In errante et deserente milite crimen est desertoris, character autem non est desertoris sed imperatoris..... A desertoribus signati sunt, non tamen signo desertoris sed signo imperatoris. Non enim desertor characterem suum fixit. Quid est quod dico, desertor characterem suum non fixit? Donatus non baptizavit in nomine Donati. Si Donatus in nomine Donati baptizaret, desertoris characterem infigeret; ego quando vocarem ad unitatem, si invenirem desertoris characterem, exterminarem, delerem... Nunc vero ipse desertor characterem fixit imperatoris sui... Ego... adtendo... fidem in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. *Iste est character imperatoris mei. De isto charactere militibus suis vel potius comitibus suis, ut hunc imprimerent eis quos congregabant castris eius, praecepit dicens: ite baptizate gentes in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Istum characterem a Domino dictum omnibus credentibus imprimendum* quia noverat Paulus, expavescit ad eos, qui volebant esse Pauli... Agnoscite, advertite characterem vestrum; numquid in nomine Pauli baptizati estis? » serm. ad pleb. Caesar. n. 2. (T. IX). Characterem, de quo hic loquitur Augustinus, non posse intelligi fidem subiectivam, ut obiiciunt Calvinus et alii Protestantes, manifestum est; quia in doctrina Augustini tam hoc ipso loco quam ubique in aliis locis character etiam

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

impressus a desertore et haerens etiam in milite desertore, in ove errante extra gregem, est independens a fide sive ministri sive suscipientis. Sed verbum fidei obiectivum « in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti » quatenus est forma sacramenti instituta a Christo, est character imprimens et applicandus a ministris, cui respondet character impressus et haerens in suscipiente sacramentum.

Unde ipsa ss. Trinitas vel potius Christus Filius Dei, figura (χαρακτὴρ) substantiae Patris, aliquando dicitur *character increatus,* imprimens characterem in anima. Sic Alexander Halensis 4. q. 8. m. 8. a. 1. §. 4. ait: « characterem scilicet imprimit *character increatus* interius operans; » et apud s. Thomam definitur 3. q. 63. a. 3. : « character est distinctio *a charactere aeterno* impressa animae rationali secundum imaginem consignans trinitatem creatam (animam cum suis facultatibus) Trinitati creanti et recreanti. » Cf. 4. dist. 4. q. 1. a. 2. sol. 2.

Quod autem dicunt, characterem Christi ab Augustino comparari cum charactere Donati, ut inde colligant characterem nihil esse ontologici, est manifestum sophisma. Nam *a*) non agit Augustinus de charactere Donati, sed de hypothesi, si esset aliquis character Donati. *b*) Non est comparatio, sed oppositio baptismi et characteris Christi ad baptismum et characterem, qui esset Donati. Ex eo autem quod opponatur verum falso, bonum malo, existens non existenti, absurde colligis, verum, bonum, ens non haberi velut aliquid reale. Tota igitur huius loci doctrina huc redit: obiectivum verbum fidei ac forma sacramentalis « in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti » determinat *sigillum activum* seu sacramentum ut sit *sigillum Dei et Christi,* atque ideo etiam *sigillum receptum* in anima respondens *sigillo imprimenti* est character non ministri sed Dei et Christi imperatoris. Si per hypothesim absurdam existeret aliquis baptismus Donati haeretici, similis efficaciae cum baptismo Christi ad imprimendum characterem, talis baptismus datus in nomine Donati exprimeret characterem Donati desertoris non Christi imperatoris; et etiam absque tali hypothesi Donatus baptizans in

nomine Donati, quamvis nihil ontologici in homine efficeret, tamen aliquo modo characterem haereseos imprimeret hominem obstringens et coniungens sibi tamquam capiti. Proinde in redeuntibus ad Ecclesiam sicut abolenda haeresis, ita ille character haereseos exterminandus esset et character Christi imprimendus per baptismum Christi in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. At vero haeretici non suum sed Christi baptismum conferunt, nec in invocatione et nomine Donati, sed in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti baptizant; sigillum ergo imprimens (sacramentum) est sigillum Dei et Christi, proindeque sigillum impressum est character non Donati sed Christi, ontologica consecratio, conformatio et obligatio ad Christum imperatorem, non ad Donatum desertorem.

Corollarium 2. Quamvis in impressione characteris indelebilis, quae fiat per tria sacramenta non item per alia, contineatur et facile intelligatur intima ratio alterius veritatis, quod illa tria non possunt, haec alia possunt repeti; non tamen ordine etiam inverso in veritate *per se spectata,* quod aliqua sacramenta repeti nequeant, iam intelligitur inclusa et implicita doctrina impressionis characteris; multo etiam minus verum est, in can. 9. sess. VII. Trid. ex doctrina de non iterandis his sacramentis inferri doctrinam de charactere. Nam ut haec tria sacramenta iterari nequirent, sufficeret sola ordinatio et institutio Dei atque mera deputatio perpetua ad aliquod munus; sicut e. g. ex praecepto Ecclesiae nefas est iterare primam tonsuram et alias quasdam consecrationes (cf. de Lugo disp. VI. sect. 1. n. 5; Arriaga disp. XVII. sect. 1.). Concilium vero Tridentinum non ex negatione repetitae collationis sacramentorum deduxit veritatem characteris, sed ordine inverso ex veritate characteris, intulit negationem repetitionis. « Si quis dixerit in tribus sacramentis... non *imprimi characterem* h. e. signum quoddam spirituale et indelebile, *unde ea iterari non possunt;* anathema sit » l. c.

At si negatio repetitionis non solum per se et abstracte spectetur, sed *secundum modum, quo in traditione apostolica continetur;* in doctrina tradita de non repetendis his

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tribus sacramentis etiam continetur doctrina de impressione characteris. Non enim in traditione solum docetur, tria sacramenta non posse iterari; sed docetur, non posse iterari ex ipsa natura suae efficientiae: quia semel suscepta *perpetuo haerent et insunt*, quatenus conferunt perpetuam ontologicam consecrationem, « quae consecratio reum quidem facit haereticum extra Domini gregem dominicum characterem habentem, corrigendum tamen admonet sana doctrina, non iterum similiter consecrandum » Augustin. ep. 98. n. 5. Unde etiam recte theologi Bellarminus, Vasquez et alii plerique ex negatione repetitionis horum trium sacramentorum spectata eo modo, quo nobis ex revelatione innotescit, demonstrant adversus haereticos veritatem characteris.

Scholion. Ea quae diximus in thesibus superioribus X. et XI. de modo, quo sacramenta sunt causa gratiae, valent etiam pari omnino ratione de modo, quo tria sacramenta Baptismus, Chrisma, et Ordo sunt causa signi spiritualis et indelebilis in anima. Unde theologi qui defendunt concursum instrumentalem physicum sacramentorum ad efficiendam gratiam, idem etiam docent vel supponunt de efficientia characteris. Imo veteres aliqui ut Alexander Halensis, s. Thomas in commentario in 4. Sententiarum, vetustiores Thomistae, negantes posse sacramenta esse causas physicas ad immediatum effectum gratiae, affirmabant tamen causalitatem physicam trium sacramentorum ad producendum characterem, vi cuius productionis, utpote (per se et nisi ponatur obex) ultimae dispositionis ad gratiam, sacramenta sint etiam causae instrumentales gratiae (1) (vide supra Scholion 1. ad th. XI.). At vero rationes, quae suadent ac persuadent, ut declarantes et defendentes veram et proprie dictam virtutem supernaturalem *moralem* ad conferendam gratiam abstineamus ab assertione causalitatis *physicae*, persuadent etiam prorsus omnes, ut idem et eodem modo sentiamus de causalitate *morali* trium sacramentorum ad impressionem characteris.

(1) « Sentenza che san Tommaso la concepette in gioventù, ma non l'educò in vecchiaia » Pallavicin. Hist. Conc. Trid. l. IX. c. 5. n. 2.

THESIS XIII.

Explicatio aliqua rationis propriae characterum sacramentalium.

« Si de propria characterum sacramentalium natura quaeratur, » 1° generatim character censeri debet non mera relatio rationis ex deputatione externa, sed ontologica supernaturalis quaedam qualitas » animam afficiens, quae quidem fundamentum est specialium relationum ad Christum, ad christianum cultum, ad gratiam, et ex his relationibus a nobis distinctius intelligi atque explicari potest. Secundum » doctrinam enim sanctorum Patrum a s. Thoma (3. q. 63; 4. dist. 4. q. 1. » aa. 1–3.) compendio relatam character specialius describitur: 2° ut » ontologica *consecratio* constituens aliquam conformationem et specialem relationem destinationemque membri et civis ad Christum caput » ac regem; pugnatoris per confessionem agonemque fidei ad Christum » fidei auctorem et consummatorem; ministri ad Christum magnum sacerdotem; hinc 3° describitur character ut *spirituale sigillum potestatis alicuius et officii* ad divinum cultum in Ecclesia Christi, atque ideo » *ut sacerdotii Christi quaedam participatio;* denique 4° licet character per se non sit donum sanctificans, habet tamen *ordinem et aliquam habitudinem ad gratiam.* »

I. Characterem esse aliquid reale, quod animam afficiat eamque proinde ontologice perficiat et ornet, ex iisdem fontibus probatur, ex quibus nobis constat de characteris existentia; in doctrina enim tradita et in consentiente explicatione Doctorum non solum abstracta veritas continetur, esse et imprimi characterem; sed etiam declaratur, *quid sit* character, quantum satis est, ut eius realitatem physicam in oppositione ad *ens morale* et ad *ens rationis* intelligamus.

a) Quando dicunt Patres, sacramentum etiam errantibus extra Ecclesiam perpetuo *inesse, manere, haerere;* quando appellant *sigillum, characterem* regis Christi, et declarant ex notis realibus impressis militi, ovi, monetae; quando docent, per characterem nos discerni et recognosci ab angelis; haec sane et his gemina, quae in superiori thesi adtulimus, demonstrant aliquid reale permanens in anima, non tantummodo externam deputationem et relationem rationis, quae concipiatur ex susceptione sacramenti transeunte et iam transacta. Eo vel magis, quod talis relatio non est propria tribus tantum sacramentis, quae sola perpetuo haerere dicuntur; sed est communis omnibus sacramentis.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

b) Concilium Tridentinum sess. VII. can. 9. describit characterem ita, ut sine detorsione verborum non nisi de ontologica realitate intelligi possit: « *imprimi*, ait, *in anima* characterem, hoc est *signum quoddam spirituale et indelebile.* » Insuper distinguit tamquam causam et effectum haec duo, quod in sacramento Ordinis imprimitur character et quod, qui semel est sacerdos, semper maneat in hac dignitate. « Si quis dixerit, per sacram ordinationem... non imprimi characterem, *vel* eum qui sacerdos semel fuit, laicum rursus fieri posse A. S. » sess. XXIII. can. 4. Atqui si character non aliud intelligeretur quam perpetua tantum deputatio sine effectu ontologico sacramenti in anima, haec distinctio nulla esset; nec praeter professionem *perpetuitatis sacerdotii* requireretur insuper professio *impressi characteris*.

c) Postremo Concilium definiens, characterem h. e. spirituale et indelebile signum imprimi *in anima*, non potest supponi his verbis aliam subiecisse significationem nisi communem in scholis et apud theologos illa aetate et ex pluribus saltem iam saeculis frequentatam, quando de impressione characteris *in anima* agebant. Inde enim a Guillelmo Altissiodorensi l. 4. c. 2. de Bapt., Guillelmo Parisiensi de sacram. Bapt. c. 3, Alexandro Halensi P. 4. q. 8. m. 8. a. 1, Alberto M., s. Thoma, s. Bonaventura in 4. dist. 4. et 6. usque ad tempus Concilii, si unum excipias Durandum, consentiebant theologi, impressum characterem in anima esse aliquid reale animae superadditum.

Quod memorantur apud s. Thomam 4. dist. 4. q. 1. a. 1. nonnulli, qui characterem in *relatione reali* constituerint fundata immediate *in ipsa essentia animae*, istud in eorum sententia non erat negatio realitatis superadditae, quia relationem ipsam ponebant ut aliquid ontologicum, quamvis id, ut advertit s. Thomas, sine realitate absoluta animae inhaerente, quae sit relationis fundamentum, intelligi non possit. Si Scotus deinceps 4. d. 6. q. 10. characterem constituit in *reali relatione*, ut plures affirmant; id intelligi debet de relatione incluso eius fundamento, quod sit aliquid reale superadditum in anima, ut suum magistrum Scotistae in-

terpretantur. Vide Frassen in opere « Scotus Academicus » T. III. disp. prooemial. a. 2. q. 3. p. 62. Cum enim relationes fundatae in charactere absoluto nobis notiores sint et distinctius a Patribus explicatae, profecto quid sit character, non aliunde melius assequemur, quam ex consideratione relationum, per quas eius natura ac propria ratio in doctrina traditionis nobis manifestatur. Opinio Durandi ponentis rationem characteris in sola perpetua *deputatione ad aliquod munus*, atque ideo non in realitate superaddita et inhaerente animae sed in *relatione rationis*, h. e. quam nos propter susceptum et transactum sacramentum mente concipimus inesse homini velut rem aliquam; haec inquam opinio ab omnibus theologis gravioris auctoritatis reiicitur. Plerique eam post Concilium Tridentinum iam gravi censura dignam censent. Bellarminus eam vix differre ait a sententia haereticorum l. II. c. 19; Suarez putat, non posse iam vindicari ab errore in fide disp. XI. sect. 2; de Lugo iudicat « non solum minus veram sed contra mentem Conciliorum » disp. VI. sect. 2. n. 18. Dominicus Soto significat quidem, Durandi hanc sententiam non valde sibi displicere « cum quodam tamen moderamine; » videlicet dummodo fateamur, « characterem *imprimi* et esse *qualitatem secundae speciei* » (h. e. aliquam potentiam spiritualem) (1). Tandem contra Durandum diserte concludit. « At vero consonantius sanctorum dictis est ac proinde probabilius, quod character sit res distincta ab anima (2)... Gratia per quam homo acquirit divinum *esse*, est qualitas ab essentia animae distin-

(1) *Qualitatis* genus distinguunt iuxta Aristotelem in quatuor species, quae sunt 1° habitus et dispositio, 2° potentia et impotentia, 3° passio et passibilis qualitas, 4° forma et figura. Hic autem tam mira est inter scholasticos opinionum varietas, ut nulla sit ex his quatuor speciebus, ad quam non aliqui redegerint characterem sacramentalem. Quae nobis disputatio nec necessaria est, nec multum frugis habere vel certe non sub his terminis proponenda esse videtur. Qui volet, consulat Cardinalem de Lugo disp. VI, sect. 3.

(2) Sotum aliquando dixisse, sententiam Durandi sibi videri *probabiliorem*, falso asseritur a Laurentio Berti (l. 30. c. 22.); neque in loco quem citat Berti 4. dist. 19. q. 1, nec in iis quae citat Ludovicus Habert 4. d. 4. a. 2; et d. 20. a. 1. tale quidquam Sotus habet.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

cta, et virtutes a potentiis, ergo et character qui per modum potentiae intellectui insculpitur » Sotus 4. dist. 1. q. 4. a. 2. Etiam Vasquez disp. 134. c. 2. et Arriaga disp. 17. sect. 3. licet fateantur, illam doctrinam Durandi esse reiiciendam, eam tamen a censuris vindicant et conantur ostendere, posse cum definitionibus Tridentini conciliari. Quidquid vero sit de censuris, de quibus iudicare nostrum non est, satis constat ex dictis, videlicet ex modo quo proponitur doctrina in monumentis traditionis, in definitionibus Conciliorum, in consensu theologorum, characteres sacramentales esse *ontologicam aliquam formam* in anima.

d) Iam vero inter omnia nomina, quibus suprema rerum genera exprimuntur, nullum est aliud quam nomen *qualitatis*, quo huiusmodi animae superaddita et animam afficiens perfectio seu consignatio commode appellari possit (1); profecto enim per characterem, si est quidpiam reale in anima, constituitur aliqua ipsius animae supernaturalis modificatio, cuius praedicatione seu categoria respondebitur interroganti: *qualis* sit anima? Hoc ergo sensu generalissimo dicemus, characterem esse aliquam *supernaturalem qualitatem* animae superadditam.

Recentiores aliqui theologi, qui post invectam philosophiam Cartesianam praeter substantias quidquam realitatis vix concipere audebant, non levibus implicantur difficultatibus, quando sive supernaturalium charismatum, gratiae, habituum ac virtutum infusarum, sive nominatim characteris sacramentalis distinctior explicatio postulatur. Nonnulli ut Ludovicus Habert (Theologia dogm. mor. pro Seminario Catalaun. (2) T. V. de Sacrament. in genere c. 19.) et alii, quos memorat ac refellit Iuenin (de Sacramentis q. 7. c. 2.), significant, posse adoptari opinionem Durandi; alii dum simul volunt componere affirmationem theologice certam, quod character est aliquid ontologicum in anima, et

(1) Praeter οὐσίαν novem categoriae accidentium ut norunt logici, apud Aristotelem sunt: ποιον. ποσον. που. ποτε. προς τι. ποιειν. πασχειν. ἐχειν. κεισθαι.

(2) Opus hoc confutavit et condemnavit Fenelonius in Instructione Pastorali, quae extat in Opp. Fenelonii T. XVI. p. 207. seqq. ed. 1823.

negationem qua concedunt non esse rem distinctam ab anima, videntur in progressu suarum declarationum vel sibi contradicere vel hoc unum probare, quod character non sit res aliqua, quae possit etiam per se et separata ab anima consistere.

In hanc ambiguitatem videtur incidisse cum aliis Laurentius Berti l. XXX. c. 22. prop. II. Postquam dixit, nihil opus esse characterem statuere realiter ab anima distinctum, adfert explicationes. « Cum optime percipiatur signaculum et figura per sigillum impressa, per accedentem habitudinem quandam et subiecti, ut inquiunt, modificationem, necessum non est gratiam ipsam constituere *in spiritali entitate et re*, quae distinguatur ab anima. Idem ergo possumus affirmare de charactere et quidem potiori iure... Qui amplectatur hanc nostram opinationem, facile eludet argumentationes cum Scoti, Durandi, Nominalium, recentium philosophorum tum etiam Protestantium... Nihil (litis) nobis cum Durando, qui characterem constituit in *relatione rationis*, dummodo fateatur subiectum huius relationis esse animam *intrinsece charactere signatam*, ut ratio pretii in nummo relatio quidem est, non tamen argenti utcumque sed argenti quadam figura et charactere obsignati; nihil cum Scoto, qui *relationem* illam *realem* statuminat; nam et Scoto annuemus, modo, ut fatetur Mastrius, huius relationis *inhaerentem formam unanimi consensu recipiamus;* nihil cum oppugnatoribus peripateticorum accidentium; nostra enim nihil interest, si ut figuram a quantitate et cerae imaginem ab illius dispositione non secernunt, ita nec distinguant ab anima characterem, dummodo sicut in sigillo formam vident inesse, ita characterem *revera inhaerere animae* fateantur.... Fatemur characterem esse *qualitatem*... sed eatenus characterem dicimus *qualitatem* atque *potentiam*, quatenus est quaedam animae habitudo, sive ipsamet *anima affecta spiritali signaculo* et connotans collatam sibi divinitus potestatem, quemadmodum intellectus et voluntas appellantur potentiae et nihilominus sunt ipsa animi rationalis substantia, non formaliter considerata sed dumtaxat connotative. » Ita ille. At profecto ista « *inhaerens forma*,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ista *qualitas afficiens animam* ut spiritale signaculum, iste *character intrinsece signans animam* », cum sit aliquid *supernaturale*, eo ipso est aliquid animae superadditum, et est aliquis *gradus entis* accidentalis, in quo anima non erat, antequam esset affecta tali forma; non est itaque character ipsa animae substantia, nec aliqua ipsi congenita facultas, nec animae nondum tali qualitate affectae habitudo, aut habitudo quae accedat absque interna mutatione in anima; sed est aliquid ontologicum supernaturale intrinsecus afficiens animam, qua realitate anima affecta connotat utique habitudinem, seu habet relationes novas ad Christum, ad christianum cultum, ad donum gratiae. Ad summum igitur admissis explicationibus huius auctoris consequeretur, characterem non esse rem distinctam ab anima ita, ut posset etiam existere seiuncta ab anima; sed nullatenus sequitur imo prorsus excludi videtur id, quod ipse probare instituit, characterem non esse realitatem *distinctam* ab anima. Haec vero ratio *ontologicae realitatis* in theologia multo adhuc certior est quoad *gratiam*, qua constituimur supernaturali assimilatione et participatione consortes divinae naturae, de qua re nunc non est dicendi locus. Appellatio ad *figuram* corporum non distinctam a quantitate, et ad *naturales potentias* animae non realiter distinctas a substantia, nihil huc pertinet. Vel enim spectatur *figura* per se et absolute vel relative et quatenus est imago. Priori modo figura utique non est aliud quam sint ipsae partes certo modo et ordine iuxta se invicem positae, atque ideo non potest esse nisi in rebus materialibus, quae constent ex partibus extra se positis; nec a figura ita spectata potest ulla desumi analogia ad res spiritales et ad *modificationes supernaturales* animae humanae. Si spectatur *imago formaliter* h. e. figurae habitudo ad aliud, ita habet aliquam analogiam ad consignationem animae per characterem; sed nihil confert ad explicandum, quomodo character non distinguatur ab anima; nisi forte quod, sicut relatio imaginis non est res aliqua distincta a fundamento relationis (in sententia, quam nos de relationibns tenemus), ita etiam relationes quae oriuntur ex charactere et in eo fundantur, non sunt res

distinctae ab ipso *charactere*, seu ab *anima formaliter ut charactere signata est*. Quod porro potentiae (intellectus et voluntas) non realiter distinguuntur ab anima ut est haec substantia, si vera est sententia etiam a multis antiquioribus defensa, h. e. quod una et eadem res sub una ratione spectata est ac dicitur substantia, sub alia ratione spectata est et dicitur potentia ad intelligendum, et iterum sub alia ratione potentia ad volendum; ex eo quomodo quaeso infertur, posse ipsam substantiam animae sub alia ratione spectatam esse et dici *characterem* et *rem illam supernaturalem, quam Deus efficit per sacramentum* (siquidem conceditur, characterem non esse meram relationem externam, sed rem aliquam animae inhaerentem, attamen non distinctam ab ipsa anima)? Clarum videtur, hos auctores, ut evitent aliquam difficultatem philosophicam non valde gravem, se coniicere in sententias philosophice non certe facile intelligibiles et theologice minime probabiles.

II. Nunc si quaerimus distinctius, quid sit illa *qualitas* afficiens animam et illa animae obsignatio, Augustinus in primis describit characterem ut *consecrationem perpetuam ac indelebilem* a gratia distinctam, quae proinde non constituit sanctificationem sed *destinationem ad sacra;* et qua homo Deo rebusque divinis dicatur et obstringitur (supra th. XII. n. II.). Hoc s. Thomas ita exprimit. « Dicendum quod per omnia sacramenta sanctificatur homo, secundum quod sanctitas importat munditiam a peccato, quae fit per gratiam, sed specialiter per quaedam sacramenta, quae characterem imprimunt, homo sanctificatur quadam consecratione utpote deputatus ad divinum cultum » S. Th. 3. q. 62. a. 6. ad 2; 4. dist. 4. q. 2. a. 3. sol. 4; ib. a. 4. sol. 2. Quia vero haec *consecratio* non est solum externa deputatio, sed est ontologica et intrinsecus veluti informans animam, ss. Patres Basilius, Nazianzenus, Cyrillus, Ambrosius, Chrysostomus eam ulterius describunt tamquam *affinitatem ad Christum Christique familiam;* tamquam *signum dominationis;* tamquam *sigillum*, quo a Christo et *ab angelis agnoscamur ut pertinentes ad familiam;* tamquam *conformationem ad Christum*, et *signaculum* quo ad ipsum *ut ad*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Dominum pertinere monstramur. Omnes enim, etiam qui in his sacramentis sua culpa Christum non induunt usque ad vitae sanctificationem, tamen « *induunt Christum* usque ad sacramenti (permanentis et inhaerentis) perceptionem, » ut loquitur Augustinus (cf. Gal. III. 27.). Et sicut animalia per signaculum ostendunt, cuius sint; ita « anima fidelis *veritatis accipiens signaculum stigmata Christi* circumfert», ut est apud Clementem Alexandrinum. Vide Patres in th. XII. citatos.

Iam vero in *Christi familia* pro statu adhuc militante triplex ordinum distinctio consideranda est, quibus tres distinctae consecrationes, tres distincti characteres sacramentales respondent. Sicut enim Christus in Scripturis exhibetur Rex, Propheta, et Sacerdos; ita prae *regno*, supremo *magisterio*, et *sacerdotio* Christi in Ecclesia mystico Christi corpore triplex est status et gradus subditorum *fidelium*, bonum certamen *certantium pro fide, ministrantium in mysteriis* redemptionis; atque ideo triplex obligatio, consecratio et conformatio ad Christum per characterem Baptismi, Confirmationis, Ordinis. « Character in his solum sacramentis imprimitur, quae respiciunt statum fidei determinatum; tres autem sunt status, fidei scilicet *genitae*, *roboratae* et iam *multiplicatae*.... ideo tria tantum sacramenta imprimunt characterem » s. Bonaventura 4. dist. 6. P. I. q. 4; Halensis P. 4. q. 8. m. 8. a. 1.

III. Ulterior declaratio, quod consecratio ad Christum per characterem est quaedam *participatio sacerdotii Christi*, sequitur ex dictis. Cum enim character afficiens animam intelligatur velut intestina et ontologica consecratio ac destinatio ad cultum Dei in Ecclesia Christi, haec ipsa consecratio includit *potestatem ad sacra* vel *recipienda* vel *peragenda*. Quamvis vero character (quoad illum Baptismi et Ordinis saltem probabiliter, quoad alterum Confirmationis certius) non sit potentia *physica* ad sacra percipienda vel peragenda, est tamen *sacrae potestatis* atque officii suscepti ontologicum *insigne ac sigillum* (vide de Lugo disp. VI. sect. 3. nn. 33. 46.). Iam vero omnis potestas in cultu divino secundum ritum christianum exercendo est quaedam *participa*

tio ex sacerdotio Christi. « Totus ritus christianae religionis derivatur a sacerdotio Christi. Et ideo manifestum est, quod character sacramentalis specialiter est character Christi, *cuius sacerdotio configurantur* fideles secundum characteres sacramentales, qui nihil aliud sunt quam quaedam *participationes sacerdotii Christi* ab ipso Christo derivatae (gradu tamen diverso pro diversis characteribus)... Secundum propriam rationem character est signum configurativum alicui principali, apud quem residet auctoritas eius, ad quod aliquis deputatur... Et hoc modo illi qui deputantur ad cultum christianum, cuius auctor est Christus, characterem accipiunt, quo Christo configurantur; unde proprie est character Christi » s. Thomas 3. q. 63. a. 3. O. et ad 1.

Est igitur character quaedam *assimilatio ad Christum*, formaliter quatenus est summus sacerdos; et sub illa formali ratione sacerdotalis dignitatis, quam supposito fine Incarnationis homo Christus habet vi unionis hypostaticae (tract. de Incarnat. th. XLVIII. n. III.), anima nostra per impressum characterem est « animae Christi quaedam naturalis imago », ut loquitur Viva (P. VII. disp. 2. q. 6. n. 5.), h. e. imago ex ipsa intima natura characteris.

Ontologica haec assimilatio ad Christum summum sacerdotem est utique etiam similitudo ad Deum, cum omnis creata perfectio in ordine sive naturali sive supernaturali sit quaedam divinarum perfectionum participatio et adumbratio. Unde a s. Thoma haec laudatur « magistralis definitio »: « character est distinctio a charactere aeterno impressa animae rationali *secundum imaginem consignans trinitatem creatam Trinitati creanti et recreanti*, et distinguens a non configuratis secundum statum fidei » S. Th. 4. dist. 4. q. 1. a. 2. sol. 2. Verum ex declarata speciali ratione, secundum quam per characterem fit *assimilatio*, facile intelligitur huius assimilationis discrimen ab *imagine mere naturali* in qua homo est per creationem, et a *similitudine supernaturali* in qua est regeneratus *per gratiam*. « Configuratio ista (per characterem) attenditur ad Deum *secundum participationem divinae potestatis, quae non est neque per gratiam virtutum*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

neque per naturam » s. Thomas l. c. ad 3. Aliis verbis discrimen inter *imaginem naturae, assimilationem characteris,* et *similitudinem gratiae* declarat s. Bonaventura. Lumen vultus Dei, quo facti sumus in ordine naturali et supernaturali ad imaginem et similitudinem eius, signatum est super nos (Ps. 4. 7.) triplici diverso modo: « signatum est super nos lumen vultus tui Domine, signatum inquam *per naturam,* sed *specialius per sacramenta* divina (per characteres sacramentales), *specialissime per dona Spiritus Sancti gratuita* » (sanctificantia) s. Bonav. 4. dist. 6. P. I. a. 1. q. 1. Adhuc clarius assimilationes supernaturales creaturae ad Deum distinguit ibid. q. 2. « Assimilatio creaturae ad Deum vel est *perfecta* vel *sufficiens* vel ad sufficientem *disponens*. Prima est *in gloria,* et haec non compatitur dissimilitudinem aliquam nec culpae nec miseriae; secunda *in gratia,* et haec compatitur dissimilitudinem miseriae sed non culpae; tertia *in charactere,* et haec compatitur utramque, quia solum est gratiae gratis datae et multum longinqua. »

Qui perfectionem per charismata divina et per participationem (per assimilationem) perfectionum divinarum in nobis nolunt agnoscere realem et ontologicam, ii per quandam speciem anthropomorphismi munera et largitiones divinas metiuntur ex muniis humanis. Homines collatione muniorum, delegatione auctoritatis, adoptione filiorum nihil efficiunt aut efficere possunt perfectionis in aliis, sed perfectionem et intestinam dignitatem in eis supponunt. Beneficentia autem Dei, qui est ὁ ὢν *ens realissimum,* non consistit in externa tantum benevolentia aut imputatione (ut gratia Protestantium) aut deputatione; sed divina beneficentia exseritur per communicationem *inhaerentium perfectionum,* quae secundum multiplices diversos gradus et diversas rationes sunt assimilatio et adumbratio perfectionis divinae. Quare sicut divina adoptio ad discrimen adoptionis humanae est per internum donum gratiae, qua regeneramur, transformamur, divinae sumus consortes naturae; ita etiam gradus, status, potestas in cultu christiano, ac distinctio, ut per tria sacramenta in civitate Dei constituitur, est ad dis-

crimen deputationis humanae per ontologicum charisma gratis datum, quod dicimus characterem. Cf. Dominicum Soto in 4. dist. 1. q. 4. a. 2. (§. « Et per haec ad argumenta »); Pallavicinum Hist. Conc. Trid. l. IX. c. 5. n. 5.

IV. Quod dicimus in ultima parte theseos, in primis characterem non esse donum per se sanctificans, supponimus et abunde constat ex dictis in thesi antecedenti nominatim ex doctrina s. Augustini ibi descripta. Nihilominus character sacramentalis *relationem* habet et *connexionem aliquam cum gratia.* Connexionem hanc *physicam* esse, nullo sufficiente argumento ostendi potest; quamvis veteres aliqui scholastici ita senserint, qui scilicet putabant, characterem ex se esse physicam dispositionem ad gratiam (supra Schol. 1. ad th. XI. et Schol. ad th. XII.). Dicimus itaque connexionem esse *moralem,* quatenus Deus, quantum ex se est, potestati spirituali et characteri gratiam semper connexam esse vult, et quatenus character impressus in anima habet ordinem et *congruam relationem* tum ad *conferenda adiutoria interna,* tum ad *custodiam specialem bonorum angelorum,* et ad *arcendas tentationes daemonum.* Secundum has enim relationes sancti Patres explicant characterem esse signaculum ad tenendum splendorem imaginis Dei, ad conservationem gratiae, ad praesidium angelorum, ad munimentum contra tentationes (th. XII.). Hoc eodem sensu ordinis et connexionis cum divinis illustrationibus intelligi potest, quando characterem dicunt *lumen spirituale, lumen vultus Dei,* s. Basilius in Baptism. n. 4; Theodoretus in Eph. I. 13; Dionysius (1) Eccles. Hierarch. c. 2. P. 3. §. 4.

(1) Locus Dionysii ita habet. « Sic adductum (ad baptismi susceptionem) divina beatitudo admittit ad sui communicationem (εἰς την ἑαυτης μετουσιαν), et *proprium lumen* ut *signum quoddam* ei impertit, Deo intimum reddens et *participem consortii hominum Dei atque ordinis sacri,* quorum sacrum symbolum est *pontificis signaculum,* quod accedenti datur, nec non quae fit a sacerdotibus salutaris inscriptio nominis salvatis eum aggregans. » Scholastici veteres ad hunc locum maxime appellant, Halensis l. c.; s. Bonaventura l. c.; s. Thomas 4. dist. 4. q. 1. a. 1. At Scotus et Gabriel Biel 4. dist. 6. negant, ex eo quidquam posse confici ad probationem characteris. Revera locus seorsim spectatus non careret difficultate, quae tamen disparet facta collatione cum communi doctrina et usu loquendi aliorum Patrum.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

et post Dionysium plures scholastici, Altissiodorensis l. 4; c. de Bapt.; Halensis P. 4. q. 8. m. 8. a. 1. §. 1; s. Bonaventura 4. dist. 6. P. 1. a. 1. q. 1. cf. de Lugo disp. VI. n. 60.

Est itaque destinatio et moralis connexio characteris ad gratiam, a qua ex beneplacito Dei numquam deberet esse seiunctus. Propterea sicut Patres et nominatim Augustinus actualem gratiam frequenter considerant, quatenus assequitur effectum, ad quem ex voluntate Dei destinatur; ita tum Scripturae, tum Patres ante controversiam cum Donatistis, in qua clarior distinctio characteris et gratiae evasit necessaria, characterem plerumque considerant in actuali coniunctione cum gratia, imo etiam cum perseverantia in gratia et cum consecutione vitae aeternae. Propter hanc coniunctionem, quae est characteris per se destinatio ac scopus, non autem quasi simpliciter gratiam intellexissent ad exclusionem characteris, Patres *signaculum* in epistolis Pauli 2. Cor. Eph. declarant non raro his dicendi modis: « obsignatos nos esse ad futuram haereditatem; obsignatos Spiritu, quia sumus filii; obsignatos, ne simus coniuncti cum filiis irae; in regeneratione, quicumque Spiritum Sanctum fuerit consecutus, signari ab eo et accipere figuram conditoris; ab Apostolo, sicut in psalmo per *lumen vultus Dei*, quod est velut quoddam signaculum, significari donum Spiritus, quia promittit Deus gratiam Spiritus » etc. Quae omnia optime intelliguntur de charactere, quatenus nectitur cum gratia, nec opus est, ut cum Suarezio (commentar. ad 3. q. 63. a. 3.) putemus, obsignationem Eph. I. 13. et IV. 30. a Patribus simpliciter de gratia fuisse intellectam. Haec eadem consideratio characteris coniuncti cum gratia et perseverantia est apud s. Macarium (saec. IV. labente) : « Christus in extremo iudicio dividet universos in duas partes, et qui habent *ipsius proprium signum* h. e. *sigillum Spiritus* (την σφραγιδα του πνευματος), hos ut suos alloquens constituet a dextris; oves enim meae, inquit, vocem meam audiunt et cognosco meas » Macarius hom. V. n. 12. (Galland. T. VII. p. 26.).

Haec eadem characteris relatio ad gratiam continetur expressa in communi doctrina, qua dicitur character non

modo *res sive effectus sacramenti visibilis*, sed simul etiam ipse *sacramentum significans gratiam*. « Character significat gratiam, ait s. Bonaventura (4. d. 6. P. I. q. 2. ad 3.), et quod (aliquando) ibi non sit, hoc est ex defectu suscipientis tantum. » Ad quaestionem, quomodo character possit esse signum gratiae, cum sit invisibilis et etiam aliquid minus notum quam gratia ipsa, communis responsio est, characterem visibilem esse non quidem in se sed in sacramento, per quod imprimitur. « Propriissime meo iudicio, ait Albertus M., character (baptismalis) baptismus (et generalius sacramentum) dicitur. Visibilis est non in se sed in comparatione ad tinctionem, a qua imprimitur vel in qua imprimitur a Deo » Albertus M. 4. dist. 3. a. 1. cf. s. Bonaventuram 4. d. 6. P. 1. q. 2. Praeter hanc s. Thomas addit responsionem alteram. « Character animae impressus habet rationem *signi*, in quantum *per sensibile sacramentum imprimitur*... Nihilominus tamen character vel *signaculum* dici potest per quandam similitudinem omne, *quod configurat alicui vel distinguit ab alio*, etiamsi non sit sensibile » 3. q. 63. a. 1. ad 2.

Corollarium 1. Sacerdotium Christi est supremum, non derivatum ab alio sacerdotio superiori, atque ipsum fons et exemplar omnis potestatis sacerdotalis in novo testamento a Christo condito, et ideo sacerdotii plenitudo. Character sacramentalis est ex intima sua natura participatio et derivatio a sacerdotio superiori, atque ideo perfectio quidem sed essentialiter implicans *negationem perfectionis supremae* in ordine sacerdotii. Sicut ergo in Christo Filio Dei naturali repugnat filiatio adoptionis, quia haec involvit negationem filiationis naturalis (tract. de Incarn. th. XXXVIII.); ita in eodem repugnat character sacramentalis, quia hic includit negationem supremae perfectionis in sacerdotio: *perfectio plenitudinis* excludit *imperfectionem participationis* derivatae a superiore. Vide s. Thomam 4. dist. 4. q. 1. a. 3. sol. 5; 3. q. 63. a. 5.

Corollarium 2. Quoad characteris perpetuitatem ad fidem pertinet a Concilio nominatim Tridentino definitam *saltem* illud, quod character *in hac vita* sit indelebilis. Est tamen sententia definitionibus Conciliorum Patrumque doctrinae

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

conformis, inter theologos communis, ac proinde certo tenenda, characterem perseverare etiam in civitate Dei triumphante; imo (quamvis hoc, teste Suarezio, minorem habeat gradum certitudinis) neque in damnatis deleri. Ratio intestina huius perpetuitatis facile intelligitur, ut sigillum obligationis ad Christum regem, fidei consummatorem, et summum sacerdotem sit subditis, pugnatoribus, ministris finaliter fidelibus ad gloriam accidentalem, finaliter rebellibus ad poenam ac ignominiam. Praeter generales locutiones Conciliorum (Florent. Trid.) et Patrum, quibus character dicitur simpliciter *indelebilis, insolubilis, infragilis,* et docetur esse *independens a fide, spe et charitate* ceterisque donis gratiae; speciatim considerandae sunt sententiae aliquorum Patrum, qui epitheta illa characteris strictius definientes aiunt, characterem esse « indelebilem *in aeternum* ἀνεξαλειπτον εἰς τους ἀιωνας » Cyrillus procatech. n. 17; « faustum munus *funerale* δεξιον ἐνταφιον » Nazianzenus or. 40. 15; eo fore insignes oves Christi etiam *in extremo iudicio,* ut docet Macarius hom. V. n. 12, insignes scilicet charactere coniuncto cum gratia, quo agnoscantur a Christo iudice tamquam suae (cf. Pastorem Hermae supra p. 154.). Posteriori hac Macarii sententia character seiunctus a gratia in reprobris permanens ad evidentius testimonium iustae damnationis non affirmatur quidem, sed neque negatur. Cf. s. Thomam 3. q. 63. a. 5; Suarez in commentar. ad hunc articulum; Vasquez disp. 134. c. 5...

Scholion. In tribus sacramentis character est aliquid distinctum tum a sacramento visibili, a quo significatur et efficitur, tum a gratia, quam character etiam significat; atque ideo est tum *res sacramenti* (terminus significationis et efficientiae) tum *sacramentum* (significans gratiam). Porro sicut in his tribus sacramentis, ita potissimum etiam in ss. Eucharistia theologi inde a saeculo XII. mediante (Hugo Victorinus mort. 1140, Petrus Lombardus mort. 1165, Petrus Pictaviensis mort. 1205) ex necessitate quadam polemica distinxerunt tria haec, id quod est *sacramentum* tantum, quod est *res sacramenti,* et quod est *res simul sacramenti et sacramentum.* Quae quidem loquendi forma quoad

ss. Eucharistiae sacramentum ab Innocentio III. in ep. ad Archiep. Lugdun. usurpata in Collectionem Decretalium transiit (cap. *Cum Marthae* l. 3. tit. 41. c. 6.); a Magistro vero et ceteris deinceps scholasticis applicata est ad omnia sacramenta.

Facile intelligitur, quid in singulis sit *sacramentum tantum* significans et non significatum, ipsum scilicet visibile signum sacramentale; quid *res sacramenti* significata et non significans, gratia inquam. Ut autem definiatur in singulis illud, quod dicitur *res simul et sacramentum,* necesse est ostendere aliquem *effectum sacramenti* vel saltem *aliquid significatum,* quod et ipsum *vicissim significet gratiam sacramentalem.* Hoc *significatum* simul et *significans* quid sit in reliquis quidem sacramentis praeter Poenitentiam et extremam Unctionem, omnes consentiunt. Est enim in illis prioribus iuxta doctrinam catholicam indubitatus aliquis effectus actionis sacramentalis distinctus a gratia et cum gratia vel ut signum vel ut causa connexus, in tribus character, in Eucharistia praesens corpus et sanguis Christi, in matrimonio insolubile vinculum. Quare etiam in sacramento Poenitentiae et extremae Unctionis, si hoc nomen *res sacramenti,* eandem retinet significationem ut in reliquis, similis effectus a gratia distinctus et gratiam significans erit illud, quod dicitur *res simul et sacramentum.* Talem effectum Conc. Trid. assignat in Poenitentia quidem sess. XIV. cap. 3, quod reconciliationem cum Deo, quae est *res* huius sacramenti, « interdum in viris piis... *conscientiae pax ac serenitas cum vehementi spiritus consolatione* consequi solet; » in extrema vero Unctione (ibid. P. II. cap. 2. et can. 2.), quod hoc sacramentum « aegroti *animam alleviat et confirmat* magnam in eo divinae misericordiae fiduciam excitando, qua infirmus sublevatus et morbi incommoda ac labores levius fert et tentationibus daemonis calcaneo insidiantis facilius resistit, et *sanitatem corporis* interdum, ubi saluti animae expedierit, consequitur. » Videtur sane ipsum Concilium, dum gratiam appellat *rem sacramenti,* et illi coniungit hos alios effectus, innuere voluisse, quid in utroque hoc sacramento habendum sit tamquam *res simul et sacramentum.* Doctrinam videas apud Cardinalem de Lugo de

Sacr. in genere disp. II. sect. 8; historiam aliquam formae loquendi apud Vasquez de Poenitent. in 3. q. 84. dub. 3. (T. IV. in 3. P. s. Thom.).

CAPUT V.

DE INSTITUTORE ET DE MINISTRO SACRAMENTORUM NOVAE LEGIS.

THESIS XIV.

De Christo institutore omnium sacramentorum novae legis.

« Sicut sacramenta novae legis sunt instrumenta Dei et Christi ad » hominum sanctificationem, ita solus Deus sanctificator potestate *auctoritatis* independente, Christus redemptor secundum humanitatem potestate *excellentiae* sacramentorum eorumdem institutor credi debet; » idque tenendum est hoc sensu, ut Christus ipse per se, dum visibilis versabatur in terris, sacramenta omnia novae legis instituisse intelligatur, non vero mediate tantum et auctoritate Apostolis adtributa. »

I. Quando ad designandos diversos ordines potestatis distinguitur potestas *auctoritatis, excellentiae, ministerii*, primo illo nomine *auctoritatis* intelligitur auctoritas principalis, quae non est derivata ab alia superiore, cui subsit ministerialiter et instrumentaliter; sed quae est auctoritas ex sese, a qua derivatur et cui subiecta est tamquam ministra omnis alia potestas, et omnis alia voluntas forte concurrens ad institutionem sacramentorum. Hoc autem sensu sine probatione constat, solum Deum posse esse institutorem sacramentorum efficacium ad conferendam gratiam. Profecto enim nemo nisi ipse auctor princeps gratiae hac auctoritate principali potest instituere signa sensibilia, per quae ex opere operato et vi ipsius sensibilis signi gratia conferatur non ponentibus obicem, sive iam sacramenta causae morales sive causae physicae esse dicantur. Imo id verum esset, etiamsi sacramentum, ut circumcisio veteris testamenti, solum esset conditio, quacum infallibiliter collatio gratiae connecteretur. Atqui auctor princeps gratiae, qua constituimur filii Dei adoptivi et heredes regni in visione Dei beatifica, solus Deus est, et nemo praeter unum Deum esse potest, non modo ut *causa prima* dicitur auctor

princeps et causa principalis, quo sensu per se patet, omnium bonorum solum Deum esse auctorem principem; sed etiam ut *causa principalis* opponitur *causae instrumentali* ac *ministeriali*. Cf. s. Thom. 3. q. 64. a. 1. et 2.

II. Quae cum ita sint, quaerendum remanet, quomodo Christus redemptor secundum humanitatem spectatus sit institutor sacramentorum novae legis. Principia indubitata haec sunt. Christus redemptor « pro peccatis nostris non pro nostris autem tantum sed etiam totius mundi » (1. Io. II. 2.) plenissime satisfecit, nobisque gratiam merito condigno promeruit (Rom. V. et passim in tota Scriptura). Christus redemptor non solum nuntius est sicut Moyses in veteri testamento, sed ipse per sua merita conditor et sponsor novi testamenti, et in hoc suo testamento summus sacerdos in aeternum (Heb. VII. VIII.). Hinc Christus redemptor est caput Ecclesiae ita, ut nulla sit gratia, nullum supernaturale donum, quod non ab ipso eiusque meritis pendeat atque ab ipso in sua membra dimanet; et ut ab hoc capite originem et consistentiam habeant sicut Ecclesia ipsa ita omnis potestas, omne ministerium, omnia instituta et omnia media gratiae ac salutis in Ecclesia (Eph. IV. Coloss. I. vide de Christo Mediatore in nostro tract. de Incarnat.). Unde a Christo, etiam secundum quod homo est, ut a causa meritoria omnis gratiae, a mediatore et conditore novi testamenti, a capite Ecclesiae pendet sui meriti applicatio, gratiae distributio, et mediorum institutio ad meriti applicationem et gratiae collationem; ac denique perpetua horum mediorum dispensatio, ac potestas administrationis a Christo derivatur in ministros. « *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra: euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos* etc. » Mt. XXVIII. 18. 19. « *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos... accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis* etc. » Io. XX. 21. 23. « *Seipsum tradidit pro ea* (Ecclesia), *ut illam sanctificaret mundans lavacro aquae in verbo vitae* » Eph. V. 26. Et universalius: « de plenitudine eius nos omnes accepimus et gratiam pro gratia » Io. I. 16. « Crescamus in illo, qui est caput Christus, ex quo totum corpus compactum et conne-

Sacr. in genere disp. II. sect. 8; historiam aliquam formae loquendi apud Vasquez de Poenitent. in 3. q. 84. dub. 3. (T. IV. in 3. P. s. Thom.).

CAPUT V.

DE INSTITUTORE ET DE MINISTRO SACRAMENTORUM NOVAE LEGIS.

THESIS XIV.

De Christo institutore omnium sacramentorum novae legis.

« Sicut sacramenta novae legis sunt instrumenta Dei et Christi ad » hominum sanctificationem, ita solus Deus sanctificator potestate *auctoritatis* independente, Christus redemptor secundum humanitatem potestate *excellentiae* sacramentorum eorumdem institutor credi debet; » idque tenendum est hoc sensu, ut Christus ipse per se, dum visibilis versabatur in terris, sacramenta omnia novae legis instituisse intelligatur, non vero mediate tantum et auctoritate Apostolis adtributa. »

I. Quando ad designandos diversos ordines potestatis distinguitur potestas *auctoritatis, excellentiae, ministerii*, primo illo nomine *auctoritatis* intelligitur auctoritas principalis, quae non est derivata ab alia superiore, cui subsit ministerialiter et instrumentaliter; sed quae est auctoritas ex sese, a qua derivatur et cui subiecta est tamquam ministra omnis alia potestas, et omnis alia voluntas forte concurrens ad institutionem sacramentorum. Hoc autem sensu sine probatione constat, solum Deum posse esse institutorem sacramentorum efficacium ad conferendam gratiam. Profecto enim nemo nisi ipse auctor princeps gratiae hac auctoritate principali potest instituere signa sensibilia, per quae ex opere operato et vi ipsius sensibilis signi gratia conferatur non ponentibus obicem, sive iam sacramenta causae morales sive causae physicae esse dicantur. Imo id verum esset, etiamsi sacramentum, ut circumcisio veteris testamenti, solum esset conditio, quacum infallibiliter collatio gratiae connecteretur. Atqui auctor princeps gratiae, qua constituimur filii Dei adoptivi et heredes regni in visione Dei beatifica, solus Deus est, et nemo praeter unum Deum esse potest, non modo ut *causa prima* dicitur auctor

princeps et causa principalis, quo sensu per se patet, omnium bonorum solum Deum esse auctorem principem; sed etiam ut *causa principalis* opponitur *causae instrumentali* ac *ministeriali*. Cf. s. Thom. 3. q. 64. a. 1. et 2.

II. Quae cum ita sint, quaerendum remanet, quomodo Christus redemptor secundum humanitatem spectatus sit institutor sacramentorum novae legis. Principia indubitata haec sunt. Christus redemptor « pro peccatis nostris non pro nostris autem tantum sed etiam totius mundi » (1. Io. II. 2.) plenissime satisfecit, nobisque gratiam merito condigno promeruit (Rom. V. et passim in tota Scriptura). Christus redemptor non solum nuntius est sicut Moyses in veteri testamento, sed ipse per sua merita conditor et sponsor novi testamenti, et in hoc suo testamento summus sacerdos in aeternum (Heb. VII. VIII.). Hinc Christus redemptor est caput Ecclesiae ita, ut nulla sit gratia, nullum supernaturale donum, quod non ab ipso eiusque meritis pendeat atque ab ipso in sua membra dimanet; et ut ab hoc capite originem et consistentiam habeant sicut Ecclesia ipsa ita omnis potestas, omne ministerium, omnia instituta et omnia media gratiae ac salutis in Ecclesia (Eph. IV. Coloss. I. vide de Christo Mediatore in nostro tract. de Incarnat.). Unde a Christo, etiam secundum quod homo est, ut a causa meritoria omnis gratiae, a mediatore et conditore novi testamenti, a capite Ecclesiae pendet sui meriti applicatio, gratiae distributio, et mediorum institutio ad meriti applicationem et gratiae collationem; ac denique perpetua horum mediorum dispensatio, ac potestas administrationis a Christo derivatur in ministros. « *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra: euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos* etc. » Mt. XXVIII. 18. 19. « *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos... accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis* etc. » Io. XX. 21. 23. « *Seipsum tradidit pro ea* (Ecclesia), *ut illam sanctificaret mundans lavacro aquae in verbo vitae* » Eph. V. 26. Et universalius: « de plenitudine eius nos omnes accepimus et gratiam pro gratia » Io. I. 16. « Crescamus in illo, qui est caput Christus, ex quo totum corpus compactum et conne-

xum per omnem iuncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscuiusque membri, augmentum corporis facit in aedificationem sui in charitate » Eph. IV. 16; Coloss. I. 18–20; II. 19.

Ex principiis positis haec consequuntur. *a*) In praesenti oeconomia nulla possunt esse sacramenta efficacia gratiae, quorum dignitas et virtus non sit ex meritis Christi; quia ipse est causa meritoria omnis gratiae. *b*) Nulla possunt esse, quae non administrentur nomine et auctoritate Christi; quia ab ipso pendet applicatio sui meriti et dispensatio gratiae, quam promeruit. Unde *c*) nulla possunt esse sacramenta, quorum institutio non sit sicut fundata in meritis Christi, ita et facta vel immediate a Christo ipso, vel saltem (de quo mox dicemus) dependenter ab eius humana etiam voluntate, iussu et auctoritate ipsius; quia ipse est mediator novi testamenti, conditor et caput Ecclesiae, et summus sacerdos. *d*) Denique nulla possunt esse sacramenta, quibus Christi ipsius potestas remittendi peccata et conferendi gratiam alligata fuerit ita, ut eam independenter a sacramentis exercere non potuerit aut non possit; licet haec potestas ministris Christi in Ecclesia non sit communicata nisi alligata sacramentis, et quatenus ipsi nomine Christi sunt administratores sacramentorum efficacium gratiae. Nam in Christo ratio *causae meritoriae universalis* et *potestas universalis ad remittenda peccata et ad conferendam gratiam* erat fundamentum ac principium, ex quo sequebatur *potestas velut particularis ad instituenda sacramenta*; ergo *potestas illa universalis* non poterat et non potest esse restricta et alligata sacramentis.

Iam si Christus homo formaliter consideretur ut *merens* gratiam, media gratiae, institutionem et dignitatem sacramentorum, ita *in ordine causae meritoriae* est causa suprema. At si spectatur humana Christi natura in comparatione cum divinitate, et opus meritorium et applicatio meriti et institutio sacramentorum, quatenus sunt functiones naturae humanae; ita natura humana et opus meritorium et institutio sacramentorum sunt *Dei instrumentum coniunctum*. Dignitas enim ad infinitum valorem meriti, et potestas ad

applicationem gratiae ac institutionem sacramentorum in humana natura est ex unione hypostatica cum Verbo, et ad naturam humanam derivatur ex persona divina, cuius facta est natura propria (supra th. X. n. III.). Prae Deo igitur *causa principe* gratiae et mediorum salutis ipsiusque salutis nostrae, atque adeo institutore sacramentorum per potestatem *auctoritatis*, Christus *ut homo* potest dici *causa ministerialis* (1) etiam ad institutionem sacramentorum. Prae ministris vero, ad quos a Christo derivatur potestas, ut sacramenta sanctificata Christi meritis et instituta a Christo ipsius nomine et auctoritate administrent, Christus etiam *ut homo* est causa principalis et habet potestatem *auctoritatis* secundum quadruplicem *excellentiam* paulo ante declaratam, quae tamen auctoritas longe alia est quam *auctoritas divinitatis*, prae qua (ut diximus) est *ministerialis*. « Potestas *auctoritatis* convenit Christo, secundum quod est Deus, licet et *potestas excellentiae possit auctoritas nominari per comparationem ad alios ministros* » s. Thom. 3. q. 64. a. 4. ad 2.

Ut ergo quoad institutionem et applicationem sacramentorum distinguatur potestas divinitatis et humanitatis Christi, atque ab utraque ministerium dispensationis in meris hominibus, potestas divina dicitur *auctoritatis*, potestas in humana natura Christi dicitur *excellentiae*, potestas dispensationis a Christo communicata suis ministris dicitur *ministerialis*. Totam hanc doctrinam habes apud s. Thomam. « Christus, secundum quod Deus est, operatur in sacramentis *per auctoritatem*, secundum autem quod est homo, operatur ad interiores effectus sacramentorum meritorie,

(1) « Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat... ut salvetur mundus per ipsum » Io. III. 16. 17. « Misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant, redimeret » Gal. IV. 4. « Quoniam quidem Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi » 2. Cor. V. 19. « Decebat eum (Deum), propter quem omnia, et per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummare » Heb. II. 10. « In capite libri scriptum est de me, ut faciam Deus voluntatem tuam.... in qua voluntate salvati sumus per oblationem corporis Christi semel » ib. X. 7. 10. etc.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

et efficienter sed *instrumentaliter*. Dictum est enim, quod passio Christi quae competit ei secundum humanam naturam, causa est nostrae iustificationis et meritorie et effective.... in quantum humanitas est *instrumentum divinitatis ipsius*. Sed tamen quia est *instrumentum coniunctum* divinitati in persona, habet *quamdam principalitatem et causalitatem respectu instrumentorum extrinsecorum, qui sunt ministri Ecclesiae*. Et ideo sicut Christus, in quantum Deus, habet *potestatem auctoritatis* in sacramentis, ita in quantum homo, habet *potestatem ministerii principalis sive potestatem excellentiae*. Quae quidem consistit in quatuor. Primo quidem, quod *meritum et virtus passionis eius operatur in sacramentis*... Secundo ad potestatem excellentiae, quam Christus habet in sacramentis, pertinet, *quod in eius nomine sacramenta sanctificentur*. Et quia ex eius institutione sacramenta virtutem obtinent, inde est quod tertio ad excellentiam potestatis Christi pertinet, quod ipse qui dedit virtutem sacramentis, *potuit instituere sacramenta*. Et quia causa non pendet ab effectu, sed potius e converso, ideo quarto ad excellentiam potestatis Christi pertinet, quod ipse *potuit effectum sacramentorum sine exteriori sacramento conferre* » s. Thom. 3. q. 64. a. 3.

III. Esse itaque solum Deum, proindeque Christum secundum divinitatem, auctorem ac institutorem sacramentorum principalem, quia solus Deus *potestate auctoritatis* potest coniungere cum signis sensibilibus infallibilem collationem gratiae; et esse Christum secundum humanitatem institutorem *potestate excellentiae*, quia omnis gratiae distributio et omnia instrumenta gratiae sunt ex meritis Christi, et proinde etiam pendent in sua institutione a voluntate humana Christi, et quia totus cultus christianus et proinde elementa praecipua huius cultus, quae sunt sacramenta, derivantur a Christo summo sacerdote; haec inquam consequuntur ex ipsa natura sacramentorum. Atque hoc saltem sensu, si ab institutione immediata et personali per Christum visibiliter versantem in terris vel mediata per Apostolos praescindatur, est sine dubio *de fide*, omnia sacramenta novae legis esse instituta a Christo Deo-homine

atque ideo iuris divini. Expressa etiam Concilii Tridentini definitio *ad minimum* hoc sensu sub anathemate damnat: « si quis dixerit sacramenta novae legis non fuisse omnia a Iesu Christo Domino nostro instituta » sess. VII. can. 1. cf. sess. XIV. P. II. can. 1.

Quod vero spectat ad *immediatam* institutionem per Christum versantem visibiliter in terris, non defuerunt ante Concilium Tridentinum theologi, qui aliqua sacramenta (nominatim Confirmationem et extremam Unctionem) a Deo per Apostolos instituta esse putarent. Ita videntur de extrema Unctione docere Hugo Victorinus (de Sacr. l. II. P. XV. c. 2.) et Lombardus 4. dist. 23. Certe s. Bonaventura 4. dist. 7. a. 1. q. 1. et dist. 23. a. 1. q. 2. censuit probabilius, sacramenta Confirmationis et extremae Unctionis post ascensionem Domini et missionem Spiritus Sancti, a Spiritu Sancto per Apostolos fuisse instituta. Prorsus absurdum est, quod, nescias quo errore deceptus, affirmavit Alexander Halensis 4. q. 9. m. 1, sacramentum Confirmationis post Apostolos « institutum fuisse Spiritus Sancti instinctu in Concilio Meldensi quantum ad formam verborum et materiam elementarem, cui etiam Spiritus Sanctus contulit virtutem sanctificandi » (1). Post Concilii Tridentini definitiones nullus est catholicus theologus, qui fas esse putet negare institutionem omnium sacramentorum immediate factam ab ipso Christo Domino. Non tamen consentiunt theologi, utrum hoc sensu institutionis *immediatae* debeat censeri veritas *de fide* definita in Concilio Tridentino. Aliqui ut Bellarminus (l. I. c. 23.) et Vasquez (disp. 135. c. 1.) id affirmant; Suarez (disp. 12. sect. 1.) et Arriaga (disp. 18. sect. 1.) aiunt, veritatem esse certam ex verbis Concilii, non tamen audent dicere simpliciter esse de fide, quia Concilium particulam illam *immediatae* institutionis non habet. Eodem fere modo negant etiam alii Ruardus Tapper et Iodocus Ravestein doctores Lovanienses qui in-

(1) In Conc. Meldensi habito anno 845. nihil de sacramento Confirmationis aliud habetur, nisi quod eius administratio can. 44. interdicitur Chorepiscopis, qua ipsa in prohibitione appellat Concilium ad auctoritatem Innocentii I. Pontificis saec. V. ineunte. (Mansi T. XIV. p. 829.)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

terfuerant Concilio, Estius, Iuenin, Tournely, Cardinalis Gotti, Drouin etc., hanc institutionem *immediatam* omnium sacramentorum per Christum in terris versantem esse in Concilio definitam, quamvis omnes fateantur, eam in dubium vocare post Concilium Tridentinum iam fas non esse. Durum sane esse et difficile conciliari posse videtur cum scopo Concilii eiusque constanti praxi, qua solas haereses Novatorum Ecclesiam infestantium non autem opiniones Doctorum catholicorum directe damnare propositum habebat, ut dicamus Concilium directe damnasse tamquam haeresim opinionem s. Bonaventurae doctoris gravissimi, in cuius sacra familia et schola plures ex Patribus et theologis Tridentinis educati fuerant.

Distinguendum ergo esse videtur. Sacramenta per Apostolos instituta dici possent tripliciter. *a*) Ita ut virtus sacramentorum non penderet immediate a meritis Christi, sed a meritis congruis ipsorum Apostolorum; hoc sensu catholici Doctores et inter hos ipse s. Thomas (3. q. 64. a. 4.) institutionem per Apostolos possibilem quidem fuisse, nulli autem umquam ita factam esse docuerunt. *b*) Posset intelligi ita, ut Apostoli potestate a Christo ipsis communicata, qua vero sub directione quidem Spiritus Sancti sed tamen suo arbitrio tamquam rectores Ecclesiae uterentur, potuerint instituere et instituerint aliqua sacramenta, quibuscum Deus ex Christi meritis coniungeret dignitatem et virtutem ad conferendam gratiam. Hoc modo Apostoli instituebant multas sacras observationes, cerimonias et ritus etiam ad administrationem sacramentorum pertinentes; at nemo umquam videtur affirmasse, eos habuisse potestatem hoc modo sacramenta instituendi. Hinc distinguit Concilium Tridentinum substantiam sacramentorum, ad cuius mutationem nulla est Ecclesiae potestas, et ritus accedentes ad substantiam, qui subsunt Ecclesiae dispositioni sess. XXI. cap. 2. Posset *c*) concipi institutio per Apostolos ita, ut post Christi ascensionem Spiritus Sanctus per Apostolos tamquam sua organa revelationis et divinae operationis instituerit aliqua sacramenta. Hoc modo Apostoli non essent proprie institutores, sed potius promulgatores divinae institutionis; sicut non proprie revelatores erant sed promulgatores doctrinae, quam accipiebant a Spiritu Sancto Ecclesiae tradendam. Nihilominus sicut doctrinae divinitus revelatae, quas Apostoli, quia portare nondum poterant, non a Christo visibiliter cum ipsis versante sed a Spiritu Sancto invisibili acceperant, dicuntur aliquando doctrinae apostolicae, quia ipsi erant primi visibiles earum promulgatores (cf. tract. de Tradit. th. I.), ita possent sacramenta, si dicto modo fuissent instituta, dici instituta *per Apostolos* eodem sensu, quo dici possent sacramenta veteris testamenti instituta, et in ipsis Scripturis aliquando dicuntur leges datae *per Moysen* vel etiam *a Moyse*. Iam hic est sensus, quo s. Bonaventura et probabiliter etiam Hugo Victorinus et Lombardus existimabant, aliqua sacramenta esse per Apostolos instituta. Bonaventura ita loquitur. « Alii probabilius dicunt et Magister videtur hoc sentire imo aperte dicit, quod Spiritus Sanctus per Apostolos hoc sacramentum (extremae Unctionis) instituit, sicut supra dictum est de sacramento Confirmationis. Et quod hoc potuerit esse, manifestum est, cum ipse sit doctor praecipuus sicut et Christus . . . Ipse (Deus) immediate loquebatur Moysi, et post Moyses praecipiebat populo sicut nuntius Dei et minister; sic Spiritus Sanctus Apostolis, et ipsi ut ministri populis exponebant. Unde sacramentorum institutionem non attribuimus nisi Deo vel per Filium vel per Spiritum Sanctum (in Apostolis)... Sic institutio sacramentorum respicit Deum ut auctorem, et Apostolos ut ministros in promulgando » s. Bonav. 4. dist. 23. a. 1. q. 2. Hoc tertio sensu quo veteres illi Doctores existimabant aliqua sacramenta fuisse a Spiritu Sancto per Apostolos instituta (1), puto intelligi debere, quando theologi paulo ante memorati negant, institutionem *immediatam* omnium sacramentorum per Christum ipsum esse in Tridentino Concilio definitam *de fide*.

(1) Multo gravius est quod asseruit Alexander Halensis l. c. de institutione sacramenti Confirmationis facta a Spiritu Sancto post Apostolos per Ecclesiam, quam undequaque falsam opinionem etiam s. Bonaventura fere ipsis verbis magistri sui Alexandri transcripsit 4. dist. 7, a. 1. q. 4; eam vero in loco posteriori dist. 23, quem citavi in textu, retractasse censeri potest.

Quidquid vero sit de definitione fidei, verba Concilii, spectato etiam consensu subsequente omnium theologorum, et spectata sanctorum Patrum doctrina de sacramentis ipsaque sacramentorum insita ratione, ita habent, ut ipse Christus conditor Ecclesiae et summus sacerdos per se ipsum institutor omnium sacramentorum in sua Ecclesia censeri omnino debeat.

Nam 1°. omnia *universalia instituta* in Ecclesia discernuntur in tres ordines, ut alia sint ex personali ordinatione et institutione Christi, cum visibilis in terra fundaret Ecclesiam; alia ex ordinatione Apostolorum secundum potestatem a Christo acceptam; alia ex lege Ecclesiae subsequentium aetatum potestate item a Christo delegata. Quoties igitur *institutorum visibilium* ac *rituum* in Ecclesia nominatur institutor Christus, intelligitur Christus institutor visibilis, dum in terris Ecclesiam fundaret et opus redemptionis compleret. Quando ergo docet Concilium, « sacramenta novae legis fuisse omnia *a Iesu Christo Domino nostro* instituta, » obvio verborum sensu definitio intelligitur de Iesu Christo institutore visibili in terris. Etenim documenta et instituta tradita Ecclesiae ab Apostolis post ascensionem Domini, sive in iis fuerint meri promulgatores legis divinae acceptae per revelationem et ordinationem divinam, sive fuerint ipsi legislatores potestate apostolica sub directione Spiritus Sancti, non tribuuntur *Iesu Christo* secundum humanitatem spectato sed Spiritui Sancto (exceptis iis, in quibus Christus homo se praesentem sistebat ut in vocatione Pauli ad apostolatum et in plerisque locis Apocalypsis). Unde et veteres illi Doctores scholae, qui aliquorum sacramentorum institutionem per Apostolos vel per Ecclesiam admittebant, eam factam esse dicunt *a Spiritu Sancto* per Apostolos. Atqui Concilium docens esse omnia instituta « *a Iesu Christo Domino nostro,* » ipsa appellatione designat *Christum, qua homo est,* ut institutorem omnium sacramentorum, atque adeo ut institutorem visibilem dum compleret oeconomiam redemptionis in terris, non autem ut institutorem per Apostolos. Insuper de sacramento extremae Unctionis, quod ipsum maxime a nonnullis dicebatur institutum a Spiritu Sancto per Apostolos, Concilium diserte et nominatim docet, esse institutum « tamquam vere et proprie sacramentum novae legis *a Christo Domino nostro;* » per Apostolum autem Iacobum solum esse « fidelibus *commendatum et promulgatum* » sess. XIV. P. II. cap. 1. can. 1. Ubi *institutionem per Apostolum* vides diserte excludi.

2°. Theologi licet non consentiant de definitione directa tamquam veritatis *fide* credendae, concedunt tamen et affirmant unanimes, verba Concilii ita esse comparata, ut nemini iam fas sit immediatam omnium sacramentorum institutionem per Christum ipsum in dubium vocare. Talis vero consensus satis manifestat communem sensum ipsius Ecclesiae.

3°. In Scripturis solemnis institutio saltem praecipuorum sacramentorum baptismi, poenitentiae, et Eucharistiae per ipsum Iesum Christum diserte describitur; secundum analogiam ergo idem institutionis modus quoad alia omnia sacramenta colligi debet ex ipsis Scripturis, nisi de alio institutionis modo aliunde constet. Atqui aliunde non solum non constat de deviatione ab hac analogia, sed potius eius constantia manifesto confirmatur. Apud Patres universos nullum uspiam est indicium, sacramentum aliquod esse ex institutione apostolica; sed ubique vel supponunt tamquam per se notum, vel etiam diserte quamvis ut in re manifesta solum obiter declarant immediatam institutionem per Christum ipsum. Docent *a*) verba sacramentalia esse verba Domini Iesu, et esse instituta, ut a ministris nomine et velut in persona ipsius Iesu Christi institutoris perpetuo adhibita creatricem et transformantem habeant efficaciam. Unde in Apostolis et eorum successoribus nullum aliud agnoscunt ministerium in sacramentis quam administrationis et dispensationis iuxta Christi institutionem. Hinc *b*) declarant, sacramenta nullo sensu posse dici Apostolorum sed omnino esse sacramenta Christi (vide supra th. X.). In his principiis continetur, quod *c*) etiam diserte docent: « ergo auctor sacramentorum qui est, nisi Dominus Iesus? De coelo ista sacramenta venerunt » vulgatus Ambrosius de Sacram.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

lib. IV. c. 4. « Ab ipsa Dei sapientia *homine assumpto*, a quo in libertatem vocati sumus, pauca sacramenta saluberrima constituta sunt, quae societatem christiani populi... continerent » Augustinus de vera Relig. n. 33.

4°. Ipsa intima sacramentorum ratio ut a Patribus describitur, quomodo cohaereat cum immediata institutione per Christum, iam ex dictis apparet. Praeterea Verbum caro factum Christus Iesus ipse visibilis in terris instituit suam visibilem Ecclesiam; adeoque etiam in hac fundatione Ecclesiae instituit et ordinavit ipsemet fundamenta ac elementa essentialia religionis et cultus christiani, ad haec autem pertinent cum sacrificio sacramenta. Non ergo potest dubitari de immediata eorum institutione per Christum facta, dum visibilis in terris oeconomiam redemptionis compleret et suam fundaret Ecclesiam. « Apostoli et eorum successores sunt vicarii Dei, quantum ad regimen Ecclesiae constitutae per fidem et fidei sacramenta. Unde sicut non licet eis constituere aliam Ecclesiam (nec ipsi hanc Ecclesiam instituerunt); ita non licet eis tradere aliam fidem neque instituere alia sacramenta (neque haec sacramenta ab ipsis instituta sunt); sed per sacramenta, quae de latere Christi pendentis in cruce fluxerunt, dicitur esse fabricata Ecclesia Christi » (quia pertinent sacramenta ad essentialia fundamenta Ecclesiae) s. Thom. 3. q. 64. a. 2. ad 3. Vide Bellarmin. l. I. c. 23; de Lugo disp. VII. sect. 1; Drouin l. I. q. 5.

Corollarium. Si quaestio sit non de facto sed de possibilitate institutionis sacramentorum per Apostolos vel generatim per meros homines, seposita potestate *auctoritatis* quae Deo est propria et non communicabilis, prae oculis habeatur triplex modus diversus, quo concipi posse diximus talem institutionem per Apostolos; vel ita scilicet ut sacramentorum valor ac dignitas fundaretur in supernaturalibus meritis hominum instituentium; vel ita ut potestatem habuissent apostolicam instituendi sacramenta fundata tamen in meritis Christi; vel ita ut Spiritus Sanctus post Domini abitum in coelum, sicut per Apostolos tamquam suos praecones revelavit veritates, ita instituisset sacramenta. Hac distinctione posita nullum est dubium, quin sacramenta haec nostra essentialiter eadem potuerint instituti tertio modo et etiam modo secundo, quem intellexisse videtur s. Augustinus in Ioann. tract. V. nn. 7. 9. ubi ait: « potuit Dominus Iesus Christus, si vellet, dare potestatem alicui servo suo, ut daret baptismum suum tamquam vice sua, et transferre a se baptizandi potestatem et constituere in aliquo servo suo, et *tantam vim dare baptismo translato in servum, quantam vim haberet baptismus datus a Domino*. Hoc noluit etc. » Potuit scilicet dare potestatem instituendi sacramenta eiusdem valoris ex Christi meritis ac sunt haec nostra, sicut dedit potestatem e. g. ferendi leges, quae sunt leges Apostolorum, vim tamen obligandi habent a Deo.

Imo etiam sensu, quem primo loco indicavimus, non absolute repugnare institutionem sacramentorum efficacium gratiae, docent s. Thomas et plerique theologi. « Potestatem *excellentiae* potuit Christus ministris communicare, dando scilicet eis tantam gratiae plenitudinem, ut eorum meritum operaretur ad sacramentorum effectus, ut ad invocationem nominum ipsorum sanctificarentur sacramenta, et ut ita possent sacramenta instituere » s. Thom. 3. q. 64. a. 4. Attamen ea potestas et ea sacramenta tantum differrent a potestate et sacramentis Christi, quantum distat meritum puri hominis a merito Christi Dei-hominis. Cf. de Lugo disp. VII. sect. 2.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

THESIS XV.

De potestate in ministris
ad conficienda sacramenta et de valore sacramentorum
independente a fide ac meritis ministri.

« Ministri sacramentorum sunt causae ministeriales effectus sacramentalis (transubstantiationis in sacramento permanente et gratiae in sacramentis reliquis), non tamen alio influxu nisi quatenus legatione pro Christo fungentes vicariâ potestate ponunt actionem sacramentalem, quae ex divina institutione per merita Christi suam dignitatem habet et virtutem ad producendum effectum. Ex hac ratione virtutis in sacramentis simul iunctâ naturâ potestatis, quae pertinet ad *dona gratis data*, consequitur veritas catholica, quod sacramentorum valor et effectus a fide ac sanctitate ministri non pendet. »

I. Ministri sacramentorum ponunt sacramentalem actionem potestate a Christo accepta, nomine et in persona Christi. Quando igitur ipsa actio sacramentalis est instrumentalis causa effectuum, profecto etiam ponens actionem est causa eorundem effectuum, non quidem causa principalis sed *ministerialis*, quia sacramentum non habet virtutem a ministro sed a Deo et Christo institutore, et quia minister potestate et nomine Christi agit. Ex hoc vero ipso quod virtus instrumentalis seu dignitas supernaturalis exigens effectum non est in ministro sed solum in actione sacramentali, quatenus ponitur a ministro agente nomine Christi, consequens est, non alium esse *ministri influxum ad producendum effectum sacramenti* praeter ipsam positionem sacri signi ex Christi institutione efficacis. Non ergo verum est, quod aliqui theologi docebant asserentes duplicem influxum, unum visibilis sacramenti, alterum distinctum ipsius ministri (si habeat characterem Ordinis) per potentiam activam characteris, ut aiebant. Quod influit seu quod per suam virtutem moralem exigit effectum est sacramentum, sacramentum autem conficitur actione aliqua ministri; unde minister sive ordinatus sive non ordinatus (ut in matrimonio et aliquando in baptismo) non influit ad effectum nisi per suam actionem humanam, quae exercita nomine Christi ex institutione Christi est sacramentalis et efficax. Non ergo

ille duplex est influxus sed unus tantum, sicut e. g. dum iudex profert sententiam absolvendo reum, iudex non per aliud quam per latam sententiam absolvit; nec ad effectum duplex est influxus, alius iudicis et alius sententiae, sed unus tantum *sententiae* scilicet, quae vero *prolata est a legitimo iudice*.

Ex his apparet, quomodo sacerdotes habeant veram potestatem a Christo sibi communicatam remittendi peccata, ut constat ex verbis Christi Io. XX. 23, et iterum definitum est in Concilio Tridentino sess. XIV. cap. 1. 6. can. 3; quod idem etiam sentiendum est de ministrorum potestate abluendi peccata per baptismum et conferendi effectum per alia sacramenta. Potestas haec non est *absoluta*, ut quo eis modo placuerit, remittant e. g. peccata poenitentibus; sed est unice potestas, ut nomine et in persona Christi ponant tamquam sacramentalem eam actionem (puta sententiam iudicialem in coniunctione cum debita poenitente submissione peccatoris), quae a Christo instituta est in sacramentum efficax gratiae. Hoc ipsum enuntiatur vulgato axiomate, quo dici solet: *potestas ministri alligata est sacramentis*. Vide Vasquez disp. 135. c. 3; de Lugo disp. VIII. sect. 1. n. 5. seqq.

Porro ex his intelligitur, ministrum in sacramentis, quae constant ipsa applicatione actionis transeuntis, esse per sacramentum *causam ministerialem* gratiae *immediatam;* in Eucharistia vero ministrum conficiendo sacramentum esse immediatam causam ministerialem transubstantiationis, et solum *mediate* posse dici ministrum gratiae. Qui vero porrigit sacramentum, non est *ministerialis causa gratiae*, quae producitur a sacramento; sicut enim susceptio Eucharistiae non est sacramentum et causa gratiae, sed solum sacramenti permanentis applicatio et *conditio*, sine qua sacramentum suum effectum ex opere operato non producit (supra ad th. X. Coroll. 2.); ita adhuc minus porrectio sacramenti et proinde etiam is qui porrigit, potest dici *causa gratiae*.

II. Si in ministris deficiente fide, ecclesiastica communione, vel sanctitate deficeret etiam potestas ministerii ita,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ut sacramenta valide conferre non possent, ratio repetenda foret vel *ex natura insita sacramentorum*, quam ex institutione habent, vel *ex natura potestatis ministerialis* ut a Christo communicatur. Posset scilicet fides et sanctitas ministri ad valorem et effectum sacramentorum requiri, quod haec aliquo modo suam efficaciam derivarent ex merito dispensantis; vel supposita etiam independentia sacramentorum a merito ministri, nihilominus potuisset sacramentorum institutor et auctor potestatis administrantis, hanc alligatam velle fidei aut sanctitati ministrorum. Atqui ex doctrina apostolica certo constat, neque sacramenta in sua dignitate suaque virtute pendere a fide et merito dispensantis, nec potestatem ministerialem fidei et merito ipsius ministri alligatam esse; sed hanc esse simpliciter *donum gratis datum*, unde « mali bona ministrando se tantummodo laedunt; et cerea fax accensa sibi quidem detrimentum praestat, aliis vero lumen in tenebris administrat, » ut loquitur Nicolaus I. (in Respons. ad Bulgar. c. 71. Mansi T. XV. p. 425.).

1°. Prius doctrinae caput, quod dignitas et valor sacramentorum a fide et sanctitate ministri est independens, in disputationibus adversus rebaptizantes a III. ad V. saeculum multipliciter ex ipsa sacramentorum natura secundum normam apostolicae traditionis stabilitum videmus et declaratum. Principii instar, quod ex ipsa natura sacramentorum et potestatis ministerialis in eorum dispensatione consequitur, ratum erat apud catholicos, *sacramenta non esse ministrorum sed Christi;* sanctitatem scilicet et virtutem sacramentorum totam esse ex meritis Christi et divina institutione, dispensatoremque ipsum principalem esse Christum, cuius nomine et auctoritate ministri agunt. Consequenter sacramentum sive a bono sive a malo ministro dispensetur, idem manet in sua sanctitate et virtute. « Dominus Iesus Christus noluit baptismum suum (idem valet de omnibus sacramentis propter identitatem rationis) alicui dare, non ut nemo baptizaretur baptismo Domini, sed ut semper ipse Dominus baptizaret. Id actum est, ut et per ministros Dominus baptizaret, id est, ut quos ministri Do-

mini baptizaturi erant, Dominus baptizaret non illi. Aliud est enim baptizare per ministerium, aliud baptizare per potestatem. Baptisma enim tale est, qualis est ille, in cuius potestate datur; non qualis est ille, per cuius ministerium datur... quod dabatur a Paulo et quod dabatur a Petro, Christi est; et si datum est a Iuda, Christi erat. Dedit Iudas et non baptizatum est post Iudam, dedit Ioannes et baptizatum est post Ioannem; quia si datus est a Iuda baptismus, Christi erat; qui autem a Ioanne datus est, Ioannis erat. Non Iudam Ioanni, sed baptismum Christi etiam per Iudae manus datum baptismo Ioannis etiam per manus Ioannis dato recte praeponimus... Quos baptizavit Iudas, Christus baptizavit: sic ergo quos baptizavit ebriosus, quos baptizavit homicida, quos baptizavit adulter, si baptismus Christi erat, Christus baptizavit. Non timeo adulterum, non ebriosum, non homicidam, quia columbam adtendo, per quam mihi dicitur: hic est qui baptizat (Io. I. 33.) » s. Augustinus in Io. tr. V. n. 6. 18. Sed de his satis in superioribus actum est, ubi declaravimus virtutem sacramentorum (th. X.).

Quando Patres ex natura ipsa sacramentorum hac, qua diximus, ratione ostendunt eorundem independentiam a fide et meritis ministri, directe propositum eis est subvertere principium, cui maxime innitebantur adversarii, non posse scilicet Spiritum Sanctum dare, qui Spiritum Sanctum non habent; ad quod probandum iactare solebant Donatistae sententiam illam, ut ait s. Optatus l. V. n. 6, « de vico collectam non de libro lectam »: nemo dat, quod non habet. Attamen principium Patrum de independentia sanctitatis et virtutis sacramentorum a fide et meritis ministri per se et seorsum spectatum probaret tantummodo, non requiri fidem et merita ministrorum ex ipsa insita natura sacramentorum; sed nondum demonstraret potestatem ministerialem ex lege et institutione Christi alligatam non esse fidei aut gratiae in ministris.

Igitur 2°. cardo rei in eo vertitur, ut *ipsa potestas ministerialis* demonstretur *independens a fide et sanctitate ministrorum*. Huius autem independentiae proprie dicta de-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

monstratio peti non potest nisi ex doctrina apostolica. Ita spectata quaestione solet fateri Augustinus, claram doctrinam de potestate etiam haereticorum ad conferenda sacramenta in Scripturis non contineri; at vero, aiunt Patres, praeter Scripturam esse aliud principium catholicae cognitionis, traditionem apostolicam; et huius traditionis certum criterium esse pastorum consensionem. Hanc porro traditionem apostolicam demonstrant, esse omnino luculentam.

a) Eam manifestam reddunt tum universalis nullisque adhuc invectis dubiis tranquilla consuetudo omnium Ecclesiarum usque ad Agrippini tempora; tum motis quaestionibus de valore sacramenti ab haereticis collati reclamatio Pontificis Romani et sub ipso aliorum pastorum tamquam contra novitatem corruptricem vetustatis; denique postquam ipsa inquisitione et diligenti tractatione res erat ad liquidum deducta, instantior praedicatio et solemnes Conciliorum definitiones.

Stephanus Pontifex, ubi propagari et confirmari coepit nova Afrorum sententia, illud unum potissimum opposuit fidei munimentum: « nihil innovetur, nisi quod traditum est » apud Cyprianum ep. 74. « Quondam igitur venerabilis memoriae Agrippinus Carthaginiensis Episcopus, ait Vincentius Lirinensis, primus omnium mortalium contra divinum canonem, contra universalis Ecclesiae regulam, contra sensum omnium consacerdotum, contra morem ac instituta maiorum rebaptizandum esse censebat .... Cum ergo undique ad novitatem rei cuncti reclamarent atque omnes quaquaversum sacerdotes pro suo quisque studio reniterentur, tunc bonae memoriae Papa Stephanus Apostolicae Sedis Antistes cum ceteris quidem collegis suis sed tamen prae ceteris restitit, dignum, ut opinor, existimans, si reliquos omnes tantum fidei devotione vinceret, quantum loci auctoritate superabat. Denique in epistola, quae tunc ad Africam missa est, idem his verbis sanxit: nihil novandum, nisi quod traditum est » Commonit. c. 9. Augustinus quoque ubi memorat hoc Stephani decretum, in eo nihil aliud quam traditionis apostolicae defensionem agnoscit. « Apostoli quidem, inquit, exinde nihil praecepe-

rant (consignatum in Scripturis), sed consuetudo illa quae opponebatur Cypriano, ab eorum traditione exordium sumpsisse credenda est; sicut sunt multa, quae universa tenet Ecclesia, et ob hoc ab Apostolis praecepta bene creduntur, quamquam scripta non reperiantur » Augustinus de Bapt. l. V. n. 31. « Nondum erat diligenter illa baptismi quaestio pertractata; sed tamen saluberrimam consuetudinem tenebat Ecclesia, in ipsis quoque schismaticis et haereticis corrigere quod pravum est, non iterare quod datum est... Quam consuetudinem credo ex apostolica traditione venientem, sicut multa quae non inveniuntur in litteris eorum neque in Conciliis posteriorum, et tamen quia per universam custodiuntur Ecclesiam, non nisi ab ipsis tradita et commendata creduntur. Hanc ergo consuetudinem per Agrippinum praedecessorem suum dicit sanctus Cyprianus quasi coepisse corrigi; sed sicut diligentius inquisita veritas docuit, quae post magnos dubitationum fluctus ad plenarii Concilii confirmationem perducta est, verius creditur per Agrippinum corrumpi coepisse non corrigi » Ibid. l. II. n. 12. et alibi saepe. Confer de triplici stadio, in quo considerandа est tota haec quaestio, tractatum nostrum de Traditione th. XXIII.

b) Conciliorum definitiones hac de re usque ad Augustini tempora plures exstant; directa quidem definitio contra rebaptizantes Afros data est in Conc. Arelat. I. anno 314, in Conc. dein Nicaeno ipso redeuntes Novatiani per solam poenitentiam suscipiuntur, et non alii haeretici quam Pauli Samosateni asseclae baptizari iubentur (can. 8. 19.), quod scilicet Paulianistae formam legitimam non servarent, ut declarant Patres Innocentius I. ep. ad Episcopos Macedon. n. 10, et Augustinus l. de haeres. c. 44. Pariter rebaptismum proscripsit Conc. Carthagin. I. anno 348. can. 1; Laodicenum can. 78. Siricius Pontifex (ep. ad Himer. Tarraconens. c. 1.) severissime iubet agnosci tamquam valide in sua secta baptizatos redeuntes ad Ecclesiam « Arianos cum Novatianis aliisque haereticis, » « quod, inquit, etiam totus oriens occidensque custodit. »

c) Etsi vero in eliquatione quaestionis directe ageretur

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

de potestate in haereticis ad validam collationem baptismi et subinde Ordinis; eadem tamen est ratio, sive omnino infideles sint ministri sive haeretici, ut constat ex disertis declarationibus Nicolai I. respons. 104. ad consulta Bulgarorum, Eugenii IV. in Const. pro Armen. et ex universali consensione, quamvis tempore s. Augustini forte non eadem certitudine adhuc liqueret de infidelibus non baptizatis, ut de haereticis vel apostatis baptizatis. Cf. Angustinum contr. ep. Parmen. l. II. c. 13; de Bapt. l. VII. c. 53. Eadem etiam est ratio ceterornm sacramentorum, quae baptismi; quod quidem si de ministris haereticis sermo sit, constat communi consensione et auctoritate Ecclesiae, qua sacramenta penes schismaticos et eos haereticos, apud quos valida remansit ministrorum Ordinatio, agnoscuntur (excepto sacramento poenitentiae, de quo non ob fidei vel sanctitatis defectum sed ratione iurisdictionis alia est quaestio). Si autem agitur de ministris quantumvis peccatoribus intra Ecclesiam, idem explicitis insuper constat definitionibus, quarum occasionem et necessitatem pepererunt haereses Waldensium, Wicleffitarum et Husitarum, et quae exstant in professione fidei ab Innoc. III. praescripta Waldensibus; in Constit. Ioannis XXII. contra errores Fraticellorum; in Concil. Constant. art. 4. Wicleffi, et in professione exigenda a suspectis haereseos Wicleffianae et Husiticae n. 22; in Trid. sess. VII. can. 12.

Hoc caput de fide et probitate ministri habes amplissime tractatum apud Drouinium ll. de Re sacramentaria et in omnibus recentioribus cursibus theologicis, ut nobis nihil necesse sit insistere quaestionibus historicis de controversia rebaptizantium, quae ad theologiam dogmaticam vel certe ad hunc tractatum de sacramentis minus pertinere videntur.

Corollarium. Patrum sententiae, quae hominum ministerium ad actum externum restringere et ab effectu internae sanctificationis omnino excludere videri possent, interpretandae sunt eodem modo ac quando ipsis sacramentis effectum externum, soli autem Deo sanctificationem internam tribuere videntur; ministri enim, ut ostendimus in hac thesi n. I, non aliter concurrunt ad collationem gratiae

quam per ipsam actionem sacramentalem, in qua residet tota virtus instrumentalis ad gratiam conferendam. In illis itaque sententiis Patres vel *a*) originem considerant potestatis sanctificandi per sacramentum, quae sane a solo Deo est, sive quod eodem redit, considerant potestatem principalem, a qua potestas ministerialis tota derivatur; vel *b*) negant in homine potestatem sanctificandi distinctam a potestate administrandi sacramenta, et affirmant eam totam restrictam et alligatam ad sacramenta; vel *c*) excludunt meritum ministri ab efficacia, quae inest sacramentis; vel *d*) considerant efficientiam *physicam* gratiae, eamque non sacramentis et ideo etiam non ministris sed soli Deo tribuunt.

Scholion. Quaeri saepe solet, quomodo in oriente ab aliquibus magni nominis Episcopis adhuc posterioribus decenniis saeculi IV. sententia de rebaptizandis haereticis retineri potuerit, quando in occidente tota quaestio intra fines Ecclesiae iam plenissime dilucidata et composita erat, nec nisi a schismaticis ac haereticis Donatistis adhuc refricabatur. Maiorem ceteris difficultatem exhibere putatur s. Basilius in epistola 1. canonica scripta anno 374. (ep. 188. ad Amphiloch. T. III. p. 268. seqq.). At sententia Basilii omnino diversa erat ab ea Cypriani et Firmiliani, quae post decretum Pontificis Stephani saltem paulatim, certe diu ante Basilii tempora, ab Ecclesia eliminata est, et « veritas, inquit Augustinus (de Bapt. II. n. 14.), etiam ad plenarii Concilii auctoritatem roburque perducta post Cypriani quidem passionem (anno 258.) sed antequam nos (Augustinus) nati essemus » (anno 353.). Basilius diserte memorat quidem sententiam Cypriani et Firmiliani, quod haeretici valide baptizare nequeant, quia Spiritum Sanctum non habent, quod aeque valet de omnibus qui foris sunt; sed hanc doctrinam etiam Asianis Episcopis displicuisse significat, et ipse quoque eam non admittit. Distinguit vero Basilius *schismaticos* proprie dictos, quorum congregationes παρασυναγωγας appellat; *haereticos* qui in aliis capitibus sed non in doctrina de Deo et de Trinitate errant, quos ipse nominat *schismaticos;* et denique *errantes in doctrina de Deo et de Trinitate,* quos dicit *haereticos* velut per excellentiam. Horum tantummodo postre-

morum baptisma putat esse nullum, non formaliter ob defectum fidei, sed quia existimat formam baptismi illorum ore prolatam non esse eandem, quam Christus instituit. Forma, ut ipsi videbatur, debet iudicari non ex verbis sensibilibus per se spectatis, sed ex sensu quem baptizans verbis subiicit. Hoc posito dum Montanistae e. g. suum Montanum et Priscillam dicunt esse Spiritum paracletum, profecto non baptizant in nomine ss. Trinitatis. « Pepuzeni sunt aperte *haeretici*, nam in Spiritum Sanctum blasphemarunt, Montano et Priscillae paracleti appellationem nefarie et impudenter tribuentes... Qua igitur ratione eorum baptisma admittatur, cum in Patrem et Filium et Montanum aut Priscillam baptizent? *Non enim baptizati sunt, qui in ea, quae nobis non sunt tradita, baptizati fuere.* »

Haec opinio, quod forma ipsa baptismi, si haereticus ei sensus a baptizante subiiciatur, essentialiter mutetur, et iam non sit legitima, in errore quidem versatur, ut apparet ex definitionibus subsequentibus, in quibus haereticorum etiam de Trinitate errantium baptismus admittitur, non tamen tempore Basilii hoc ita distincte et explicite erat in universali professione. In occidente ipso adhuc post Basilium ex simili ratione aliqui dubitabant de baptismo e. g. Arianorum, ut ostendit epistola Siricii ad Himerium Tarraconensem Episcopum supra citata. Imo in ipsa Africa ante Augustinum praecipuus Donatistarum insectator s. Optatus eadem, qua Basilius aetate, videtur idem sensisse. Distinguit enim et ipse inter *schismaticos* et *haereticos* prave de Deo sentientes. Baptisma valere etiam extra Ecclesiam collatum, probat multis, et iisdem fere argumentis, quibus postea usus est Augustinus, et rationes Donatistarum contrarias refellit toto libro V. de Schism. Donatist.; attamen idem Optatus l. I. n. 10-12. (Gallandi T. V. p. 464.) videtur concedere, sacramenta apud haereticos circa Trinitatem vel Christum errantes, cuius nomine sacramenta celebrantur, non posse haberi valida. Obiicienti enim Parmeniano fieri non posse, ut falso baptismate inquinatus abluat, immundus emundet etc., ita respondet. « Bene haec omnia potuerunt ad solos *haereticos* pertinere, qui falsarunt symbolum, dum alter dixit duos Deos, alter Patrem vult in persona Filii cognosci, alter carnem subducens Filio Dei, per quam Deo reconciliatus est mundus, et ceteri huiusmodi, qui a sacramentis catholicis alieni esse noscuntur... Vides ergo, frater Parmeniane, *haereticos* a domo veritatis satis extorres, solos habere varia et falsa baptismata... Vobis vero *schismaticis*, quamvis in catholica non sitis, haec negari non possunt, quia nobiscum vera et communia sacramenta traxistis. » (Vide adnotationes Balleriniorum ad Hist. Donatist. c. 10. Card. Noris Opp. T. IV. p. 169.) Non ergo valde mirum esse debet, si illa aetate etiam Basilius in oriente eandem adhuc fovebat opinionem.

THESIS XVI.

De intentione saltem generali faciendi quod Ecclesia facit, necessaria in ministris ad conficienda sacramenta.

« Distingui debet *significatio theoretica*, quae inesse potest signo » etiam materialiter spectato, et *virtus practica* sanctificans, quam ritus » non habet, nisi quatenus sacramentalis est atque adeo nomine et au- » ctoritate Christi administratus. Sicut ergo ex ratione meri signi ad » excitationem fidei, quam Protestantes sacramentis tribuunt, conse- » quitur, illum qualemcumque sacramentorum valorem non ab intentione » ministrantium sed solum ab usu pendere suscipientium; ita sacra- » menta, cuiusmodi Christus instituit, sine ministri intentione saltem » *generali* faciendi quod facit Ecclesia, confici non possunt. »

I. Sacramenta omnia conficiuntur actione aliqua, in qua distinguuntur res et verba. Ea vero actio a Christo instituta est ut signum efficax gratiae non simpliciter et absolute, quoties talis res cum tali sono verborum coniungitur; sed quatenus actio editur a Christi ministris Christi auctoritate fungentibus, quae omnia ex superioribus satis constant. Requiritur ergo ad confectionem signi sacramentalis non solum, ut res et verba sint ea quae Christus determinavit, sed etiam ut actio fiat *ministerialiter*. Ad hoc autem requiruntur duo, ut scilicet *a*) actio fiat ab eo, qui habet *potestatem ministerii* pro Christo; ut *b*) hac potestate ministerii in ipsa edenda actione *reapse fungatur*. Neque enim necesse est, ut praeditus potestate ministerii semper agat

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tamquam minister pro Christo, quoties illas res et illa verba coniungit. Si res et verba spectentur *per se* abstractione facta a functione *ministeriali* (h. e. nullo habito respectu, utrum ponantur a ministro *potestatem habente*, et a ministro formaliter *fugente ministerio*), signum dicitur spectari *materialiter*. Si autem spectentur actiones sacramentales sub ratione *ministerii pro Christo*, sub qua eas instituit ut signa efficacia gratiae, hoc modo dicitur signum sacramentale spectari *formaliter*.

Si sacramenta sunt tantummodo signa aliqua divinitus instituta ad proponendas *per modum praedicationis* promissiones divinae misericordiae, quibus se nobis propter Christum propitium fore et peccata non imputare polliceatur, ut per fidem apprehendamus misericordiam divinam et iustitiam Christi, quemadmodum Reformatores commentos esse vidimus supra th. IX; hac in hypothesi maneret tota illa significatio et illa qualiscumque efficacia in signis etiam *materialiter* spectatis et independenter a ministerio. Verba enim et signa promissionum Dei veritatem et firmitatem habent unice a veracitate et fidelitate divina, significatio autem *mere theoretica et doctrinalis* inest verbis ipsis ac rebus, nec ullo modo pendet a ministerio. Potest quidem esse discrimen (sicut ex doctrina catholica revera est maximum) inter eos, qui ex missione divina proponunt verbum ac promissiones Dei, et alios qui hoc munus divinitus commissum non habent; nihilominus tamen res et verba a quocumque et quomodocumque proponantnr fidelibus, exprimunt veritatem a Deo revelatam Deique promissiones, quibus fides subiectiva respondet. Posita ergo illa ratione et significatione *solum theoretica* sacramentorum, quam Protestantes statuerunt, consequens erat, ut indiscriminatim quosvis homines omnium sacramentorum idoneos ministros esse dicerent; simulque docerent, sacramentorum valorem *ab intentione ministri* imo etiam ab administratione seria vel ludrica non pendere. Valor enim obiectivus sacramentorum in hac sententia nihil est aliud quam *doctrinalis significatio signi*, quae semper manet eadem, efficacia autem ad iustificationem (si efficacia dici potest) pendet unice *a fide suscipientis*. « Non dubitem, aiebat Lutherus, si quis in nomine Domini suscipiat, etiamsi impius minister non det in nomine Domini, vere baptizatum esse in nomine Domini. Non enim in conferentis tantum, quantum in suscipientis fide vel usu sita est virtus baptismi, sicut legitur exemplum de quodam mimo per iocum baptizato » de capt. Babil. c. de Bapt. « Si per impossibile confessus non esset contritus, aut sacerdos non serio sed ioco absolveret, si tamen credat se absolutum, verissime est absolutus » artic. 12. Lutheri inter damnatos a Leone X. (Bellarminus l. I. c. 27.). Sane sicut in negatione efficaciae sacramentorum *ex opere operato* continebatur haeresis altera, quod verba et signa sacramentalia non sint consecratoria sed solum *concionalia* (th. IX.); ita pariter ex hac doctrina de verbis concionalibus et significatione mere theoretica sacramentorum consequebatur haec ulterior haeresis, qua valor sacramentorum asseritur *independens ab intentione ministri*.

II. Contra vero in doctrina revelata de natura sacramentorum et potestatis ministerialis, ut eam doctrinam in apostolica traditione contentam et per magisterium Ecclesiae sub directione Spiritus Sancti explicatam esse in superioribus vidimus, iam etiam implicite includitur *necessitas intentionis* in ministro; unde et per idem authenticum magisterium deducta est et (data opportunitate) explicite proposita, simulque qualis ea intentio esse debeat, quantum opus erat, declaratum.

Sacramenta sunt signa *practica*, h. e. referuntur non solum ad significandum sed etiam ad efficiendum id, quod significant. Porro perficiuntur omnia sacramenta per aliquam actionem humanam. Haec humana actio est sacramentalis et efficax solum, quatenus a ministro peragitur tamquam a legato Christi et Dei, auctoritate ac nomine ipsius Christi et Dei; ita enim sacramenta instituta sunt, ut ex hoc ipso, quod per ministerialem potestatem auctoritate ac nomine Christi et Dei administrantur, tamquam morali aestimatione actiones Christi summi sacerdotis et practica verba Dei sanctificatoris habeant suam dignitatem et instrumentalem virtutem ad effectum (th. X.). Hinc denique sunt ministri

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

sacramentorum, qui veram habeant potestatem ministerialem ad remittenda peccata et conferendam gratiam, ad efficiendam transubstantiationem per ipsas sacramentales actiones, quatenus *utuntur sua potestate ministeriali*, et *agunt tamquam ministri* h. e. non suo nomine sed nomine auctoris principalis (th. XV.). Ex enuntiatis principiis haec consequuntur.

1°. Spectata *natura sacramentorum* secundum praesentem institutionem, potest esse tota illa actio sensibilis *materialiter* eadem, quin sit sacramentalis. Quamvis enim illa actio sit instituta in sacramentum si peragatur *ministerialiter;* inde tamen non fit, ut non possit peragi alio modo; si scilicet minister non velit agere tamquam minister, sed vel agat non actu humano h. e. *non voluntate deliberata libera,* vel nolit esse *minister actus ex sua vel aliorum sententia religiosi,* sed velit ponere actionem mere *materialiter* ad iocum vel ad illusionem et ad simulationem sacramenti etc. Tum vero non erit moraliter actio Christi nec sacramentum; neque enim illa res et verba sunt instituta in sacramentum *absolute,* quoties ponuntur quomodocumque, sed solum quatenus ponuntur *ministerialiter*. Ergo sine dubio requiritur, ut minister velit agere tamquam minister. Haec autem voluntas est et dicitur *intentio*. Ergo ipsa sacramentorum natura talis est, ut sine aliqua *intentione ministerii* in ministro sacramenta confici non possint. « Ea quae in sacramentis aguntur, possunt diversimode agi; sicut ablutio aquae quae fit in baptismo, potest ordinari et ad munditiam corporalem et ad sanitatem corporalem et ad ludum et ad multa alia huiusmodi, et ideo oportet quod *determinetur ad unum,* id est ad sacramentalem effectum *per intentionem abluentis,* et haec intentio exprimitur per verba quae in sacramentis dicuntur, puta cum dicit: ego te baptizo (debet ergo saltem in confuso haberi intentio, quam exprimunt verba)... Requiritur ministri *intentio, qua se subiiciat principali agenti,* ut scilicet intendat facere quod facit Christus et Ecclesia » s. Thom. 3. q. 64. a. 8. O et ad 1. cf. 4. dist. 7. q. 1. a. 2. sol. 1. Eadem est demonstratio apud s. Bonaventuram. « Ad hoc quod sit sacramentum,

necesse est, quod forma et elementum *ad unum ordinentur*. Hoc autem non est ex se, cum forma et elementum indifferentia sint ad multa. Ideo supervenit institutio Christi, qui formam et elementum ordinavit ad aliquem effectum determinatum. Sed tamen institutio etsi verba ordinavit ad unum, *non tamen arctavit,* quia ad alios usus possunt sumi et sumuntur; et ideo ad hoc *quod ordinentur*, necessarium est *intervenire intentionem ministri,* qua intendit illo actu et verbo talem effectum dare, vel saltem quod facit Ecclesia facere, vel saltem quod Christus instituit, dispensare » s. Bonav. 4. dist. 6. q. 1. a. 2. quaest. 1. Vide de Lugo disp. VIII. sect. 2. n. 28. 35.

2°. Eadem necessitas intentionis consequitur *ex natura potestatis ministerialis*, ut a Christo instituta est; quod quidem argumentum a praecedenti differt non re sed solum forma et modo considerandi. Absolute loquendo potuit Christus sacramenta instituere uno vel altero ex his duobus modis, vel ita ut res ipsae essent impositae et determinatae ad *esse* sacramentale, *quocumque modo fierent;* vel ita, ut Christus constitueret in hominibus *veram potestatem ministerialem* efficiendi sacramentales actiones et per has remittendi peccata et sanctificandi suscipientes sacramenta. Potuit itaque absolute loquendo in sacramentum institui signum ipsum *materialiter* spectatum, scilicet res illa sensibilis per se considerata, abstrahendo a modo quo ponatur. Tum sane non aliud esset munus ministeriale hominibus communicatum quam mere *materialiter ponendi illa signa;* et quoties ponerentur, toties existeret sacramentum, nec ulla esset necessaria intentio; vel si signum deberet tamen esse actus humanus (deliberatus), certe non alia voluntas requireretur, quam voluntas ponendi quocumque modo illam actionem sensibilem. Sic ex parte porrigentis sacramentum permanens ss. Eucharistiae nullus alius actus est necessarius quam materialis porrectio; quae si fiat, nullo defectu intentionis vel intentione contraria potest impediri, quominus sacramentum percipiatur, quia porrigens nullam habet potestatem ad hoc *esse* sacramentale obiectivum, ut sit vel non sit.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

At certo constat, sacramenta nostra non hoc sed altero modo paulo ante commemorato esse instituta. Instituit Christus Apostolos et eorum successores suos legatos tradens eis *potestatem ministerii* et mandatum, ut ipsi *hac potestate utentes* nomine et auctoritate Christi per determinatas actiones abluant peccata; remittant peccata; faciant in eius commemorationem, quod ipse fecit in ultima coena convertendo panem et vinum in corpus et sanguinem suum in statu cibi et potus et in statu victimae; orent super infirmum ungentes eum oleo in nomine Domini ad salvationem, alleviationem, et remissionem peccatorum. « Data est mihi omnis potestas... euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos » etc. Matth. XXVIII. 18. 19. (cf. « baptizare et ablue (1) peccata tua; aspersi corda a conscientia mala, et abluti corpus aqua munda; baptisma non carnis depositio sordium, sed conscientiae bonae interrogatio in Deum » Act. XXII. 16; Heb. X. 22; 1. Pet. III. 21.). « Sicut misit me Pater, et ego mitto vos... accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt » Io XX. 21–23. « Hoc facite in meam commemorationem » Luc. XXII. 19; 1. Cor. XI. 24. 25. « Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiae, et orent super eum ungentes eum oleo in nomine Domini: et oratio fidei salvabit infirmum » Iac. V. 14. 15.

Iam vero ex demonstrata institutione *verae potestatis* in ministris ad *ministerialiter* absolvendum et sanctificandum suscipientes sacramentum consequitur necessitas intentionis *utendi hac potestate* in positione actuum, qui sacramentales non sunt, nisi quatenus procedunt a potestate divinitus communicata. Consequentia est fere per se evidens. Profecto enim si quis habet potestatem perpetuam et velut habitualem tamquam legatus Dei edendi actus aliquos, qui ex sese sunt mere naturales et possunt fieri per facultates mere naturales hominis, sed solum quatenus eduntur per talem potestatem a legato Dei sunt supernaturalis ordinis et efficaces supernaturalium effectuum, ad

(1) βαπτισαι και ἀπολουσαι baptizare et abluere, fac ut baptizaris et abluantur peccata tua.

quos nullam ex se habent proportionem naturalem; tali inquam gaudens potestate, potest nolle uti hac potestate et illos actus materialiter eosdem edere suo tantum nomine et, si ita dicere lubet, proprio marte; tum vero erunt actus naturales, non institutionis divinae, nec efficaces effectuum supernaturalium. Potest vicissim velle uti potestate sibi communicata et eos actus velle ponere tamquam Dei minister; et tum erunt actus supernaturales, institutionis divinae, efficaces effectuum supernaturalium. Utroque modo posse fieri illos actus est manifestum, quia ex una parte homo ille habet facultatem naturalem ad eos actus *materialiter* ponendos, et quia ex altera parte potestate ministeriali sibi velut inhaerente et habituali potest suo iudicio et pro suo arbitrio uti. Ita si cui Deus daret potestatem habitualem pro hominis iudicio et arbitrio adhibendam, ut verbis e. g. olim a Christo adhibitis: « tibi dico surge », posset mortuos excitare; is profecto posset illa verba *materialiter* eadem dicere facultate sua mere naturali et nolens uti potestate miraculorum sibi communicata. Ut ergo essent verba supernaturalis ordinis et efficaciae miraculosae, requireretur voluntas *utendi potestate ministeriali* ad patranda miracula. Ergo eodem modo in potestate ministeriali ad absolvendos et sanctificandos homines per sacramenta, quae ministris communicata est velut habitualis et ipsorum arbitrio usurpanda, requiritur voluntas seu intentio aliqua utendi hac potestate, nec sufficit sola voluntas et effectio *actionis mere materialiter spectatae*, ut haec sit sacramentalis.

Eodem fere modo res etiam se habet in exercitio potestatis civilis. Sic qui habet potestatem non solum annuntiandi legem vel iudicialem sententiam principis, sed vere potestatem delegatam ferendi legem et iudicialiter dicendi sententiam, solum materialiter pronuntiando legem aut sententiam sive ad illusionem sive ad simulationem, dum interim in animo statuit, ut lex vel sententia non sit; revera non fert legem aut sententiam in se et obiective *validam vi illius materialis pronuntiationis*. Nam aliud est, quod talis lex vel sententia potest aliunde forte valorem acquirere; huiusmodi enim actibus forensibus, qui pertinent

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

solum ad ordinem publicum externum, potest valorem addere bonum commune postulans, ut supposita forma legitima externa vim habeant. Hoc autem longe diversum est in actibus sacramentalibus efficacibus ex virtute divina, qui non aliunde possunt valorem trahere quam ex potestate divinitus delegata; hac igitur si minister uti nolit, actus erit et manebit mere naturalis et non sacramentalis. Ex hac ratione ipsum Concilium Tridentinum deduxit necessitatem intentionis in ministro ad valorem sacramenti. « Absolutio sacerdotis... non est solum nudum ministerium vel annuntiandi evangelium vel declarandi remissa esse peccata, sed *ad instar actus iudicialis, quo ab ipso velut a iudice sententia pronuntiatur; atque ideo* non debet poenitens adeo sibi de sua ipsius fide blandiri, ut etiamsi nulla illi adsit contritio, *aut sacerdoti animus serio agendi* et *vere absolvendi desit*, putet tamen se propter suam solam fidem vere et coram Deo esse absolutum » sess. XIV. cap. 6. Vide omnino Suarez disp. XIII. sect. 2. (§. « Fundamentum huius sententiae »).

3°. Hanc voluntatis *ministerialis* seu intentionis necessitatem ad valorem sacramenti implicitam in ipsa natura sacramentorum et ministerialis potestatis, ut a Christo instituta sunt, authenticum magisterium explicuit et diserte declaravit. In Constitutione Martini V. edita in Concilio Constantiensi art. 22. (interrogat. pro suspectis de haeresi); in Const. Eugenii IV. pro Arm. in Conc. Florent.; in Concilio Trid. sess. VII. P. I. can. 11; P. II. can. 4; in censura proposit. 28. inter damnatas ab Alexandro VIII. 7. Dec. 1690. praeter materiam et formam tamquam *tertium aliquid ab adhibitione materiae et formae distinctum* postulatur ad confectionem sacramenti « *intentio ministri saltem faciendi, quod facit Ecclesia* ». Haec in professione fidei ab Innocentio III. Waldensibus praescripta dicitur « fidelis intentio »: « ad officium (consecrandi Eucharistiam) *tria sunt, ut credimus, necessaria;* scilicet certa *persona* id est presbyter ab Episcopo, ut praediximus, ad illud proprie officium constitutus, et illa *solemnia verba*, quae a sanctis Patribus

in canone sunt exspressa, et *fidelis intentio proferentis* » (Bullar. T. III. P. I. p. 142.).

Diu ante disertas definitiones Conciliorum adversus Novatores eadem traditae doctrinae explicatio erat in communi consensione scholarum; inde enim a XII. saeculo ipsi duces scholarum, quos ceteri sequuntur, consentiebant, ad valorem sacramentorum praeter materiam et formam necessariam esse « *intentionem celebrandi sacramentum* » (Hugo Victorinus Sent. tract. V. c. 9; Lombardus 4. dist. 6.) et formula fere omnibus scholasticis communi: « *intentionem faciendi quod facit Ecclesia* » (Altisiodorensis l. IV. q. 7; Albertus M. 4. d. 6. a. 11; s. Thomas 3. q. 64. a. 8. ad 1; s. Bonaventura 4. d. 6. q. 1. a. 2. quaest. 2; Petrus de Tarantasia seu Innocentius V. 4. d. 6. q. 1. a. 2; auctor Compendii theolog. veritatis l. 6. c. 9; Richardus de Mediavilla 4. d. 6; Scotus 4. d. 6. q. 5.). Ex schola transiit haec formula exprimendi intentionem necessariam ad sacramentorum administrationem in documenta authentica et definitiones Ecclesiae paulo ante commemoratas. Unde non potest dubitari, quin eodem sensu a Conciliis et Pontificibus sit adhibita, quem communi consensu in scholis habebat. Si ergo possimus demonstrare, quo sensu in scholis intellecta fuerit intentio *faciendi quod facit Ecclesia*, hoc ipso etiam demonstrabitur, *qualis sit intentio* velut necessaria ad valorem sacramenti requisita in documentis Conciliorum et Pontificum. Inquiramus ergo sensum genuinum illius formulae penes scholae magistros, ex quo evidens erit necessitas *intentionis distinctae a voluntate solum materialiter ponendi actum externum materiae ac formae*.

4°. Iam vero certum videtur, vetustos illos scholasticos per intentionem *faciendi quod facit Ecclesia*, non intellexisse voluntatem mere materialiter ponendi actionem, quae voluntas inseparabilis est a libera positione actionis, et potest esse coniuncta cum formali et explicita voluntate eam non ponendi *per modum ministerii*, nec tamquam ritum sua aut aliorum opinione religiosum, ut aliqui paucissimi inde a saeculo XVI, plures post Hyacinthum Serry et eius nepotem fidelemque discipulum Renatum Drouin interpretari voluerunt.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Scholastici enim constanter distinguunt intentionem duplicem, unam directam ad obiectum aliquod speciale e. g. ad effectum sanctificationis, quam dicunt « *intentionem specialem* », et concedunt non esse necessariam; huic opponunt « *intentionem generalem* vel *intentionem in confuso* faciendi quod facit Ecclesia », quam saltem (si scilicet melior specialis desit) aiunt esse necessariam (1). Atqui talis intentio *generatim vel in confuso* faciendi quod facit Ecclesia, opposita *intentioni speciali* evidenter est *formalis intentio* faciendi per modum ministerii, *quod facit Ecclesia, quidquid illud sit*, et *absque speciali determinatione*. Hac intentione, ut explicat s. Thomas, « minister se subiicit principali agenti ». Nullatenus vero potest intelligi in huiusmodi contextibus voluntas *faciendi solum materialiter actionem externam;* talis enim voluntas non est intentio *generalis et in confuso* opposita *intentioni speciali;* sed habet *obiectum maxime speciale* actum scilicet materialem singularem et determinatum. Quando ergo doctrina haec de necessitate *intentionis faciendi quod facit Ecclesia,* in authenticis declarationibus approbata est, profecto eodem sensu *intentionis formalis generatim et in confuso faciendi quod Ecclesia facit*, intellecta est, non autem in sensu voluntatis mere

(1) « Si aliquis uteretur forma debita verborum et haberet intentionem *faciendi quod facit Ecclesia, ut sumatur verbum confuse* ; i. e. si intendit facere quod consuevit Ecclesia, baptismus esset » Altisiodorensis l. c. Exprimitur *generalis intentio* in verbo baptizandi, et illa expressio sufficit ad intentionem Ecclesiae, scilicet *ad faciendum quod facit Ecclesia, licet non credat hoc aliquid valere* » Albertus M. l. c. « *Sufficit intentio generalis faciendi quod facit Ecclesia*, verbis expressa, nec requiritur *specialis* » Petrus de Tarantasia l. c. « Necessarium est intervenire intentionem ministri, qua intendit illo actu et verbo *talem effectum dare* (specialis intentio), *vel saltem quod facit Ecclesia facere* (generalis), vel saltem quod Christus instituit dispensare » s. Bonaventura l. c. « Intentio vel *specialis vel generalis : specialis autem intentio* est, ut iste baptizandus mundetur, *generalis autem est facere illud, quod facit Ecclesia* » Compendium theol. verit. « Intentio finis ultimi (gratiae) nullo modo requiritur... requiritur tamen intentio respectu finis proximi (ut baptizatus fiat christianus), et *hoc vel in particulari vel in generali;* in particulari, ut si intendat istum intrare legem christianorum servandam; *in generali, si intendit facere circa istum, quod christiani solent facere circa suos* » Scotus l. c.

materialiter ponendi actionem. Id quod etiam clarum est ex documentis ipsis authenticis, ubi *observatio totius ritus et formae Ecclesiae*, atque *intentio faciendi quod facit Ecclesia,* semper distinguuntur tamquam *duo requisita* ad valorem sacramenti *invicem separabilia,* cum tamen observatio totius ritus et formae Ecclesiae ab intentione materialiter ponendi illum ritum separari nequeat, nisi forte ab amentibus et dormientibus, de quorum actibus et actuum valore Ecclesia non potuit esse sollicita. Sed de hac re paulo post.

Porro ex hac ipsa declaratione, sufficere *intentionem generalem et in confuso* faciendi quod facit Ecclesia, etiam apparet, quomodo intentio illa sit vere *ministerialis* et minister agat nomine Christi. Voluntas seu intentio formaliter sese exhibendi ministrum pro Christo non requiritur *explicita;* continetur tamen *implicita* in voluntate sese exhibendi *ministrum Ecclesiae.* Haec ipsa voluntas non necessario requiritur *specialis*, puta ut quis velit agere ministrum Ecclesiae Dei verae, ut velit conferre ritum efficacem alicuius sanctitatis vel boni spiritualis, vel saltem ritum formaliter et *ex sua etiam fide* sacrum. Talem *specialem intentionem* non esse necessariam ad valorem sacramentorum, patet non solum ex eo, quod intentio postulatur tantummodo *generalis et in confuso,* sed multo adhuc evidentius ex eo, quod Ecclesia ipsa, dum docet necessitatem intentionis, simul declarat, sufficientem intentionem haberi posse etiam ab homine infideli, qui ergo nec Ecclesiam nec sacramentum nec effectum aliquem sacramenti credit. « Etiam paganus et haereticus baptizare potest, dummodo formam (in significatione totius ritus divinitus instituti, ut forma sacramenti dicitur a sanctis Patribus) servet Ecclesiae, et *facere intendat quod facit Ecclesia* » Eugenius IV. Instruct. pro Armen. Sufficit igitur *in confuso et generatim concepta voluntas faciendi, quod Ecclesia sive christiani huiusmodi ritu facere consueverunt.*

Unde intelliges nullius esse frugis argumentum, quo nonnulli cum Drouinio ex valore baptismi ab infidelibus et haereticis collati probare contendunt, non aliam posse requiri intentionem, quam actus externi mere materialiter

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

spectati. Licet enim e. g. baptizans nec Christum nec sanctitatem aut efficaciam sacramenti nec veritatem Ecclesiae et religionis christianae credat, dummodo sciat eum ritum credi et usurpari *a christianis ut sacrum*, potest habere, et si a christiano rogatus baptizet, ordinarie habebit intentionem faciendi ritum *non sua* quidem sed *ex christianorum opinione sacrum;* qua intentione supposita (sive actuali sive virtuali, sive reflexa sive exercita) iam non suo nomine agit, sed se exhibet *ministrum Ecclesiae*, ac proinde *implicite ministrum Christi* principalis agentis. Ordinarie inquam talem intentionem habebit, adeo ut Nicolaus I. in responsione ad Bulgaros c. 104, nisi baptizans Iudaeus infidelis externe contrarium manifestaverit, eam potuerit supponere; et generatim, ubi dubium incideret de valore sacramentorum, non de occulta intentione sed de servata manifesta materia et forma quaeri soleret.

Scholion 1. Facile constat ex generalibus principiis de actibus humanis, sufficere *intentionem virtualem*, h. e. intentionem quae fuit actualis antecedenter ad ipsam exsecutionem operis ita, ut ex vi illius habitae intentionis operatio ipsa procedat, atque adeo intentio virtute adhuc permaneat per suum influxum in exsecutionem, licet in ipsa exsecutione mens actualiter cogitationibus forte plane aliis sit occupata. *Actualis intentio*, quando quis in exsecutione ipsa habet intentionem superius descriptam, melior quidem per se quam virtualis et procuranda, distinguitur in *intentionem exercitam* seu *directam* et in *intentionem reflexam*. Illa prior adest, quoties aliquis cognoscens ritum ut sacramentum vel saltem ut ritum a christianis habitum pro religioso et sacro, eum sub hac cognitione et cum attentione administret, *et non habeat virtualiter vel actualiter intentionem contrariam*, nolendo scilicet hic et nunc facere quod facit Ecclesia, seu quod christiani huiusmodi ritu facere consueverunt. Intentio *reflexa* est expressa et formalis elicita volitio administrandi ritum ut sacramentalem, quae ut patet eo minus est necessaria, quod ex dictis ne *exercita* quidem *actualis* requiritur. De utraque Bellarminus ita habet l. I. c. 27. « *Actualis intentio* dicitur, quando minister actu

habet talem intentionem (saltem faciendi quod facit Ecclesia, iuxta superius declarata), quae quidem actualis intentio non requirit, ut quidam scrupulosi faciunt, ut *dicamus ore aut corde illa formalia verba: intendo hoc facere, aut volo hoc facere;* sed tantum requirit, ut *homo sit praesens animo et attente faciat, quod facit;* ista enim dicitur *intentio in actu exercito* et, ut diximus, non necessario requiritur, » cum sufficiat *intentio virtualis*.

Distinguunt post Scotum adhuc intentionem *habitualem*, et huic addunt *interpretativam*. *Habitualem* dicunt promptitudinem et facilitatem acquisitam (et idem foret, si esset ex habitu infuso) ad actus aliquos edendos. Ita si quis ex tali inclinatione absque ulla deliberatione et attentione materialiter poneret ritum externum, eum dicerent agere ex *intentione habituali*, cuiusmodi, ut patet, posset habere etiam somnambulus. *Intentionem interpretativam* deinde multi appellant eam, quam homo reipsa nec habuit nec habet; haberet tamen, si aliquid aliud poneretur, e. g. si adverteret vel sciret aliquid, quod reipsa ignorat (cf. s. Alphons. de Sacr. in genere n. 15.). Alii dicunt, cum quis vult causam, ex qua sequitur effectus non tamen positus *actione humana*, hanc esse *intentionem interpretativam* effectus; ut si quis vult ebrietatem, in qua materialiter administraturus est ritum sacramentalem, sive id praeviderit aut etiam voluerit ante ebrietatem, sive non voluerit nec praeviderit (Suarez disp. XIII. sect. 3. et alii). Non indiget probatione, utramque hanc sic dictam *intentionem* habitualem aut interpretativam (utrovis sensu), cum revera intentio non sit, non sufficere ad valorem sacramenti. Sedulo tamen advertatur, apud scholasticos antiquiores, ut apud s. Thomam 3. q. 64. a. 8. ad 3, duplex solum esse membrum distinctionis, in intentionem scilicet *actualem* et *habitualem*, quo nomine intelligunt eam, quae postea dicta est *virtualis;* unde non sibi contradicunt Doctores, cum pro duplici diversa significatione nominis alii affirmant et alii negant *habitualem* intentionem sufficere. De his lege s. Alphons. de Sacr. in gen. c. 2.

Scholion 2. Quaestiones aliquot de administratione baptismi a s. Augustino in ultima parte librorum de Baptismo

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

propositas l. VII. c. 53. absurde opponuntur, quasi iis sententia Protestantium iuvaretur. Quoniam vero etiam Serry et Drouinius huic capiti Augustini maxime fidunt ad suam probandam sententiam de sufficientia intentionis mere materialiter externum actum ponendi, de qua inferius dicemus, simul hoc loco Protestantibus et illis auctoribus catholicis respondebimus.

Quaestiones Augustini plures sunt. *a*) Utrum valide conferri possit baptisma ab eo, qui ipse non accepit? *b*) Utrum valeat, si ille cui datur, « accipiat cum *simulatione* »; et hoc iterum num perinde sit, utrum accipiat « *fallens*, sicut in Ecclesia, vel in ea quae putatur Ecclesia; an *iocans*, sicut in mimo »? *c*) « Arbitremur aliquem etiam *fallaciter* dantem, *cum et tradens et accipiens fallaciter agant in ipsa unitate catholica*, utrum hoc magis baptisma sit acceptandum, an *illud quod in mimo datur, si quis existat, qui fideliter subito commotus accipiat?*... Si enim nihil interest ad integritatem sacramenti in ipsa catholica, utrum id aliqui *fallaciter* an veraciter agant, cum tamen hoc idem utrique agant; cur extra intersit non video, quando ille qui accipit, non simulatione palliatus sed religione mutatus est. An plus valent ad confirmandum sacramentum illi veraces, inter quos agitur, quam ad frustrandum illi *fallaces*, a quibus agitur et in quibus agitur? Et tamen si postea prodatur, nemo repetit; sed aut excommunicatione punitur illa *simulatio* aut poenitentia sanatur. »

In responsione s. Doctor in primis statuit catholicum principium. « Nobis tutum est, in ea (in eas quaestiones) non progredi aliqua temeritate sententiae, quae nullo in catholico regionali Concilio coepta, nullo plenario terminata sunt; *id autem fiducia securae vocis asserere, quod in gubernatione Domini Dei nostri et Salvatoris Iesu Christi universalis Ecclesiae consensione roboratum est* ». Tum ad quaestiones ipsas respondet. *a*) Si in Concilio ubi talium rerum quaestio versaretur, constitutus esset, auditurum se libenter, quid alii Episcopi sentirent; interim si eo modo affectus esset, quo erat cum ista dictaret, se responsurum, « habere eos baptismum, qui ubicumque et a quibuscumque illud verbis evangelicis consecratum sine sua simulatione et cum aliqua fide accepissent, quamquam eis ad salutem spiritualem non prodesset, si charitate caruissent, qua catholicae insererentur Ecclesiae; si enim habeam, inquit (Apostolus), fidem, ut montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum ». *b*) « Iam *praeteritis maiorum statutis* » Augustinus non dubitat, « etiam illos habere baptismum, qui quamvis *fallaciter* id accipiant, in Ecclesia tamen accipiunt, vel ubi putatur esse Ecclesia ab eis, in quorum societate id accipitur. » *c*) Ubi totum *ludicre et mimice et ioculariter* ageretur, non audet quidquam vel tamquam probabile proponere de valore huiusmodi baptismi, sed putat « divinum iudicium per alicuius revelationis oraculum concordi oratione et impensis supplici devotione gemitibus in Concilio implorandum fore ». Tum concludit: « quanto magis ergo nunc *sine praeiudicio diligentioris inquisitionis* vel *maioris auctoritatis* illud dixisse accipiendus sum »!

Iam hac oratione, si spectetur principium Augustini, *doctrina Protestantium* tota convellitur; et eadem nihil iuvatur, si spectemus eius opinionem de intentione, seu potius eius *dubitationes* in quaestione nondum eo tempore ad liquidum deducta. Statuit Augustinus ut principium indubitatum, id esse credendum et tota fiducia securae vocis asserendum de necessaria vel non necessaria intentione, quod « universalis Ecclesiae consensione roboratum est; » idque solemni definitione, si quae exstet, certo innotescere. Atqui universalis Ecclesiae consensus est ex multis iam saeculis solemni etiam definitione manifestatus et roboratus, necessariam esse *saltem intentionem faciendi quod facit Ecclesia*. Ergo id tota fiducia securae vocis est asserendum. Porro nullatenus docet Augustinus, baptismum per iocum collatum esse validum, multoque minus docet, eius efficaciam a sola fide pendere suscipientis; sed fatetur, sibi de talis baptismi valore nondum constare, quia de hac re Ecclesiae professio nondum erat clare proposita, et ideo eliquationem quaestionis esse expectandam ab ipsa definitione Ecclesiae. Efficaciam autem sane tribuit ipsi sacramento

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

non fidei suscipientis; imo solam fidem, etiam quae montes transferat, sine charitate qua suscipiens *inseratur Ecclesiae catholicae*, expresse docet neque esse conditionem sufficientem, ut baptisma prosit ad salutem spiritualem.

Ad *catholicos auctores* quod pertinet, ex hoc Augustini loco adstruentes suam opinionem de sufficientia intentionis mere *externae*, ut appellant; cum iis non potest esse controversia nisi circa sensum illarum locutionum Augustini, quibus non dubitando quaerit, sed asseverando affirmat. Illae autem non sunt nisi duae. Prima est, ubi ait, non solere repeti baptisma, si quis *fallaciter h. e. fallendo Ecclesiam* (ut ipsemet adverbium *fallaciter* explicat) (1) illud accipiat; imo id valere etiam pro hypothesi, quod tam tradens quam accipiens *fallaciter* agant. Altera affirmatio haec est: « iam *praeteritis maiorum statutis* non dubito, etiam illos habere baptismum, qui quamvis *fallaciter* id accipiant, in Ecclesia tamen accipiunt vel ubi putatur esse Ecclesia ab eis, in quorum societate id accipitur ».

Quid iam sibi vult *fallaciter* et *fallendo Ecclesiam* accipere baptismum? Sine dubio *fallaciter* agit, qui animum non christianum gerens, ductus tamen timore vel spe temporali simulat, se velle esse christianum, atque ita baptismo se subiicit (2); cuiusmodi casus ob favorem principum ac magistratuum illa aetate in Africa facile poterant accidere, et ex moribus subsequentibus ita baptizatorum haud difficulter detegi. Unde poterat Augustinus appellare ad *consuetudinem:* « nemo repetit, sed aut excommunicando punitur aut poenitendo sanatur. » Sicut talis fallaciter accipit, ita minister, si esset conscius et fraudi sacrilegae colludens, *fallaciter et Ecclesiam fallendo* daret. Ita debere intelligi *simulationem* et *fallaciam*, non modo suadet appellatio ad consuetudinem; sed multo efficacius etiam per-

(1) Synonyma sunt Augustino haec duo: « *fallens* in Ecclesia accipit », et « *fallaciter* in catholica accipit » hoc ipso loco c. 53.

(2) Superius dixerat: « *simulatio* et in catholica esse potest, in his utique qui *saeculo verbis solis et non factis renuntiant* » c. 39. cf. c. 3. Rursum synonyma sunt: « qui *fallaciter* saeculo renuntiantes » baptizantur, et « qui saeculo *verbis et non factis renuntiantes, non vera conversione mutati* » baptizantur. l. VI. c. 1. 2. cf. c. 39.

suadet certitudo, quam Augustinus praesefert ex « *iam praeteritis statutis maiorum* ». At haec statuta sunt notissima, nulla scilicet sunt alia quam edita in causa rebaptizantium et Donatistarum, in quibus nullum uspiam est vestigium declarationis quoad intentionem, qualis esse debeat (secus Augustinus non haesisset adeo dubius de baptismo, in quo *totum ludicre* ageretur); sed unice definitur, sacramenta nominatim baptismi et Ordinationis etiam ab haereticis et haereticis data esse valida, adeoque valorem non pendere *a fide sive dantis sive accipientis*. Unde recte infert Augustinus, esse sacramenta valida, quamvis suscipiens (et idem potest dici de conferente) non solum fidem catholicam non teneret, sed etiam ipsam veritatem sacramenti et totius religionis christianae negaret. Talis minister si velit dare, et talis baptizandus si velit accipere illum ritum, quem sciunt apud christianos haberi ut sacrum et ut initiationem in religionem christianam, sine dubio baptismus est validus, nisi expresse velint totum agere solum materialiter et excludere rationem *ritus christiani*. Atqui de hac ultima fallacia nihil omnino continetur in illis « *statutis praeteritis maiorum,* » ergo Augustinus non hanc sed illam priorem *fallaciam* intellexit, cum se ex statutis maiorum non dubitare significavit, quin baptismus *fallaciter datus* sit validus. Ergo quamvis Augustinus non diserte h. l. reiiciat velut insufficientem intentionem illam *externam*, ut vocant, i. e. voluntatem solum ponendi actionem externam cum expressa voluntate, ut non sit ritus christianus et sacramentalis, eam tamen neque dicit sufficientem, cum de illa sermonem non habeat. Cf. Noris Vindic. August. c. 4. §. 7. Opp. T. I. p. 1057. sq.

Drouinius (probatione 6ª) huic explicationi duo opponit, primo responsionem esse absurdam et gratis confictam, quia Augustinus non potest censeri in fine librorum de Bapt. *in quaestionem vocare* id, quod in toto opere principii instar propugnaverat, independentiam scilicet valoris sacramentorum a fide ministrantium et suscipientium; secundo etiamsi *de fallacia infidelitatis* intelligeretur Augustinus, a fortiori demonstraretur non exigi aliam intentionem, quam illam

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

mere *externam*, quia non credens veritatem sacramenti non potest ritum intendere ut sacrum. Respondemus: *a*) interpretatio non solum non est gratis conficta, sed necessario sequitur ex rationibus Augustini, ut satis ostensum est. *b*) Augustinus h.l. non *vocat in quaestionem*, quod statuerat in toto opere; sed ex principio de valore sacramentorum independente *a fide catholica* in ministris et in suscipientibus, quae independentia directe declarata est « *in praeteritis statutis maiorum* » et ab Augustino contra Donatistas in toto opere defensa, hic infert per legitimam consequentiam, iuxta hoc principium valere baptisma, etiamsi suscipiens omnino esset infidelis et ita *fallaciter* se baptismo subiiceret, et etiamsi conscius minister eodem modo *fallaciter* baptizaret. *c*) Quod Serry et Drouin perpetuo assumunt, ministrum qui veritatem sacramenti non credat, nec posse velle illud administrare *ut sacrum*, totum nititur ambiguitate vocis; distinguendum est igitur: non potest illud intendere ut sacrum a se creditum, *concedo;* non potest in confuso et intentione *generali*, ut veteres theologi loquuntur, velle illud facere quod faciunt christiani et habent ut sacrum ritum, *nego;* sive brevius: non potest illud intendere ut *sacrum ex fide sua* C. non potest intendere ut *sacrum ex fide aliorum* N.

Historiae s. Genesii martyris, qui mimus in theatro baptizatus esse fertur (ad eum appellat Lutherus cultor scilicet eximius traditionum etiam incertarum, quando ad eius sensum detorqueri posse videntur); Athanasii pueri baptizantis pueros catechumenos (apud Sozomen. H. E. l. II. c. 17.); pueri Iudaei ab aequalibus baptizati (apud Nicephor. H. E. l. III. c. 37.) tum parum firma nituntur auctoritate, tum si verae essent, nihil probarent. Vide recentiores, quos lubet, in solutione difficultatum. Adhuc minus huc pertinet nugacitas Dioscori archiatri, de qua narrat Augustinus ep. 227. ad Alyp.

THESIS XVII.

Refutatur sententia asserens, ad valorem sacramenti sufficere solemnitatem ritus externam, quantumvis intentio interna sit contraria.

« Sententia affirmans materiam et formam ipsa *externa* deliberata » actione externisque adiunctis ita determinari ad rationem sacramenti, » ut nulla intentione contraria quae in animo ministrantis lateat, va- » lor sacramenti impediri queat, multis nominibus improbari potest, et » certe minus tuta est, quam ut in ea conquiescendum foret, si quando » de huiusmodi intentione contraria in ministro satis constaret. »

Sententia quam impugnamus, ab Ambrosio Catharino nomen habet et celebritatem, quamvis Vasquez, Tournely et alii negent, hunc esse sensum Catharini. In eius partes concessit eadem aetate Salmeron (in epp. s. Pauli l. III. disp. 2.). Ante Catharinum Aureolus saec. XIV. ineunte (4. dist. 5. q. 1. a. 1.) et Sylvester Prieras ineunte saec. XVI. (in Summa Sylvestrina sub verb. *Baptisma* a. 3. q. 12.) decepti verbis quibusdam s. Thomae illam praetulerunt doctrinae communi, potissimum vero post Marium Scribonium acriter propugnarunt theologi quidam in Gallia et in Belgio saeculo XVII. exeunte et saeculo XVIII. Contensonus, Farvacques, Du-Hamel, Iuenin, prolixis declamationibus Serry in opusculo inscripto « Vindiciae Catharini, » quas auctas sub titulo « Vindiciae Vindiciarum Catharini » iterum recudit contra Lamberti Gaud Ord. Praed. Professoris Avenionensis impugnationes; Serrianas argumentationes omnes et etiam historiolas in suum usum convertit eius nepos Drouinius in Opere de Re Sacramentaria l. I. q. 6. c. 3. sect. 2.

Rationes quibus sententia improbabilis esse ostenditur, revocari possunt ad tres potissimum classes; petuntur quippe ex *natura ipsa sacramentorum et potestatis ministerialis;* ex *doctrina directa de intentione ministri;* ex *indole argumentorum, quibus adversarii suam opinionem tuentur.*

I. Prima ratio in thesi antecedenti plenissime declarata est, eadem enim deductione, qua ex natura sacramentorum et potestatis ministerialis, ut a Christo instituta sunt, demonstratur generatim necessitas intentionis, demonstratur

UNIVERSIDAD PONTIFICIA DE SALAMANCA
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

etiam insufficientia intentionis *externae* quam vocant, h. e. quae habeat pro obiecto *mere externum actum* materialiter spectatum *cum aequivalente vel expli ita voluntate* non ponendi actionem eius ordinis, qualem Christus instituit vel qualem Ecclesia aut christiani circa suos tamquam aliquid sacrum exercere solent.

1°. Generatim aliquam intentionem ministri vi institutionis divinae requiri, colligitur ex *natura sacramentorum*, quod non *materialis actio*, quomodocumque posita, in sacramentum est instituta, sed solum quatenus ponitur *ministerialiter* h. e. a ministro Christi agente nomine Christi. Ratio est, quia sacramentum iuxta praesentem saltem institutionem non est, nisi actio ponatur a ministro ita, ut moraliter sit actio ipsius Christi principalis agentis. Ergo actio non est sacramentalis, nisi minister *saltem implicite* velit agere nomine Christi et, ut loquitur s. Thomas, « intentione se subiiciat principali agenti ». At vero qui *suo tantum nomine* vult ponere *actionem mere materialiter*, et aequivalenter vel expresse non vult saltem *in confuso*, ut actio sit *eius ordinis*, in quo ordine tales actiones Ecclesia vel christiani facere consueverunt; is profecto neque *implicite* agit tamquam minister Christi et nomine Christi. Ergo illa intentio *externae tantum actionis* materialiter spectatae non sufficit, ut actio sit sacramentalis.

2°. Requiri generatim aliquam intentionem ministri, conficitur ex *natura potestatis ministerialis* ad remittenda peccata et ad sanctificandos homines per sacramenta. Atqui intentio, cuius necessitas consequitur ex potestate ministeriali a Christo delegata, non est solum *voluntas materialiter ponendi actionem externam;* sed imo talis voluntatis sufficientia ad valorem sacramenti evidenter excluditur. Intentio enim necessaria consequens ex ea divinitus communicata potestate est voluntas saltem *implicita* in ministro *agendi ex hac ministeriali potestate*, et proinde etiam voluntas non mere materialiter ponendi actionem. Quia videlicet ministris non solum commissum est munus denuntiandi remissionem et sanctificationem, sed vera ministerialis potestas nomine Dei et Christi per sacramentales

actiones remittendi peccata et conferendi gratiam, qua potestate pro suo iudicio et arbitrio utantur; ideo ab ipsorum voluntate pendet, utrum velint actiones illas ponere utendo potestate supernaturali sibi communicata, an velint eas ponere non quatenus sunt ministri et non ex ea supernaturali potestate sed suo nomine proprio, mere naturali sua facultate, et materialiter. Ergo ut illa actio sit sacramentalis profecta ex potestate supernaturali ministri, necessaria est *voluntas saltem implicita in ministro utendi hac sua potestate* et ponendi actionem *ministerialiter*, non autem erit actio sacramentalis, si minister velit quidem naturali sua facultate ponere actionem, sed mere materialiter, et *nolendo ut actio haec sua sit sacramentalis.*

3°. Hoc idem argumentum ductum ex natura divinitus instituta sacramentorum et potestatis ministerialis valet sub alia consideratione, qua post s. Thomam 3. q. 64. a. 8. et s. Bonaventuram 4. dist. 6. q. 1. a. 2. quaest. 1. communiter exhibetur a theologis. Actiones illae quae sunt institutae in sacramenta, non sunt *signa naturalia;* sed per se spectatae aptae quidem erant ad significationem sacramentalem, ut autem actu haberent hanc significationem et quidem practicam, necesse erat ut ad hanc significationem institutione divina assumerentur et determinarentur: « sacramenta *ex similitudine* repraesentant, *ex institutione* significant » (th. II. n. II; th. VI. n. I.). Supposita institutione divina fit quidem, ut illae res et verba *possint* a ministro adhiberi ita, ut sint signa efficacia gratiae, non tamen fit, ut non possint alio modo adhiberi et assumi ad significationem omnino diversam. Institutio enim divina, ut ait s. Bonaventura, ordinavit quidem res et verba ad talem significationem sacramentalem, non tamen *coarctavit* ad hanc unam, ut iam ad aliam adhiberi nequeant. Ergo ut illae res et verba hic et nunc, dum adhibentur, sint signum sacramentale, non sufficit in ministro voluntas ponendi materialiter eas res et ea verba, quantumvis ad speciem graviter et serio id praestet; sed necesse est, ut sua intentione ordinet illa ad rationem signi sacramentalis.

Aliis verbis hoc idem dici potest. Ratio signi sacra-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

mentalis *ex institutione divina* obiective quidem inest in rebus minus determinate et in verbis accedentibus, quae strictius determinant significationem. Hoc tamen non ita debet intelligi, ut illae res et verba iam sint *signa naturalia*, quae non amplius possint aliud significare et proinde independenter ab intentione ministri habeant significationem sacramentalem practicam, quoties quomodocumque ponantur; sed intelligi debet, quod res et verba habeant ex divina institutione, ut *possint* adhiberi ac administrari sacramentaliter, dummodo minister saltem *in confuso* velit ea ponere secundum significationem ex institutione eis annexam, atque adeo *suam intentionem saltem in confuso conformet significationi*, quae ex Christi institutione in *rebus* minus determinate inest et per *formam* verborum strictius determinata absolvitur. Necessaria est ergo haec saltem *generalis intentionis conformatio cum sacramentali significatione obiectiva rerum et verborum*, nec sufficit ad rationem sacramenti solum voluntas mere materialiter ponendi res et verba.

Hoc ipsum est, quod s. Thomas dicit, intentionem stricte necessariam satis exprimi per verba in iis sacramentis, « quae habent in forma actum exercitum ». Quando scilicet verba exprimunt actum sacrum ipsius ministri: ego te *baptizo*, *confirmo*, *absolvo*, non requiritur *alia omnino mentalis* et verbis non expressa intentio; sed sufficit intentio *dummodo revera adsit*, quae verbis exprimitur, et quae ita per verba velut sensibilis reddita non est *intentio pure mentalis*. Hunc esse sensum *intentionis mentalis*, quae iuxta s. Thomam non requiratur, manifesto inde patet, quod in solis illis sacramentis, in quibus *verba ipsa exprimunt intentionem*, non requirit *aliam intentionem mentalem;* in ceteris vero, ubi verba intentionem non exprimunt, ut e. g. in conficienda Eucharistia, indicat requiri *mentalem intentionem*. Porro ait, dum in illis prioris ordinis sacramentis minister per ipsa verba formae suam voluntatem et suum actum sacrum exprimit, satis *nos certos reddi* de sufficienti eius intentione, quantum scilicet in hoc negotio fieri potest. In illo ipso loco, ubi scopum habet Angelicus ostendere *necessitatem*

intentionis ministri, ut velit non solum « formam ad materiam applicare et suum ministerium ad utrumque », sed etiam « *totum hoc ad sacramenti collationem* », opponit sibi per modum obiectionis: si requiratur intentio, *nemini* praeter ipsum baptizantem *constare posse* de baptismo valide collato. Ad hanc difficultatem in sensum a nobis declaratum respondet s. Doctor verbis, quae ab adversariis ad suam opinionem comprobandam urgentur contra manifestum contextum totius articuli et praeter scopum responsionis ad propositam difficultatem. « Alii dicunt, inquit s. Doctor non sine approbatione, quod in baptismo et in aliis *sacramentis quae habent in forma actum exercitum*, non requiritur *mentalis intentio* sed sufficit *expressio intentionis* per verba ab Ecclesia instituta; et ideo si forma servatur nec aliquid exterius dicitur, quod intentionem contrariam exprimat, baptizatus est. Non enim sine causa in sacramentis necessitatis, scilicet baptismo et quibusdam aliis, actus baptizantis tam sollicite expressus est *ad intentionis expressionem* » (intentio autem, ut possit exprimi, supponitur adesse in anima) S. Th. 4. dist. 6. q. 1. a. 2. sol. 1. ad 2.

Ad argumenta proposita possent excipere, et reipsa excipiunt adversarii recentiores Serry, Drouin et alii, supponi a nobis determinationem actionis ad *esse sacramentale* debere fieri *per intentionem internam*, cum contra determinatio ea fiat per externam gravitatem, seriam applicationem formae ad materiam, sacrum apparatum, quod minister agat ex officio vel rogatus ad administrationem sacramenti, et per alia huiusmodi adiuncta externa.

Respondemus. *a*) Nullatenus a nobis *supponitur*, sed haec est ipsa res demonstranda et a nobis demonstrata ex natura sacramentorum et potestatis ministerialis, ut a Christo instituta sunt, non posse actionem visibilem esse sacramentalem, nisi minister saltem *implicite* et *in confuso* velit agere tamquam minister Christi, et velit uti sua potestate ministeriali; quia secus illa actio erit ordinis mere naturalis, nec erit profecta ex potestate supernaturali nec moraliter actio Christi tamquam principalis agentis. Dixi: saltem *implicite* debet velle agere *nomine Christi et pote-*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

state ministeriali. Nam si *explicite velit facere, quod Ecclesia vel christiani consueverunt facere huiusmodi ritu*, iam immediate vult agere tamquam *minister Ecclesiae;* in hoc autem continetur *implicitum*, quod agat *nomine Christi et tamquam minister Christi*, etiamsi forte nec Christum credat nec Ecclesiam. Dixi, debere id velle saltem *in confuso*. Dum videlicet vult ritum facere eius ordinis, *ut christiani consueverunt*, eo ipso non quidem *distincte* vult administrare ritum efficacem, vel ut conferatur gratia etc., vult tamen *generatim id, quod faciunt christiani*, et ita *in confuso* vult etiam illud omne, quod cum tali ritu christiani connexum esse credunt.

b) Si actio illa determinatur ad *esse sacramentale* per adiuncta externa, id non potest esse nisi *ex institutione Christi*. Atqui falsum est, talem esse Christi institutionem. Ergo non determinatur per adiuncta externa. Maior propositio est evidens, minor probatur. Vel dicuntur sacramenta instituta ita, ut actio *non nisi per adiuncta illa externa* determinetur ad *esse sacramentale;* vel dicuntur instituta *disiunctive*, ut sive per adiuncta illa absque intentione *interna* (ut vocant), sive ubi desint adiuncta, per intentionem *internam* actio determinari debeat. Horum primum est evidenter falsum; confici enim possunt sacramenta per solam materiam et formam verborum a Christo institutam, dummodo a ministro adhibeantur cum intentione saltem generali faciendi quod facit Ecclesia, ut declararunt Concilia Florent. et Trid. Quamvis ergo desint omnia illa externa adiuncta, determinatur actio ad *esse sacramentale per solam intentionem internam ministri*. Ergo illa adiuncta saltem non sunt ex institutione Christi essentialis determinatio actionis ad *esse sacramentale;* adeo ut minister *extrinsecus simulans etiam iocum*, adhibendo tamen legitimam materiam et formam *cum interna intentione*, sacramentum conficeret. Sic qui simulans iocum, ut a nemine deprehendi posset, perfunderet infantem aqua sub legitima forma verborum cum intentione occulta vere baptizandi, sine dubio conferret sacramentum. Debent ergo adversarii dicere alterum, sacramenta esse instituta a Christo *sub disiunctiva*

propositione: ut actio determinetur ad rationem sacramentalem vel per adiuncta externa, vel si haec desint, per intentionem *internam*. Atqui talis disiunctio conficta est unice ad fulciendam opinionem, quin vel umbra appareat fundamenti in doctrina sive scripta sive tradita de sacramentis, et in consentiente doctrinae eiusdem explicatione. In hac enim doctrina ad rem praesentem illud unum continetur, Christum dedisse Apostolis potestatem ministerialem remittendi peccata et sanctificandi per actiones sacramentales ipsius Christi nomine administratas, cuius quidem ministerialis potestatis usus et quae actiones, ut fiant nomine Christi, non ab externis accidentalibus adiunctis sed a voluntate ac intentione pendet ministrorum.

Argumentum hucusque expositum est aliquatenus *a priori* ex ipsa scilicet rei, quamvis per liberam institutionem consistentis, natura derivatum; et ideo non solum ostendit esse necessariam ministri intentionem *internam*, et non sufficere tantum *externam* ad conficienda sacramenta, qualia Christus instituit; sed etiam demonstrat , *cur* ita sit. Nihilominus ut suspicio intercurrentis forte erroris in deductione amoveatur, examinanda remanet ipsa *explicita doctrina* de intentione, ut vel in authenticis declarationibus vel saltem in consensione continetur sufficienti ad gravioris auctoritatis pondus constituendum.

II. Facile concedimus, opinionem quam impugnamus, plurimum differre ab haereticorum doctrina de intentione, non tam propterea quod haeretici etiam externum et sensibilem iocum valori sacramenti nihil obesse dicerent, huius opinionis sectatores contra postulent actionem *extrinsecus et sensibiliter seriam*, et proinde etiam voluntatem seu intentionem actionis ad speciem seriam compositae; quam potius ratione principii, ex quo evidenter haeretico sententia Novatorum necessario sequebatur et cui tota erat innixa, non aliam scilicet esse sacramenti virtutem quam signi theoretici ad annuntiandas et fidei exhibendas promissiones evangelicas, rationem vero iustificationis unice esse in fide suscipientium (th. XVI. n. I.). Unde etiam concedimus, Patribus Tridentinis sive in VII. sive in XIV. ses-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

sione non fuisse propositum *directe* damnare illam opinionem, quam Catharinus defendisse dicitur. Vide Pallavicinum l. IX. c. 6; l. XII. c. 10. n. 34. (1). Hoc tamen non impedit, quominus in ipso Tridentino et in aliis monumentis supra th. XVI. n. II. citatis contineatur doctrina, quae, dummodo accipiatur sincere et sine detorsione in alienos sensus, opinionem illam de sufficientia intentionis *externae* omnino excludat.

Itaque 1°. in Conciliis Constantiensi, Florentino, Tridentino perpetuo et expresse numerantur *tria distincta*, « quorum si aliquod desit, non conficitur sacramentum, » materia, et forma vel *actus externus ministri*, ubi per se intelligitur *voluntas sive intentio actus externi;* praeter hanc vero requiritur tertio tamquam aliquid distinctum *intentio ministri* saltem haec, *faciendi quod facit Ecclesia*, tamquam intentionis infimus veluti gradus absolute necessarius, ut actio sit sacrametalis. « Si quis dixerit, in ministris, *dum sacramenta conficiunt et conferunt*, non requiri *intentionem saltem faciendi, quod facit Ecclesia;* anathema sit. » Iam vero huiusmodi *generales locutiones*, ubi exprimitur *in confuso* actus rationalis principii superioris et cum eo conformatio principii inferioris in suo actu rationali, semper sunt propositiones significantes *subiectionem et conformationem intentionis in confuso inferioris cum superiori;* numquam vero significant apud homines sincere et proprie loquentes identitatem *actus alicuius specialis solum materialiter spectati*. Sic propositio generalis e. g.; « credo, quod credit Ecclesia, » semper intelligitur *de fide in confuso* veritatum revelatarum, quas credit Ecclesia, quaecumque illae sint etiam mihi distincte non cognitae; numquam autem nisi

(1) « Io per me stimo che la sentenza del Caterino sia falsa, ma non però condannata *espressamente* da' canoni Tridentini » l. IX. Ad verba Concilii sess. XIV. cap. 6: « nec is esset nisi salutis suae negligentissimus, qui sacerdotem ioco se absolventem cognosceret, et non alium serio agentem sedulo requireret, » advertit Emus historicus: « le ultime parole, come può veder il lettore, *lascian luogo* a non istimar *condannata per eretica* la sentenza del Caterino e d'altri teologi » l. XII. Pallavicinus tamen ipse in suo Cursu theol. l. VI. c. 6. n. 87. utitur hoc capite Concilii ad probandam veram sententiam contra Catharinum.

sophistice intelligi potest de *identitate obiecti materialis et specialis alicuius*, quod Ecclesia credat fide divina, et ego idem credam fide diversa et mere humana: puta si sophista aliquis devota hypocrisi diceret: « credo, quod credit Ecclesia, » quia historice credit Iesum hominem sub Pontio Pilato crucifixum esse Hierosolymis. Eodem modo si quis suadet alteri: in actionibus per se indifferentibus, e. g. in manducando intendas facere, quod faciebant Christus Dominus vel Sancti; absurde intelligeretur commendari voluntatem et intentionem *manducationis materialis*, sub ridicula excusatione, quod non dicitur: intendas, quod intendebant Sancti in tali actione; sed: intendas facere, quod faciebant Sancti; hoc autem quod faciebant, erat materialis manducatio. Ita ergo etiam ubi non de intentione ad meritum sed de intentione necessaria ad valorem actus sermo est, propositio eiusdem formae: necesse est, ut saltem intendas facere quod facit Ecclesia, necessario intelligi debet *de intentione generali et in confuso* faciendi, quod tali ritu Ecclesia facere consuevit, *quidquid illud sit;* nullo autem pacto intelligi potest, ut ab adversariis detorquetur, de intentione seu deliberata voluntate faciendi *solum actum materialem externum* serio et graviter et composite extrinsecus, ut aspicientibus videatur conferri sacramentum, etiamsi quis hunc suum actum nec *in speciali nec in generali et in confuso* vellet conformare voluntati aut intentioni Ecclesiae; sed imo *positive protestaretur interna voluntate*, se nolle baptizare, absolvere etc. et generatim quidquam eorum facere, quae tali ritu christiani facere consueverunt.

Insuper propositionem hoc sensu, quem ex logica eius conformatione nunc demonstravimus, communi usu fuisse intellectam in scholis, ex quibus transiit in definitiones Conciliorum, atque ideo etiam non alio sensu a Conciliis adhibitam intelligi posse, superius satis ostendimus th. XVI. n. II.

Patet ergo responsio ad vulgarem obiectionem: Concilia docent sufficientem in ministro intentionem faciendi, quod facit Ecclesia. Atqui Ecclesia facit actum externum. Ergo sufficit ad valorem sacramenti intentio faciendi actum externum. Distinguenda est *maior:* docent Concilia sufficere intentionem,

per actum externum, atque adeo supposita voluntate ponendi ritum externum, *faciendi saltem in generali et in confuso*, quod *per talem ritum* facit Ecclesia, *concedo;* docent Concilia, sufficere intentionem faciendi solum ritum externum absque voluntate saltem *in generali faciendi per ritum, quod per eum facit Ecclesia, nego*. Pariter *minor* distinguenda: Ecclesia facit *etiam* actum externum, et hoc supposito postulatur in illa formula Conciliorum intentio *saltem in generali per actum externum faciendi*, quod per illum facit Ecclesia, *concedo;* Ecclesia facit *tantummodo* actum externum *materialiter*, et huius mere materialis actus intentio exprimitur in illa formula Conciliorum, *nego*. Potest etiam ex aliis principiis n. I. huius theseos declaratis responderi simplicius: D. M. sufficit intentio *ministerialiter* faciendi quod facit Ecclesia C. M.; sufficit intentio *suo proprio nomine et non ministerialiter* faciendi actum externum, quem Ecclesia facit *nomine Christi et ministerialiter* N. M. Ita etiam D. m. Ecclesia facit actum externum *ministerialiter* C. m. facit tantum *materialiter* talem externam actionem N. m.

Posset aliquis urgere, ex nostra declaratione formulae ecclesiasticae « ut minister intendat facere, quod facit Ecclesia, » videri necessarium, ut minister intendat *ipsum effectum sacramenti*, quod evidenter falsum est ex omnium confessione. Responsio non est difficilis: sequitur necessitas, ut intendat effectum *explicite et in se, nego;* sequitur requiri, ut intendat rem quae est efficax, in qua proinde includitur effectus, *subdistinguo:* ut intendat rem efficacem h. e. sacramentum ipsum *explicite* et *in speciali* quatenus est efficax, *nego;* ut intendat sacramentum efficax *implicite, in generali* et *in confuso*, quia *vult facere quod facit Ecclesia, quidquid illud sit, concedo*. Vide declarationem in thesi superiori.

2°. Ad ulteriorem explicationem sedulo advertendum est, ad quid intentio in administrando sacramento sit necessaria. Principium fundamentale est: intentio ministri non requiritur, ut sacramentum *sit efficax*, sed ut *sacramentum sit*. Adeoque quia intentio *generalis* et *confusa* faciendi quod facit Ecclesia, seu quod christiani facere solent per

ritum externum, sufficit, ut sacramentum consistat; et quia supposita consistentia sacramenti, eius efficacia est ex divina institutione atque plane independens a voluntate ministri; ideo minister habens intentionem sufficientem ad hoc, ut *sacramentum sit*, nulla sua intentione quamvis contraria potest excludere sanctitatem, virtutem et efficaciam sacramenti. Sic qui vellet *vere baptismum conferre*, quae intentio certe sufficit ad valorem sacramenti; sed simul expresse nollet conferri gratiam, nollet hominem Deo consecrari, imo per sacramentum vellet eum daemoni devovere, ut de impio quodam homine saec. XVII. Massiliae rumor sparsus erat in vulgus (cf. Billuart de Sacr. dissert. V. a. 7. §. 2. obiect. 4.); is sibi quidem noceret, non tamen sacramenti virtutem et efficaciam impediret. Cf. s. Thom. 3. q. 64. a. 10.

Hinc si instituatur comparatio cum *intentione speciali* faciendi et conferendi id, quod Ecclesia facit et confert per sacramenta; recte dici potest valere sacramentum, dummodo minister *intentione generali* velit conferre baptismum, ut solent illum conferre christiani, etiamsi *intentione speciali* nolit facere quod Ecclesia facit, idest nolit e. g. conferre sacramentum efficax, imo nolit ut baptismus, quem vult conferre sincere ceu baptismum christianorum, sit sacramentum, nolit sanctificare baptizatum, vel nolit facere, quod facit Ecclesia Romana, quam putet non habere verum baptismum etc. Hunc in sensum, ut inferius evidens fiet, dixit Innocentius IV. (in commentario privato ad cap. *Si quis puerum* l. III. tit. 42. c. 1.): « non est necesse quod baptizans sciat, quid sit Ecclesia, quid baptismus, vel unde sit, *nec quod gerat in mente facere, quod facit Ecclesia*, imo *si contrarium gereret in mente*, scilicet non facere quod facit Ecclesia, sed tamen facit, quia formam servat, nihilominus baptizatus est, *dummodo baptizare intendat*. »

Ex his patet aliud doctrinae caput necessarium ad multas difficultates removendas. Quando scilicet ipse *effectus* actionis sacramentalis a Christo elevatus est ad rationem sacramenti, ut sacramentum est Eucharistia et legitimus contractus matrimonialis, minister *intendens hunc effectum*, licet *nesciat eum esse sacramentum*, vel etiamsi *nolit ut sit*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

sacramentum, non potest impedire rationem sacramenti. Sic qui *vult consecrare Eucharistiam*, simulque habeat intentionem expressam, ut Eucharistia a se consecrata *non sit sacramentum*, vel ut per consecrationem, quam supponitur velle, *non fiat sacrificium*, hac sua perversa intentione nec rationem sacramenti nec sacrificii impedit. Pariter sponsi baptizati, qui volunt *verum inire contractum matrimonialem* (servatis conditionibus necessariis ad valorem contractus), eo ipso efficiunt sacramentum, etiamsi *expresse vellent rationem sacramenti excludere*. Ratio horum est, quia ab intentione ministri pendet quidem suam actionem, institutam a Christo ad effectionem sacramenti, ponere *mere materialiter*, ita ut nullum habeat effectum, puta si proferens verba *nolit consecrare*, et proferentes verba aut signa consensus nolint *consentire in matrimonium;* at si adsit intentio sufficiens *ad producendum effectum Eucharistiae* aut *matrimonii*, effectus positus *independenter a quavis ministri voluntate* habet necessario eas omnes rationes et proprietates, quae ei sunt ex Christi institutione insitae.

Has tamen omnes *intentiones contrarias* oportet non esse ita absolutas, ut intentionem alteram e. g. consecrandi, contrahendi matrimonium etc. excludant et destruant. Sic qui ita absolute nollet fieri sacramentum ut, si revera insit haec ratio sacra, velit etiam *non consecrare* vel *contractum matrimonii inire;* is utique excluderet intentionem necessariam et sufficientem ad valorem. Videndum ergo est, quaenam ex *intentionibus oppositis*, quae ambae simul non possunt esse efficaces, praevaleat. Qui vult in datis exemplis absolute consecrationem Eucharistiae aut contractum matrimonii validum, non potest velle *efficaciter* exclusionem sacramenti, quia hoc Eucharistiae et contractui est insitum et inseparabile; qui contra absolute vult exclusionem sacramenti ita, ut sub hypothesi veritatis sacramenti nolit consecrare aut contrahere, is *tali efficaci intentione opposita* excludit simul consecrationem vel contractum. Generatim loquendo talis *exclusio efficax sacramenti* non potest locum habere nisi ex reflexa, obstinata et rarissime in animis humanis

occurrente malitia. Cf. Suarez disp. XIII. sect. 2. (§. « Superest ut respondeamus »); de Lugo disp. VIII. sect. 8.

3° Ut non valeat absolutio atque adeo sacramentum non consistat, docente Concilio Tridentino sess. XIV. cap. 6. una ex causis est, « si sacerdoti animus *serio agendi* et *vere absolvendi desit*. » Sive iam sumas, quod utroque hoc inciso enuntiatur, tamquam rem eandem, et incisum secundum ut meram explicationem prioris, sive intelligas uno et altero enuntiari aliquid distinctum; manifesto continetur in his verbis Concilii, non sufficere in ministro solam voluntatem *serio ponendi actum ad speciem externam*, si in animo desit intentio vere absolvendi, vel si adsit intentio contraria. Si enim utroque inciso enuntiatur res una, per secundum declaratur primum, nempe quid sit ex parte ministri *serio agere:* non esse scilicet *actionem seriam* sed simulationem seriae actionis, si desit *animus vere absolvendi*. Si sumas *animum serio agendi* pro voluntate *solum externe et ad speciem serio ponendi actum*, tum necesse est ut inciso altero intelligas aliud, scilicet praeter voluntatem illo modo agendi serio etiam requiri *animum vere absolvendi;* est enim absurdum hac locutione « adsit *animus vere absolvendi* », intelligere voluntatem solum externa specie serio pronuntiandi verba *cum interna intentione non vere absolvendi*, sed fallendi et illudendi.

Praeterea (et id maxime advertatur) *iocus* non ideo reddit sacramentum irritum, quia *apparet* et *manifestus est* hominibus, sed unice quatenus deest *voluntas necessaria ad conficiendum sacramentum*, ut convincitur ex eo, quod, supposita voluntate occulta vere conficiendi sacramentum, *extrinsecus apparens iocus* non tollit valorem, ut paulo ante diximus. Ergo cum *propter iocum* declaratur irritum sacramentum, id intelligi debet *de defectu voluntatis ad conficiendum sacramentum*, ex quo defectu iocus procedit. Atqui voluntas ad conficiendum potest aeque deficere, si iocus sit occultus, ac quando est manifestus aspicientibus. Ergo definitio declarans irritum sacramentum *ratione ioci*, non de manifesto solum sed etiam de occulto ioco aeque valet.

Tria possunt opponi, quae enim habeas verba tam clara,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ut tuta sint contra exceptiones hominum subtilium, quorum interest ea aliter interpretari? *a*) *Serio agere* significat speciem seriam externam, *vere absolvere* continetur necessario in actione illa seria; ergo Concilium postulando « animum vere absolvendi » nihil postulat aliud, quam animum *externe serio agendi*. Suadetur *b*) ex eo, quod doctrina dirigitur adversus Lutherum asserentem, valere absolutionem etiam *per iocum manifestum* datam. Confirmatur *c*) ex verbis sequentibus; vult enim Concilium excludere eum iocum, *qui possit a poenitente cognosci:* « qui sacerdotem ioco se absolventem cognosceret. »

Respondeo: *a*) si utroque inciso idem enuntiatur, ut assumitur, posterius continet explicationem prioris, non autem vice versa prius explicationem posterioris. Ergo per *animum vere absolvendi*, quod est incisum declarans, debet explicari, quid sit *serio agere;* scilicet debet esse *actio seria ita, ut velit minister vere absolvere*. Non autem per *animum serio agendi*, quod est incisum declarandum, potest explicari sensus incisi declarantis, quid sit *animus vere absolvendi;* ut nihil dicam de interpretatione iam per se inepta, qua *animus vere absolvendi* diceretur *animus non vere sed simulata serietate absolvendi*.

b) Lutherus asserendo, valere sacramentum etiam per manifestum iocum ministratum, a fortiori etiam docuit valere *sine animo vere absolvendi*, si iocus lateat, ut Calvinus postea et Kemnitius aliique Protestantes communiter exigebant *externam gravitatem et externa adiuncta convenientia*. Dicimus ergo: doctrina Concilii quae adversus *totam* doctrinam Lutheri et Protestantium de intentione ministri est *contradictoria*, adversus particulam doctrinae de ioco manifestato est *contraria*, excludens iocum manifestatum non tamen solum sed etiam ludibrium occultum. Ceterum eo ipso, quod edita est declaratio directe adversus doctrinam Protestantium, quae ex alio adhuc capite haeretica est, fatemur libenter, non esse sententiam quae dicitur Catharini, directe damnatam. (Vide explicationem superius.)

c) Verbis sequentibus Concilium loquitur de re alia distincta, consequente tamen ex doctrina praemissa. In prioribus agit *de intentione necessaria ministri*, ut habeat *animum serio agendi et vere absolvendi;* inde infert *officium poenitentis*. Hoc autem non potest esse aliud, quam ut, *si cognoscat* sacerdotem ioco agentem, requirat alium serio agentem. Hoc sane officium non potest incumbere poenitenti, nisi *cognoscat* sacramentum invalidum, h. e. nisi cognoscat certis argumentis, deesse aut defuisse ministro *animum serio agendi et vere absolvendi*, qui iuxta antecedentem Concilii declarationem ad valorem sacramenti est necessarius.

4° Propositio 28ª inter damnatas ab Alexandro VIII. 7. Dec. 1690. videtur omnino enuntiare doctrinam de qua agimus, adeoque haec ipsa videtur proscripta. Propositio, ut arceretur ex doctrina et praxi Doctorum catholicorum, ad s. Sedem delata et a Pontifice deinceps proscripta ita habebat. « Valet baptismus collatus a ministro, qui *omnem ritum externum formamque baptizandi observat; intus vero in corde suo, apud se resolvit:* non intendo, quod facit Ecclesia. » Nihil dicam de responsione absurda Iuenini, qua iam nemo puto uti auderet, trans Alpes huiusmodi decreta non habere vim obligandi, nisi immediate emanent a summo Pontifice. In primis enim decretum latum est « in Congregatione generali S. R. Inquisitionis *coram SS. D. N. Alexandro PP. VIII,* » et « *idem Sanctissimus statuit et decrevit* supradictas 31. propositiones tamquam temerarias, scandalosas etc. esse damnandas et prohibendas, sicut *eas damnat et prohibet*.» Deinde non agitur de decreto circa particularem disciplinam pro aliqua Ecclesia particulari, sed de decreto pro universa Ecclesia et de declaratione doctrinali veritatis; veritas autem non instar venti Alpibus frangi aut coerceri potest, ut aliud sit verum cis montes aliud ultra montes, etiamsi ita credi debere, princeps forte aliquis aut senatus decrevisset. Responsio itaque sola, qua uti possunt et revera omnes utuntur adversarii, haec est: in decreto proscribi doctrinam nimis generalem, si quis videlicet diceret, sufficere observationem ritus externi etiamsi fiat *ioco manifesto*, ut Lutherus aiebat, vel extra debita adiuncta, e. g. si mater lavans domi infantem ad implorandam sanitatem simul diceret: lavo te in nomine Patris etc., qua

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

observatione ritus externi nemo dixerit conferri sacramentum.

At vero haec explicatio evidenter est contorta et improbabilis, idque ex ratione tum interna tum externa et historica. Ex *ratione intestina;* nam in propositione, quae damnatur, disertissime et diligentissime exprimitur, intentionem non faciendi quod facit Ecclesia, esse *occultam* ita, ut nullo modo ex iis, quae foris apparent, deprehendi possit: « *intus, in corde suo, apud se* resolvit; » ergo ritus externus supponitur observatus ita, ut aspicientibus nihil deesse videatur. Quin potius talis observatio ritus externi non solum supponitur sed diserte enuntiatur: « si *omnem ritum externum observet.* » Quis vero dixerit de homine aperte et externe iocante, vel de eo qui lavat infantem ita, ut id alio prorsus fine fieri ex omnibus adiunctis manifesto appareat, quis inquam de tali homine dixerit: « *observat omnem ritum formamque baptizandi*, et tantummodo *intus, in corde suo, apud se* statuit: non intendo quod facit Ecclesia; » imo non *intus, in corde suo* et *apud se* id statuit; sed manifesto ostentat omnibus, se non intendere quod facit Ecclesia? Pariter improbabilis est explicatio ex *ratione historica*. Est enim incredibile, quod confingit Drouin (l. c. §. 3. obiect. 3.), « imprudenter theologos quosdam Belgas doctrinam Lutheri renovasse, » vel saltem Lutheranam haeresim iis theologis per calumniam fuisse affictam, ut (in Vind. Vindic. c. 12.) se tuetur Serry contra Lambertum Gaud Ord. Praedic., quem modestissime « cavillatorem » salutat. Quin imo non vivimus apud Garamantas et Indos, ut Serry declamat, nec ignoramus, unde propositio sit derivata. Theologus Belga P. Henno FF. Minorum (de Sacram. disp. 4. q. 2. a. 2. prob. 3ª) testatur, sibi notum et olim familiarem fuisse Doctorem, ex cuius scriptis propositio desumpta est, qui « praecise adversariorum sententiam sustinebat. » Berti ex s. Ordine Augustinensium (l. XXX. c. 16. Propos. 2.) indicat, et s. Alphonsus (de Sacram. in genere c. 2. n. 23.) confirmat, Farvacques eiusdem s. Ordinis in Belgio fuisse propositionis auctorem, qui nihil aliud quam Catharini sententiam defendebat; unde idem P. Berti refert, post damnationem ab Alexandro VIII. latam Augustinenses Belgas ab opinione Farvacquesii recessisse. Rationes, quibus Drouin persuadere conatur, non potuisse in propositione ab Alexandro damnata hunc sensum intelligi, ex testimonio Consultorum Romanorum et, si superis placet, ex auctoritate Innocentii IV, Clementis XI, Benedicti XIII, Academiarum catholicarum, inferius examinabimus.

Interim ex omnibus hactenus disputatis sane fatendum est, quod ait Benedictus XIV. de Synod. dioeces. l. VII. c. 4. n. 8. 9, sententiam Catharini « grave vulnus » a damnatione illa Alexandri VIII. accepisse, et si quando de tali modo administrationis sacramenti non iterandi constaret, esse iterum sub conditione ministrandum, aut si res moram patiatur, Sedem Apostolicam consulendam.

5°. Huc pertinent responsa s. Congregationis Concilii Tridentini Interpretum, quibus 23. Ian. 1586. et 13. Febr. 1682. ordinationes solemni ritu peractae ob solum defectum intentionis in ordinante declaratae sunt prorsus irritae (apud Benedict. XIV. de Sacrificio Missae l. III. c. 10. n. 5–7.). Video, quid adversarii excipere queant. Sermo ibi est, dicere possunt, de Episcopo, qui antea publico edicto declaraverat, se non habere intentionem ordinandi certis quibusdam impedimentis irretitos; ergo non de occulta, sed *de manifestata extrinsecus intentione contraria* agitur. At *a*) ritus ipse cum omnibus adiunctis plane eodem modo applicabatur illis, qui erant impedimentis irretiti ac aliis simul cum eis ordinatis, et impedimenta ipsa erant ignota. Ergo intentionem *externam*, quam adversarii requirunt h. e. intentionem in debitis adiunctis serio et cum omni externa specie applicandi materiam et formam, Episcopus habuit plenissimam. *b*) Etiam posito illo edicto publico ordinationes fuissent citra dubium validae, si Episcopus in animo suo intentionem habuisset vere ordinandi. Non ergo ratione edicti, sed solum propter defectum *intentionis internae* et *in animo latentis* ordinationes declaratae sunt invalidae. Unde merito ad illa decreta Benedictus XIV. observat: « res omnis in eo est, ut Ordinantis exploretur intentio: nam si Episcopus non habuerit intentionem ordinandi et in actu

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ordinationis *non revocaverit contrariam intentionem* adversus eum, qui cum canonico defectu ad Ordinem suscipiendum accessit, negare nemo potest, ordinationem fuisse nullam... Quod si vel clara defuit probatio contrariae intentionis in Ordinante vel dubitari potuit, num *aliquo modo fuerit revocata*, s. Congregatio censuit iterandos esse Ordines sub conditione, ut apparet ex aliquibus decretis 11. Ian. 1710. et 3. Aug. 1743. » Bened. XIV. ib. n. 7. Insuper *c*) adversarii fatentur, saltem non magis requiri *intentionem internam* in suscipiente sacramentum quam in ministro. Atqui s. Congregatio 24. Aug. 1685. decrevit, eum qui ordinatus fuerat cum intentione omnino *occulta* et *mere interna* non suscipiendi Ordinem, quamvis externe totum ritum libere susceperat, esse iterum ordinandum, non absolute quidem sed *sub conditione;* quod vero temperamentum additum est tantum ideo, quia non omnino constabat factum ipsum *defectus intentionis* (apud Benedictum XIV. ibid. n. 13.).

Demonstratio non absimilis peti potest ex doctrina de administratione sacramentorum *sub conditione*, praesertim si conditio a ministro tantum mente concipiatur, ut prioribus octo saeculis Ecclesiae fieri consuevit (cf. Benedictum XIV. de Synd. dioeces. l. VII. c. 6.). Argumentum aliud denique suppeditat doctrina expressa in regulis liturgicis Missalis Romani, ubi agitur « de defectibus occurrentibus » n. 7.

6°. Inter theologos semper fuisse sententiam communem, quae requirit intentionem *internam*, ut vocant, et non solum voluntatem *actionis externae materialiter spectatae*, indubitatum est. Sententiae theologorum veterum qui floruerunt ante Concilium Tridentinum, sufficienti numero relatae legi possunt in opusculo Caroli D'Argentrée de Intentione ministri. Theologi gravissimi, qui scripserunt post Concilium, opinionem Catharini ita reiiciunt, ut etiam acrioribus verbis non parcant. Bellarminus ait « se non videre, quid differat Catharini opinio a sententia Kemnitii et aliorum haereticorum » l. I. c. 27; Vasquez sententiam de necessitate intentionis internae oppositam illi Catharini appellat « catholicam et se quidem iudice expresse definitam in Con-

ciliis » disp. 138. c. 3; de Lugo de statu quaestionis suo tempore ita pronuntiat: « licet haec sententia (Catharini) differat ab errore haereticorum, adhuc tamen ex mente Conciliorum et ex fundamentis, quibus contra haereticos dogma istud (de necessaria intentione faciendi quod facit Ecclesia) definitum est, ita clare colligi potest falsitas etiam huius alterius sententiae, ut merito censeatur ab errore damnato non multum distare, et ideo meritissime ab omnibus theologis reiecta sit » disp. 8. sect. 2. n. 15; Suarez abstinens a censuris solum ait, sententiam contrariam Catharino esse « communem theologorum. » Suarezium in modo loquendi et defendendi doctrinam nos sequimur; neque enim propter aliam causam duriora illa iudicia retulimus, quam ut paucis demonstraremus, quanta sit in hanc, quam tuemur, sententiam theologorum conspiratio. Carolus d'Argentrée, qui fatetur (in opusc. de Intent. ministri §. 11.), se aliquando in thesibus Sorbonicis Catharini sententiam esse secutum, sed postmodum ab ea penitus recessisse, ineunte saeculo XVIII. (1) l. c. §. 8. hoc fert testimonium. « Post Catharinum paucos sectarios habuit eius opinio. Nam Romae et in variis tum Italiae, tum Germaniae, tum Hispaniae Academiis praepositi non permittunt Catharini sententiam in publicis thesibus defendi. Nec etiam in Parisiensi Academia ante quinquaginta fere annos ullus syndicus sacrae Facultatis id patiebatur; atque haud ita pridem Emus Card. Paris. Archiepisc. Noallius ab Urbe redux Guillelmo Le Bas syndico sacrae Facultatis commendavit, ut maiorum nostrorum communem sententiam de intentione faciendi quod facit Ecclesia, in publicis thesibus defendendam curaret, nec iis subscriberet, quae Catharini opinionem innovarent. » Ipsemet Serry (initio suae disputationis) conqueritur, quod « summi viri (Catharini) sententia ante annos circiter octoginta (2) conclamata et deplorata videbatur. »

(1) Facultas imprimendi opusculum data est anno 1708, editum anno 1712.

(2) Facultatem impressionis Serry obtinuit anno 1730, ergo et ipse sicut D'Argentrée indicat medium saec. XVII, quousque nemo fere inter theologos a communi in hac re doctrina discedere ausus sit. Epocha haec

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Solum superest hoc loco, ut in sensum inquiramus s. Thomae, ad quem tamquam unum instar multorum adversarii confidentissime appellant. In primis magnum praeiudicium est, quod omnes nobiles Thomistae usque ad Contensonum sententias, si quae sunt ambiguae s. Doctoris, non in sensum Catharini sed iuxta communem doctrinam interpretati sint, si unum excipias Sylvestrum Prieratem; nam Catharinum ipsum Thomistis accenseri nolunt (vide Serry in praefat.). Attamen Contensonus, Serry et Drouinius ex eadem schola viri eruditi reperiunt in scriptis s. Thomae pro sua sententia testimonia « evidentissima, convincentissima, et omni exceptione maiora, ut mirari subeat vel unum de schola Thomistica in contrariam sententiam abiisse, » ut illi quidem aiunt; quare optimum factu erit seposita interpretum auctoritate cognoscere ex verbis ipsis s. Doctoris, quid tandem senserit.

a) Declarat s. Thomas in opusculo de sacramentis Ecclesiae (1) (in ed. de Rubeis T. VIII. inter Commentarios), praeter materiam et formam requiri intentionem ministri. Hanc autem ita describit. « Requiritur etiam in quolibet sacramento persona ministri conferentis sacramentum *cum intentione conferendi et faciendi quod facit Ecclesia,* quorum trium si aliquid desit, idest si non sit debita forma verborum, et si non sit debita materia, et si minister sacramenti non *intendit sacramenta conficere,* non perficitur sacramentum. » Hic vides, necessariam illam intentionem « faciendi quod facit Ecclesia » a s. Thoma non aliam intelligi quam intentionem « *conferendi* quod facit Ecclesia; » et hanc iterum explicari per intentionem « *conficiendi sacramentum* » (saltem implicite scilicet et in confuso, ut ab ipso s. Thoma declaratum mox videbimus).

notanda erat; hoc enim ipso tempore mediante scilicet saec. XVII. accidisse feruntur facta illa atrocia, quod ministri sacramentorum unus et alter fassi sint, se numquam habuisse *intentionem internam*. Nihilominus tamen valorem sacramentorum quae ita collata erant, tum Ordinis tum baptismi fuisse iuxta Catharini sententiam agnitum a theologis, contendunt Serry et Drouin. Quomodo quaeso haec invicem conciliantur? Historias scilicet homines praefervidi ex popularibus rumoribus adsciscunt et ad fucum faciendum exornant.

(1) Verbis huius opusculi, ut omnes norunt, fere concepta est Instructio pro Armenis in Conc. Florentino.

Porro tam in Summa 3. q. 64. a. 8-10. quam in 4. sent. dist. 6. q. 1. a. 2. quibus locis quaerit de intentione ministri, et propositum habet demonstrare eius necessitatem ad valorem sacramenti, ponit velut principium, actionem externam per se ac proinde *supposita iam voluntate eam faciendi* non esse determinatam ad significationem sacramentalem, et debere ad hanc determinari non per aliud quam *per intentionem ministri;* ergo ex clara s. Thomae doctrina *supposito toto opere externo* ac proinde *supposita etiam voluntate illud efficiendi* nondum intelligitur sacramentum, nisi operatio *per intentionem ministri,* non autem per adiuncta tantum externa, determinetur ad significationem sacramentalem. Atqui talis intentio non est voluntas *solum operis externi materialiter spectati.* « Ea quae in sacramentis aguntur, possunt diversimode agi... et ideo oportet quod (e. g. ablutio aquae) *determinetur ad unum i. e. ad sacramentalem effectum per intentionem abluentis;* et haec intentio exprimitur per verba quae in sacramentis dicuntur, puta cum dicit: ego te baptizo » 3. q. 64. a. 8. Igitur non verba dicta et proinde etiam non voluntas ea materialiter dicendi sunt ultimo determinans, sed *intentio respondens significationi verborum* h. e. *intentio vere baptizandi;* verba autem sunt unum ex iis, « quae in sacramentis aguntur et possunt diversimode agi, » adeoque « oportet quod et ipsa verba dicta determinentur ad unum (ad significationem sacramentalem) *per intentionem ministri* » (cf. supra n. I.). Simili modo in 4. dist. 6. q. 1. a. 2. sol. 1. ait, multa debere concurrere, ut efficiatur sacramentum, scilicet ministrum h. e. qui agat ministerialiter, materiam et formam, et haec omnia debere ordinari tamquam unam causam ad effectum sacramentalem, hoc autem fieri non posse « nisi *per intentionem baptizantis* » (seu generatim ministri). Haec intentio qualis est? num forte solum voluntas gravi specie externa coniungendi materiam et formam? Debent omnia colligari, respondet s. Thomas, ita ut sint una causa ad effectum scilicet determinatum, et id fieri

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

non potest « nisi per intentionem baptizantis, qui scilicet formam ad materiam applicat, *suum vero ministerium ad utrumque, et totum hoc ad sacramenti collationem.* » Advertatur quaeso, quomodo s. Thomas semper sibi constans, sicut in opusculo exigit intentionem *conficiendi sacramentum*, ita in Summa postulet intentionem, quae actionem visibilem *determinet ad sacramentalem effectum*, et in 4. dist. 6. intentionem, quae totum *dirigat ad sacramenti collationem.*

b) Quae dixerat s. Thomas in ipso hoc fundamentali principio generalius de intentione, qualis esse debeat, explicat distinctius. « Requiritur ministri intentio, *qua se subiiciat principali agenti, ut scilicet intendat facere, quod facit Christus et Ecclesia* » 3. q. 64. a. 8. ad 1.

c) Quia principii instar posuit, requiri intentionem *conferendi sacramentum*, et intentionem *agendi formaliter ut ministrum Christi et Ecclesiae*, oriri poterat difficultas, quomodo infidelis possit habere sufficientem intentionem ad conferendum e. g. sacramentum baptismi. In sententia Catharini haec difficultas nemini potest venire in mentem; in ea enim opinione negatur ipsum principium, requiri intentionem conferendi sacramentum, et affirmatur, sufficere intentionem specie seria exsequendi actionem visibilem; ad hanc ergo difficultatem ex infidelitate ministri petitam facile respondetur: etiam infidelis potest ponere externa specie seria et in debitis adiunctis actionem visibilem, eius autem intentio latens in animo nihil officit valori sacramenti. Unde certum dogma, quo confitendum est, sacramentum posse conferri etiam ab infideli, *dummodo intendat facere quod facit Ecclesia*, patroni illius sententiae non habent tamquam difficultatem, quae per opportunam explicationem debeat conciliari cum doctrina de necessitate intentionis; sed illud assumunt tamquam argumentum ad negandam necessitatem alterius internae intentionis praeter eam, quae habeat pro obiecto mere actum externum materialiter spectatum. At longe aliter s. Thomas respondet. Defectus fidei, inquit, potest primo esse in ministro circa alias veritates et non circa veritatem sacramenti, « et sic talis infidelitas non impedit intentionem *conferendi sacramentum.* » Si secundo infidelis minister etiam veritatem et sanctitatem sacramenti non credat, attamen sciat, ab Ecclesia vel a christianis haberi talem ritum ut sacrum; haec cognitio requiritur et sufficit, ut possit habere intentionem faciendi quod facit Ecclesia. Hoc autem supposito iam agit nomine Ecclesiae et tamquam minister Ecclesiae *cum intentione generali*, in qua *continetur implicite intentio conferendi sacramentum.* « Si vero, inquit Angelicus, patiatur (minister) fidei defectum circa ipsum sacramentum quod exhibet, licet credat per id quod agitur exterius, nullum sequi interiorem effectum, *non tamen ignorat, quod Ecclesia catholica intendit per huiusmodi, quae exterius aguntur, praebere sacramentum; unde non obstante infidelitate potest intendere facere id, quod facit Ecclesia, licet aestimet id nihil esse* » 3. q. 64. a. 9.

S. Thomas igitur sentit, in homine infideli, ut possit intendere quod facit Ecclesia, necessariam esse *cognitionem saltem confusam, quod Ecclesia per illum ritum externum intendit praebere sacramentum*, h. e. *quod ille ritus a christianis habetur et usurpatur ut aliquid sacrum.* Ergo sentit, intentionem necessariam faciendi quod facit Ecclesia, non esse solum *voluntatem specie seria ponendi actum externum in debitis adiunctis;* ad hoc enim nihil opus esset scire, Ecclesiam seu christianos per illam actionem intendere praebere sacramentum, sed sentit cum omnibus aliis veteribus scholasticis, per intentionem faciendi quod facit Ecclesia, intelligi *conformationem generalem et in confuso intentionis ministri cum intentione Ecclesiae,* quae vult eum ritum ponere ut sacrum et sacramentalem (supra th. XVI. n. II). Cf. 4. dist. 6. q. 1. a. 2. sol. 2. ad 1.

d) Pariter quando declarat s. Thomas, quae perversio intentionis impediat sacramenti effectionem, quae non impediat; perversionem prioris generis ait esse, si quis non intendat *conferre sacramentum*. Talem appellat *intentionem* ludricam et iocosam; ubi recte advertit s. Alphonsus (c. 2. n. 22.), non dici a s. Thoma *iocosam actionem externam* sed *iocosam intentionem*, quae potest esse cum externa specie seria. Itaque talis perversio intentionis ex se et natura sua

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

impedit sacramenti effectionem; quia tamen mere occulta huiusmodi perversio rarissime locum habet et vix cadere potest sub iudicium humanum, ideo ait s. Doctor: « intentio ministri potest perverti respectu ipsius sacramenti, puta *cum aliquis non intendit sacramentum conferre, et talis perversitas tollit veritatem sacramenti, praecipue* quando suam intentionem *exterius manifestat.* » Non solum externam manifestationem sed ipsam perversionem intentionis in se iuxta mentem s. Thomae tollere veritatem sacramenti, est clarum ex ipso modo loquendi, et adhuc clarius ex responsione ad 1^um^. Obiicit sibi, intentionem ministri debere conformari intentioni Ecclesiae, quae semper recta est. Respondet concedendo *ministri intentionem debere conformari Ecclesiae* quoad rectitudinem, quae respicit perfectionem (i. e. effectionem) sacramenti, et sine hac *conformatione intentionis* sacramentum non consistere 3. q. 64. a. 10; 4. dist. 6. q. 1. a. 2. sol. 2. Eodem modo loquitur 4. dist. 30. q. 1. a. 3. ad 3: « intentio Ecclesiae quae *intendit tradere sacramenta,* est de necessitate cuiuslibet sacramenti, ita quod *ea non observata* nihil in sacramentis agitur. »

e) Denique ubi s. Thomas agit de intentione virtuali, quam ipse *habitualem* appellat, sufficere ait intentionem, quae praecesserit ipsam actus externi exsecutionem; etiamsi in ipso actu cogitatio alio distrahatur, dummodo « *intentio contraria non intervenerit,* » h. e. dummodo intentio praecedens adhuc virtualiter perduret, et non fuerit revocata. At haec conditio apposita « si intentio contraria non intervenerit, » nullum habet sensum, si sola exsecutio externa cum specie seria sufficit ad valorem sacramenti; agit quippe s. Thomas de intentione, cui, dum fit actus externus, potest intervenisse intentio contraria, atque adeo cum tota illa exsecutione actus potest intentio contraria efficere, ut sacramentum non sit. « Quia cogitatio est valde labilis, etiamsi tunc non adsit actualis intentio, quando verba profert, *dummodo prius intenderit et contraria intentio non intervenerit, sacramentum non impeditur* » 4. dist. 6. q. 1. a. 2. sol. 1. ad 4.

Exposita hactenus Angelici doctrina nullum videtur relinquere dubium de genuino eius sensu, ut equidem censeam, illam opinionem de *sufficientia deliberati externi tantummodo operis,* quantumvis simul habeatur *intentio contraria non conferendi sacramentum,* s. Thomae numquam in mentem venisse. Quaenam igitur possunt habere adversarii ex s. Thoma testimonia « evidentissima et convincentissima »? Habent unicum, quod constat incidente responsione ad obiectam difficultatem, quomodo possimus esse certi de suscepto sacramento, si valor dependeat ab intentione nemini cognita nisi ipsi ministro? Ad hunc scrupulum depellendum respondet: « in verbis, quae profert minister, *exprimitur intentio Ecclesiae, quae sufficit ad perfectionem sacramenti,* nisi contrarium exterius exprimatur ex parte ministri vel recipientis sacramentum » 3. q. 64. a. 8. ad 2. coll. 4. dist. 6. q. 1. a. 2. sol. 1. ad 2. Scilicet *in verbis expressa intentio Ecclesiae* sufficit, dummodo iuxta doctrinam clarissimam s. Thomae « minister se conformet intentioni Ecclesiae » saltem in confuso, et intentio reipsa sit verbis expressa, quod profecto, si nulla sit aut contraria intentio, fieri non potest. Sed de hac s. Thomae solutione *circa nostram certitudinem* de sacramenti valore satis dixi n. I. Ceterum quemcumque sensum subiicias hisce s. Thomae verbis, certe ille non potest esse verus, qui in solutione difficultatis repugnaret doctrinae clare propositae in tota serie articulorum.

Solum duo adhuc advertantur. Primo s. Thomas numquam dixit, sufficere *intentionem exprimendi seu specie seria dicendi verba;* sed docet, sufficere *intentionem quae verbis exprimitur* in sacramentis, in quibus actus ipse ministri exprimitur verbis formae. Alterum est, quod si verba non exprimunt actum sed sunt per se ambigua, s. Doctor postulat *intentionem verbis non expressam.* Quaestioni, quomodo solis verbis formae « Hoc est corpus meum, » fieret consecratio, etiam omissis verbis antecedentibus, quae intentionem exprimunt, respondet: « dicendum, quod *ex ipsa intentione proferentis possunt verba formae ad personam Christi referri,* etiam verbis aliis non praemissis, si sacerdos verba praedicta in persona Christi dicere intenderet »

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

4. dist. 8. q. 2. a. 4. sol. 3. ad 2. Itaque sicut postulat intentionem *pure mentalem*, si verba formae non exprimunt intentionem; ita sane exigit *intentionem respondentem verborum significationi*, si verba ipsa enuntiant intentionem.

Permittant ergo adversarii, ut s. Thomam a consentiente schola non separemus, et ex complexu totius eius doctrinae iudicemus eandem ac ceterorum fuisse eius sententiam; nec nobis obtrudant incidentem responsionem ad obiectam difficultatem, quam interpretari cogamur in eum sensum, quo et sibi ipsi et aliis contradiceret.

III. Dixi ultimo loco, refelli opinionem de qua agimus, *ex indole ipsa argumentorum*, quibus adversarii utuntur. Si ex copia verborum et ex asseverantia plenae certitudinis aestimatio facienda esset veritatis, sine dubio sententia, ut a Serry et Drouinio defensa est, esset munitissima. At si vis argumentorum ponderetur, non equidem video, quomodo prolatae ab eis probationes sive singulae, sive omnes simul, sive per se spectatae sive praesertim in comparatione cum argumentis oppositis, hanc opinionem cuiquam possint persuadere; imo nonnullae sunt argumentationes manifesto ad fucum compositae, ut hos auctores augendarum probationum cupidiores merito censeas. Si omnibus argumentis singillatim vellemus respondere, adhuc longa opus esset oratione, sed feliciter accidit, quod in antecedentibus iam fere omnium continetur refutatio.

Argumenta eorum omnia possunt dispesci *in deductiones ex theologicis principiis*, et in *diserta quae proferunt testimonia*. Ad priorem classem pertinent haec. 1°. In Scriptura exhibentur homines ut *ministri* sacramentorum, ab eorum ergo bonitate vel improbitate sacramentorum valor non pendet, sed unice ab institutione divina et a meritis Christi; quod ipsum 2°. adversus Donatistas multipliciter est ab Ecclesia declaratum ac definitum. Atqui illa perversio intentionis, qua minister non vellet esse sacrum, quod foris agit, est *improbitas quaedam ministri*, ergo ea non officit valori sacramenti. 3°. Concilium Trid. definivit, sufficere intentionem *faciendi, quod facit Ecclesia;* Ecclesia autem *facit actum externum*. 4°. Quoties in antiquitate

christiana inquisitum est in valorem sacramentorum, numquam Patres erant solliciti de ministrorum intentione, sed unice de servata legitima materia et forma. Sic approbatus est baptismus a puero Athanasio collatus, si vera est historia; sic certissime a Nicolao I. declaratus validus baptismus administratus a Iudaeo vel pagano, dummodo materiam et formam servaverit. 5°. Sacramenta sunt *signa visibilia*, « ergo nihil nisi quod sensibus pateat, in definitione et natura sacramenti ponendum est, atque adeo *latens bona vel mala ministri intentio sacramento penitus extranea est.*» 6°. Sicut in republica civili publici actus rati sunt et validi, dummodo externe serio et graviter transigantur, quaecumque sit iudicum aut magistratuum intentio; ita pariter in Ecclesia de sacramentorum valore habendum est. 7°. Ecclesia est indefectibilis. Atqui « in hypothesi necessariae intentionis internae nutaret haec veritas, » posset enim facile tota hierarchia deficere. 8°. Sacramenta instituta sunt in favorem hominum. Ergo « de eorum susceptione certo saltem moraliter constare debet. » Atqui « si ab interna ministrantium bona voluntate penderent, scrupulorum, sollicitudinum, dubitationum nullus esset finis futurus. » 9°. Dum quis vult serio actionem externam, voluntas interna, ut actio non sit sacra, est inefficax; « est enim idem, ac si quis ignem stupae vere admovere vellet et admoveret, intus vero sic diceret: nolo ut ignis comburat stupam; aut si agricola frumentum terrae mandare proponens et revera tempore commodo seminans, intra se diceret: nolo esse hoc semen fructiferum, quod summa accuratione terrae committo. »

Responsiones ad talia argumenta, si hoc nomine cohonestanda sunt, sponte se offerunt praesertim post ea, quae superius demonstravimus. Ad 1^{um}. et 2^{um}. ex principiis demonstratis respondetur: hoc ipso quod hominibus commissa est *potestas ministerialis*, convincitur necessitas intentionis *saltem implicite et in confuso agendi nomine Christi*. Porro si sacramentum iam supponitur confici, sane eius efficacia et sanctitas et hoc sensu eius valor non pendet a ministro; *ut autem conficiatur, pendet a ministro*, cum omnia sacramenta *actione ministeriali* ipsius hominis ministrantis con-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ficiantur. Sicut ergo ab improbitate vel etiam ignorantia ministri pendet, ut sacramentum non sit, dum pervertit materiam aut formam; ita ab eadem improbitate pendet, ut perversione intentionis iuxta Christi institutionem necessariae actio sit mere naturalis et non sacramentalis.

Ad 3^{um}. Quid sit intentio *faciendi quod facit Ecclesia*, iam satis demonstratum est.

Ad 4^{um}. Primum in *singularibus factis* quae forte occurrant, ubi constat de actu externo, intentio sufficiens interna supponitur ac praesumitur, donec oppositum probetur. Si autem agitur *de doctrina* circa necessitatem et qualitatem intentionis, ea continebatur semper saltem implicite in ipsa doctrina de natura sacramentorum et potestatis ministerialis. Haec doctrina deinde in consensu scholarum, atque adversus Novatores saltem inde a saeculo XIII. in authenticis Ecclesiae declarationibus ac definitionibus, quantum sufficit, explicite est proposita. Aliqua capita de intentione ministri antiquitus nondum fuisse in explicita universali professione, quae nunc sunt plane definita, etiam adversarii fateantur oportet. Nonne enim Augustinus adhuc recenset inter quaestiones « quae nullo in regionario Concilio coeptae nullo in plenario terminatae sunt, » utrum valeret baptismus, « ubi totum mimice et ioculariter ageretur, » quam nunc quaestionem etiam adversarii plene terminatam esse fateri debent? Admitti scilicet debet in Ecclesia Dei sub directione Spiritus veritatis pro rerum et temporum necessitate aliqua depositi fidei explicatio. (Vide tract. de Tradit. sect. IV.)

Mirum valde est, quod adversarii argumentum sumunt ex baptismo ab Athanasio puero inter ludendum collato. Cum enim, supposita veritate historiae quam et ipsi negant, externus actus ibi haberet speciem ludi puerilis, et non adessent illa externa adiuncta, quibus ipsi volunt actionem determinari ad significationem sacramentalem, necessario fateri debent, determinationem ad *esse* sacramentale fuisse per intentionem *internam*, licet extrinsecus videretur esse ludus, nisi incidere velint in doctrinam Lutheri asserentis valere sacramentum etiam ioco collatum.

Ad 5^{um}. Hoc argumento, si urgeatur, evincent, sacramenta non esse efficacia gratiae, imo nec esse ordinis supernaturalis, sed esse meras res materiales et naturales; neque enim aut virtus sacramentalis aut supernaturalis ratio signorum visibilis est. Itaque etiam quatenus sacramenta in se et obiective spectentur, iam falsum est, « nihil nisi quod sensibus pateat in definitione et natura sacramenti ponendum esse; » definitur enim signum *efficax gratiae*. Sicut Christus ipse Verbum incarnatum, ita et Ecclesia et omnia quae sunt in Ecclesia, totus cultus christianus, et sacramenta nominatim constant duplici principio visibili et invisibili (cf. th. IV.).

Nunc autem non quaeritur, quae sint elementa constituentia sacramentum; sed quae (supposita institutione) requirantur, *ut fiat sacramentum*. Cum sacramenta omnia perficiantur actione humana, quae ex potestate supernaturali ministris communicata proficiscatur, fateri etiam adversarii debent, requiri imprimis hanc potestatem supernaturalem in ministris, quae est invisibilis; requiri deinde voluntatem deliberatam ponendi actionem, quae item voluntas *in se* est invisibilis, et solum manifestatur per aliud scilicet per actionem externam. Ex eo autem ipso quod *actio* debet esse *ministerialis*, insuper requiritur saltem implicita voluntas seu intentio agendi non suo sed *auctoris principalis nomine*, quae item voluntas in se quidem est invisibilis, manifestatur tamen, si adest, per ipsam externam actionem. Discrimen inter manifestationem voluntatis solum *materialiter ponendi actionem* et manifestationem *huius voluntatis eam ponendi ut sacram*, illud solum est, quod prior voluntas *physice* haec altera intentio solum *moraliter* connectitur cum actione externa; atque ideo haec intentio absolute loquendo in uno vel altero ministro, non tamen *universaliter* potest abesse ab actione externa. Eo fere modo quo professio fidei est manifestatio fidei internae, et quia connexio est solum moralis (secundum quod homines ut in pluribus agere solent), potest quidem in uno aut altero esse simulatio professionis sine fide interna, non tamen id potest accidere ut in pluribus, multoque minus *in universa Ec-*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

clesia, tum moraliter spectato modo agendi hominum, tum maxime *theologice spectatis promissionibus divinis.*

Ad 6^{um}. Etiam in republica civili ubi de valore actuum quaeritur, is *vi solius actionis externae* non consistit. Aliud vero est, quod actibus forensibus potest quandoque aliunde forte valor acquiri, quando extrinsecus totum legitime peractum est. Sacramenta autem ut sint, non potest aliunde esse, quam si fiant eo modo quo Christus voluit ut fiant, adeoque etiam cum intentione et voluntate *ministeriali* sensu saepe iam explicato. Si adversarii huic suae doctrinae insistant, deducentur in errorem, quo e. g. matrimonium extrinsecus rite celebratum, dici deberet coram Deo validum, quantumvis in contractu defecerit et porro deficiat consensus internus.

Ad 7^{um}. et 8^{um}. responsio per se obvia est. Sive sit sive non sit necessaria intentio interna, in specialibus casibus fieri absolute poterit, e. g. per mutationem formae, ut sacramentum non conficiatur. At sicut formae ita et intentionis necessariae malitiosa perversio moraliter fieri nequit, nisi rarissime et ab hominibus perditissimis. Absoluta autem securitas de indefectibilitate Ecclesiae est *ex Christi promissionibus,* qui spopondit se futurum cum Ecclesia omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.

Ad 9^{um}. Si supponitur quod est demonstrandum, videlicet sacramentum confici et consistere absque intentione administrandi ritum ut sacrum, tum sane omnis talis intentio contraria non potest efficere, ut sacramentum non sit; et supposita consistentia sacramenti virtus et efficacia eius sine dubio est independens ab intentione ministri. Hoc itaque argumentum quo adversarii utuntur, nihil est aliud quam petitio principii, dum assumunt tamquam principium demonstrationis id, quod argumento ipso volunt demonstrare; confici scilicet sacramentum sola positione actus extrinsecus serii. Alio modo hoc idem dicere possumus. Duae intentiones ponendi actum extrinsecus serium et non faciendi illum ut sacrum sed mere materialiter, non sunt intentiones contrariae, quarum una efficax destruat alteram; sed possunt ambae simul consistere et esse efficaces, nisi iam

supponant adversarii id ipsum, quod volunt hoc argumento demonstrare, actum extrinsecus serium hac ipsa sua *specie seria* esse sacrum et sacramentalem. Exempla autem, quibus utuntur ignis admoti ad stupam et seminis in terram sparsi et mercium in mare proiectarum, non inepta erunt solum in sententia Lutheri. Ut enim ignis urat, semen germinet, merces pereant in mari, nulla prorsus requiritur intentio nec actus serius nec actus humanus in admotione, seminatione, proiectione; sed etiamsi totum fiat per iocum aut casu et indeliberate, effectus prorsus idem erit. Si ergo res aliqua obiectiva est instituta in sacramentum efficax, quocumque modo ponatur; vel si sacramenta sunt iuxta Protestantium haeresim mera doctrinalis annuntiatio et propositio promissionum Dei (th. XVI.), concedimus, nulla opposita intentione ministri posse fieri, ut sacramentum non consistat et proinde suum habeat effectum, sicut nulla opposita protestatione admoventis ignem fieri potest, ut ignis non sit et non urat. At si sacramenta conficiuntur et constant actione humana non quocumque modo posita, sed posita *ministerialiter* atque ideo saltem implicite nomine Christi seu *cum intentione in generali et in confuso faciendi quod facit Ecclesia,* ut evidenter, nisi fallor, demonstravimus; profecto actio etiam extrinsecus seria non erit sacramentum, si minister expresse velit eam ponere non ut sacram, nec saltem in confuso velit facere, quod per talem ritum Ecclesia seu christiani solent facere.

Venio nunc *ad auctoritatem* et *ad testimonia diserta,* quibus adversarii suam opinionem stabilire contendunt. Si eos sine examine legas, putares sententiam, cui se tantis studiis addixerunt, doctrinam esse vix non communem in Ecclesia.

1°. Habent pro se « sententiam decretoriam s. Augustini », deinde « testimonium evidentissimum et convincentissimum s. Thomae ». Quae qualia sint, iam in hac thesi n. II. et in scholio ad thesim antecedentem a nobis demonstratum est.

2°. Non desunt eis alia. Drouinius in « Probatione IV. ex decretis Ecclesiae », profert « praeclaram sane, quaeque nullo subterfugio eludi possit, sententiam Innocentii III.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

saeculo XIII: non est necesse, quod baptizans gerat in mente facere, quod facit Ecclesia; immo si contrarium gereret in mente, scilicet non facere, quod facit Ecclesia, sed tamen facit, quia formam servat, nihilominus baptizatus est, dummodo baptizare minister intendat (3. Decretal. tit. de baptism. et eius effect. cap. *Si quis puerum*) ». Huic citationi subdit vir doctus: « Iam si quis auctoritatem Innocentii elevari hinc posse putet, quod ita scripserit privatus canonici iuris interpres, longe antequam pontificatum teneret; hoc sibi responsum habeat: non ideo nos in hoc testimonio pondus ponere, quia a Doctore qualicumque prolatum est, sed quia ab Innocentio IV. iam tum Pontifice Maximo approbatum, solemnibus iuris decretis adscriptum et ab Ecclesia reverenter acceptum. » Ita ille.

In hac « nullo subterfugio eludenda sententia, » ut ab auctore magna eruditionis fama claro proponitur, duas distinguo partes, unam historicam alteram hermeneuticam. In *parte historica* nullum est verbum, quod non contineat errorem. Innocentius III. nec privatus Doctor nec Pontifex haec umquam scripsit, nec ab Innoc. IV. aut ab ullo alio sunt solemnibus Iuris decretis adscripta; nec enim exstant aut umquam exstiterunt in solemnibus Iuris decretis, neque adeo citata verba sunt in cap. *Si quis puerum*, nec hoc ipsum caput est Innocentii III. Sed locus citatus exstat in commentariis in Decretales ad cap. *Si quis puerum* (Alexandri III.), quos scripsit Innocentius IV. iam Pontifex quidem sed tamquam Doctor privatus, nec ii umquam in corpus Iuris sunt inserti. Audi quod cum communi omnium Doctorum sententia testatur Diplovatacius (in praefat. ad comment. Innocentii IV. ed. Iuntas 1578.) « Licet Innocentius existens Pontifex composuerit dictum apparatum, tamen sententiae ipsius non habent vim legis aut canonis... et refert Ostiensis in cap. *Solet* de sent. excomm. in 6°, quod saepe audivit Innocentium dicentem, quod non intendebat, ut suae glossae facerent ius. » Cf. Benedictum XIV. in praefat. ad ed. 2^am^. Operis de Synodo dioecesana. Haec de parte historica citationis, ut a Drouinio exornata est.

Ad *partem hermeneuticam* quod spectat, dicimus, Innocentium in citato loco commentarii ad cap. *Si quis puerum* evidenter postulare cum communi sententia ad valorem sacramenti intentionem non solum materialiter ponendi actum externum quamtumvis specie seria, sed *intentionem formalem faciendi ritum externum, ut Ecclesia vel christiani facere consueverunt;* et solum docere, non requiri intentionem *specialem* conferendi effectum, quem Ecclesia intendit, vel faciendi quod facit Ecclesia *vera*, quam minister non credat esse veram. Tota Innocentii doctrina de hac re l. c. p. 187. ita habet. « Si formam veram dicat et non credat illam veram formam sed aliam, non erit baptizatus, et hoc *ideo quia non intendit baptizare*, quod ex eo appareret, quia formam veram *dicere non intendit* » n. 2. « Nota quod ad hoc, quod aliquis baptizatus sit, necessarium est, quod baptizans *intendat baptizare et non tantum balneare* vel carnes lavare; nec tamen videtur necesse *quoad effectum baptismi*, quod sciat, quid sit baptismus, seu quod ibi infundatur gratia, vel quod sit sacramentum; nec etiam oportet, quod credat hoc ipsum (en intentiones *speciales*); imo etsi contrarium credit et totum reputat truffam et deceptionem, tamen baptismus suum habet effectum. Item non est necesse, quod baptizans sciat, quid sit Ecclesia, quid baptizatus (baptismus?), vel unde sit, nec quod gerat in mente facere quod facit Ecclesia, imo si contrarium gereret in mente, scilicet non facere quod facit Ecclesia, (scilicet Ecclesia catholica, sola vera Ecclesia), sed tamen facit, quia formam servat, nihilominus baptizatus est, *dummodo baptizare intendat*. Unde si aliquis in casu necessitatis constitutus vel sine necessitate vadat ad Saracenum et dicat: baptiza me, et doceat eum formam; et ille Saracenus baptizet non credens per immersionem aliquid aliud fieri nisi madefactionem, et intendat eum baptizare vel etiam madefacere *secundum intentionem petentis baptismum, ut baptismus operetur, quidquid operari potest*, et ipse baptizans *tamquam minister conferat, quod alii baptizantes conferunt*, licet non credat ipsum posse aliquid operari, vere baptizatus est; *sed si hoc non intenderet, non baptizaret.* » Itaque docet Innocentius, *a*) non sufficere ob-

servationem ritus externi, etiamsi fiat in debitis adiunctis, puta cum aliquis baptismum ministrat rogatus, nisi intendat *baptizare* h. e. ritum administrare christianorum, et *non solum balneare* h. e. solam actionem externam ponere cum intentione, ut non sit ritus christianorum; *b*) docet, hanc intentionem necessariam debere esse saltem *in generali* et *in confuso* conferendi ritum iuxta intentionem petentis, et ut christiani eum conferre solent; *c*) non esse necessariam intentionem *specialem* conferendi sacramentum iuxta fidem etiam ipsius ministri verum aut efficax gratiae, aut faciendi quod facit Ecclesia vera; immo *supposita intentione vere baptizandi*, ait, etiam per expressam exclusionem intentionis *specialis* non tolli valorem baptismi. Atqui haec est doctrina communis excludens omnino doctrinam eorum, quos hic confutamus.

3°. Sub eadem probatione IV. « ex decretis Ecclesiae » recenset Drouin et ante ipsum amplificaverat Serry (Vindic. Vindiciar. c. 6.) decreta Conciliorum provincialium Galliae, et responsiones magistrorum Parisiensium ad solutionem duplicis funestissimi casus datas « vidente nec reclamante Gallicana Ecclesia ». A Conciliis Rothomagensi 1581. et Aquensi 1565. sancitum est, ratum haberi debere baptisma a Calvinianis collatum hac ratione, « quia constabat Calvinistas *in coetu publico baptizare in forma verborum et materia a Christo Domino instituta* ». Porro decreta haec edita sunt ad abolendam opinionem et tollendum abusum quorumdam negantium valorem baptismi apud Calvinianos, « quia non intendunt baptizare *in remissionem peccatorum* ».

Ad argumentum ex hoc Conciliorum decreto habes responsionem in superioribus; sane enim intentio *specialis* baptizandi *in remissionem peccatorum* non est ad valorem sacramenti necessaria, dummodo adsit intentio *generalis* faciendi quod facit Ecclesia. Haec autem Calvinianis non deerat, et in eam distinctius inquirere nihil opus erat, sed quando constat de observatione ritus essentialis externi, ut supra diximus, intentio necessaria universim loquendo potest et debet supponi.

Quod spectat ad sententiam, quae obiicitur theologorum Parisiensium; etiamsi totum factum concederetur, quod

adversarii narrant, certe non posset huiusmodi ad summum scientifica resolutio privatorum theologorum recenseri inter « probationes ex decretis Ecclesiae ». At praeterea tota historia ad fucum exornata est, et si inspiciatur res ipsa, ut accidit, vel nihil omnino ex ea probatur, vel probatur potius oppositum. Narratio a Serry et Drouinio ita est composita: mediante saeculo XVII. (1) impium Ludovicum Gaufredum parochum Massiliensem ante mortem publice fassum esse, se per viginti annos in baptizando « totum quod agebat exterius, secretiori intentione retractasse et infantes quos lustrabat, diabolo devovisse ». Porro « sententiam rogati Doctores Sorbonici, pronuntiarunt nihil esse iterandum, stetisse baptismata rata validaque.... Idem secutis aliquot annis Doctores Sorbonici pronuntiarunt occasione Petri Lavardini Cenomanensis Episcopi, qui pariter morti proximus denuntiaverat, nullum se sacris Ordinibus occulta secretaque mente initiare voluisse, tametsi sacros de more ritus serio peregisset ». Ita Serry l. c. n. 7. allegans testem Iacobum Sanctabovium in solut. casuum Consc. T. II. cas. 17. atque concludens, facta haec et de eis lata iudicia in Galliis esse « lippis et tonsoribus nota ».

Adeamus in primis Iacobum de Sainte-Beuve in loco, ad quem Serry appellat, cass. 16°. et 17°. Iam vero historia ibi longe est alia. Plus quam triginta annis demum post mortem Episcopi sparsus est rumor, illum tempore, quo Ordinem suscepit, fuisse hominem atheum. Quamvis vero constabat, posterioribus annis vitam egisse Episcopo dignam; dubia tamen oriebantur, utrum, si vera esset fama de hominis impietate, habuisset aut habere potuisset sufficientem intentionem in susceptione et deinceps in administratione Ordinum. Propter haec dubia, licet fama illa impietatis esset incerta et per calumniam sparsa palam diceretur, nihilominus Episcopus aliquis sacerdotes iam senes, qui ab

(1) Scribens Serry 1730 ait: factum accidisse « ante annos circiter octoginta; » nempe eo ipso tempore, quo sententia Catharini fatente Serrio « conclamata et deplorata videbatur. » Quomodo ergo magistri Parisienses responsa dare poterant secundum hanc « deploratam sententiam »? Cf. supra p. 235 nota 2.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

illo antecessore ordinati adhuc erant superstites, reordinare coepit. Haec dum gererentur, Iacobus de Sainte-Beuve et aliqui alii theologi rogati sunt sententiam. Respondit ille, talem famam censendam esse calumniam (1); etsi autem vere homo fuisset impius, tamen non debere supponi defectum necessariae intentionis sive in susceptione sive in ministratione Ordinum, neque per reordinationem tantas turbas esse movendas.

Quoad parochum Massiliensem apud Sanctabovium nihil aliud reperitur, quam haec allusio confusa: « ordinarie *non creditur ministris* asserentibus, se non habuisse intentionem; reperti sunt sacerdotes qui damnati ob artes magicas et alia crimina iurabant, se numquam habuisse intentionem baptizandi, neque ideo captum est consilium repetendi baptismum; Fusy curio ad s. Lucae factus apostata idem declarabat, nec quisquam praeter unam nobilem feminam iterum baptismo perfundi postulabat. » (De fide non facile habenda huiusmodi assertionibus defectus intentionis vide Benedictum XIV. in edicto de Baptism. Hebraeor. Bullar. T. II. n. 50. p. 224.)

Insuper Lambertus Gaud Ord. Praed. theologus Avenionensis in dissertatione edita adversus theologum Patavinum (Serrium) probat ex actis authenticis causae criminalis, Gaufredum multa quidem alia crimina sed numquam hoc fassum esse de baptismo collato ad infantes daemoni devovendos. Probat idem ex certis documentis, Petrum Lavardinum nullum umquam fuisse Episcopum; Philibertum Lavardinum non de tali impietate vel de defectu intentionis in suscipiendis aut conferendis Ordinibus, sed hoc uno

(1) « Le fait n'est pas certain, et même il est calomnieux. Ceux qui ont accusé ce Prélat de ce crime, n'en ont jamais apporté de preuves suffisantes. On n'a jamais dit depuis sa consécration jusqu'à sa mort, qu'il ne s'est soumis à cette cérémonie que par une complaisance comique et de divertissement... et au contraire on sait qu'il a voulu être évêque, et qu'il s'est soumis à recevoir cette cérémonie fort sérieusement. Quand on avance que depuis il n'a pas fait le fin sur cette affaire, on l'avance legèrement et faussement etc. » Illi ipsi qui casum proponebant, appellant « *un bruit qui court*, lequel *tout mal fondé qu'il est*, ne laisse pas d'embarrasser. »

nomine paulo ante mortem publice se ipsum incusasse, quod contra canones saepe a dioecesi abfuerit. (Vide Billuart Dissert. V. a. 7. §. 2. obiect. 4.) Fama itaque multis annis post obitum sparsa ad populares rumores nullis rationibus probatos amandanda est, quo sensu Serry fortasse non male gloriatur, has historiolas notas fuisse « lippis et tonsoribus ». Quod autem pertinet ad quaestiones et responsiones occasione horum rumorum provocatas, illae versabantur vel unice vel potissimum circa necessitatem fidei, utrum scilicet homo incredulus possit habere intentionem sufficientem ad Ordines valide suscipiendos et conferendos. Quo de capite satis a nobis actum est in superioribus.

4°. Praesidium denique quaerunt adversarii in auctoritate Pontificum Clementis XI. et Benedicti XIII, tum in numero et gravitate theologorum sibi consentientium. Etiam post decretum Alexandri VIII, aiunt, sententiam Catharini « Summi Pontifices tutam sanamque iudicasse comperiuntur (audi, qua ratione!); nam Clemens XI. Illmi Francisci Genetti Vasionensis Episcopi Moralem Theologiam, ubi expresse doctrina haec traditur in append. T. III, sanctissimo suo nomini nuncupari et edi in publicum benigne concessit; et anno 1725. Benedictus XIII. Summam Alexandrinam, ubi eadem sententia stabilitur T. I. p. 32. n. 47, publicari iussit ». Ita Drouin (ad obiect. 3iam). Praeterea « nonnulli primae notae Praesules consultores, qui in ferenda sententia iudices sederant, serio interrogati ab ipsomet P. Serry, num Catharini sententiam eo decreto proscribere voluissent, semel iterumque id pernegarunt, professique sunt aliud longe a Catharini systemate ea proscripta propositione contineri. » Insuper post illud decretum « pari qua ante libertate Romae saepius publice eadem sententia propugnata est hodieque defenditur (circa an. 1737.). In sacra Parisiensium facultate, in Tolosana, in celeberrima Cadomensi, et aliis Galliarum generalibus studiis paene sola iam obtinet; in Academia Taurinensi, in Bononiensi, in Patavina et aliis per Italiam florentissimis scholis probantibus s. fidei inquisitoribus propugnatur, defenditur, stabilitur ». Idem ibid. Habent ad abundantiam ex veteribus theologis « eiusdem

sententiae vindices omni exceptione maiores, Magistrum sentent., Petrum Cantorem, Praepositivum, Robertum Pullum, Doctorem Angelicum, Innocentium IV, Petrum Paludanum, Sylvestrum, Chrysostomum Favellum, Angelum de Clavasio et quamplures alios », ut ait Drouin (ad obiect. 1^am^), vel « alios nonnullos, quorum nomina sibi excidisse », Serry (cap. 5.) profitetur. Examinemus parumper rhetoricum hunc apparatum.

a) Est intolerabilis disputandi modus, ut ex dedicatione aut ex permissione vel etiam generali commendatione alicuius libri continuo provocare audeant ad auctoritatem summi Pontificis pro libro integro et pro singulis doctrinae capitibus et propositionibus in eo comprehensis. Ceterum Genettus in editione gallica an. 1703. T. III. c. 4. ad finem laudat quidem tamquam probabilem sententiam Contensoni et aliorum; at in editione latina anni 1705, cui praefigitur epistola dedicatoria ad Clementem XI, totus ille locus expunctus est. Unde maiori iure potest retorqueri argumentum. In Summa Alexandrina concinnata ex Opere Natalis Alexandri l. c. solum docetur, perversam ministri intentionem etiam devovendi per baptismum infantes daemoni non destruere valorem sacramenti, *dummodo vere baptizare intendat*. Natalis Alexander ipse in Theol. Dogm. Morali de Sacram. in genere art. 3. regul. 1. statuit, si quando casus occurreret defectus intentionis internae servata tota forma et solemnitate externa, non iam continuo acquiescendum, sed Sedem Apostolicam consulendam esse.

b) Quod iactant de « Consultoribus nonnullis, qui iudices sederant, » in primis non de Consultoribus sermo est in illo decreto; sed ipse « *Sanctissimus* (Alexander VIII.) *statuit ac decrevit* supradictas propositiones (inter quas illa 28. de intentione *externa*) esse damnandas et prohibendas. » Tum vero, quae Consultores adstricti secreto servando respondere solent huiusmodi exploratoribus, plerumque sunt ambigua et propterea non idonea ad quidquam certi statuendum. Poterant illi iure asseverare « serio interroganti » Hyacintho Serry, non esse damnatam sententiam Catharini; non enim Catharini sed alterius theologi propositio delata

et iudicata est, Catharini autem quis sit genuinus sensus, non omnes in interpretando conveniunt.

c) Unde habeant, quod referunt de theologis in urbe publice ipsorum opinionem tuentibus, equidem ignoro. P. Lambertus Gaud quem supra nominavi, eadem aetate habet testimonia contraria, « esse scilicet in urbe neminem, qui opinionem de externae intentionis sufficientia vel tueri publice vel privatim dictare audeat » (Billuart l. c.). Immo quadriennio post Drouinii illam appellationem ad theologos urbis et ipso adhuc superstite prorsus contrarium testatur theologus Romae tum apud suos Regens Studiorum et fama clarus, qui, quid hic ageretur, ignorare nequibat. « Indubitatum est, ait Berti, Catharini sententiam, ut propugnatur a praelaudatis scriptoribus (Iuenin, Serry, Drouin), *male hac aetate audire*, adversam communi approbatione teneri, theses solam intentionem externi ritus adstruentes non solum per Ordinarios locorum verum etiam per Romanos censores, ac praesules dispungi. » (Ita ille anno 1741. l. XXX. c. 16.) Cum his et cum altero testimonio Caroli d'Argentrée supra recitato conferatur ad pompam composita oratio de consensu Academiarum Galliae. Bononiae tum quando scripserunt Serry et Drouin, erat Archiepiscopus Prosper Lambertini (postea Bened. XIV.) perpetuus illius sententiae adversarius, ibidem docuerat eiusdem sententiae impugnator Card. Gotti. Patavii utique Serry ipsam pro aris et focis defendebat; nec inficias certe ibo, hominem eloquentem pluribus eandem persuasisse. At communis et contra novam in suo iure possessionis constans semper mansit sententia antiqua.

Ex veteribus theologis, quos sine citatione textuum aut indicatione locorum sibi suisque partibus vindicant, Magister docet, non esse baptismum, si quis in aquam mergatur in nomine Trinitatis, « *nisi intentione baptizandi illud geratur*. Nam in hoc et in aliis sacramentis *sicut forma est servanda, ita et intentio illud celebrandi est habenda* » 4. dist. 6. Robertus Pullus statuit, valere baptismum, « cum quis ioco atque risorie baptizat, dum tamen *regulam baptizandi* non excedat. Sic si quis sacerdos pec-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

cata confitentem irrideat, nihilominus tamen irriso recte consulat, reus a reatu nihilominus absolvitur » Sentent. P. V. c. 15. Hic nisi affingas Pullo sententiam Lutheri, fatearis oportet non externis adiunctis sed sola intentione interna determinari actionem ad rationem sacramenti; certe cum sententia Catharini nullam Pullus praesefert cognationem. Doctrinam Innocentii IV. et s. Thomae satis in superioribus vindicavimus. Porro Angelus de Clavasio (Summa Angelica v. Baptismus §. V. n. 7.) ipsa verba recitat Innocentii. Paludanus memorat quidem opinionem de sufficientia intentionis externae velut probabilem, sed oppositam ait « tamquam *communiorem et tutiorem esse tenendam* », et continuo subdit confutationem argumentorum, quae pro altera illa sententia attulerat (4. dist. 6. q. 2.). Tractatus Praepositivi et Petri Cantoris de sacramentis dicuntur latere manu scripti, quos nec ego potui consulere, nec puto, qui tam confidenter ad ea nomina provocarunt, fuisse hac in re multo eruditiores. Manent ergo ex longa illa serie « vindicum omni exceptione maiorum » Sylvester Prieras, et Chrysostomus Iavellus in sua Philosophia Christiana P. V. tract. II. c. 6. dub. 4°, qui tamen in tota expositione doctrinae de sacramentis tam multa dicit aperte falsa, ut eius auctoritas non solum non omni exceptione maior sed omnino nulla mihi esse videatur. His si addamus Aureolum, habebimus fere numerum conclusum praeformatorum sententiae Catharini, qui quidem scriptis inclaruerint.

Omnia itaque argumenta, quae ad stabiliendam opinionem a nobis impugnatam sive ex principiis theologicis deducuntur, sive petuntur ex auctoritate directisque testimoniis, puto non immerito dixi ita comparata, ut neque per se spectata multo vero minus comparata cum rationibus oppositis vim probandi habeant, nec certitudinem sententiae communis infirmare valeant. Certe opinionis adversae patronis nec ingenium, nec eruditio, nec facundia deerat, sed deerat causae veritas.

CAPUT VI.

DE SEPTENARIO SACRAMENTORUM NUMERO

THESIS XVIII.

Demonstratur numerus sacramentorum dogmatice ex universali consensu Ecclesiae, unde polemice infertur argumentum evidens praescriptionis.

« Septem esse novae legis sacramenta proprie dicta, Ecclesiarum » christianarum (non exceptis communionibus orientis vetusto schismate » ab Ecclesia catholica divulsis) professio est unanimis eaque ita com- » parata, ut sacrum hoc institutum ab ipso Ecclesiae conditore per Apo- » stolos traditum esse plane demonstret. »

Quod ex tractatu de traditione constat et hic a nobis supponitur, dogmatis cuiusvis antiquitas absoluta h. e. apostolicitas ac proinde credenda veritas demonstrari potest dupliciter, videlicet *directe* disertis Scripturae et traditionis testimoniis, ut in christianae antiquitatis monumentis consignata supersunt, vel *indirecte* demonstrando fidem Ecclesiae aut simpliciter aut nominatim ante exortam controversiam in consensu ita comparato, ut cum eo apostolicitas doctrinae necessario conserta esse intelligatur (cf. supra th. XII. n. I).

Iam vero cum ad veritatem uniuscuiusque ex septem sacramentis demonstrandam testimonia Scripturae et christianae antiquitatis pertineant singulis sacramentis propria, facile patet, demonstrationem illam *directam* septenarii numeri sacramentorum non posse esse nisi synthesin ex omnibus specialibus tractatibus de sacramentis. Neque enim sive in Scripturis sive a sanctis Patribus usque ad saeculum fere XII ea synthesis iam facta, et sacramenta omnia novae legis sub uno numero comprehensa ac plena tractatione velut sub uno conspectu posita reperiuntur. Quare in hoc nostro tractatu *de sacramentis in genere*, ubi quaerimus non quod privum est et proprium singulis, sed solum quod est commune omnibus, demonstratione tantum *indirecta*, ea vero non minus efficaci, dogma catholicum vin-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

cata confitentem irrideat, nihilominus tamen irriso recte consulat, reus a reatu nihilominus absolvitur » Sentent. P. V. c. 15. Hic nisi affingas Pullo sententiam Lutheri, fatearis oportet non externis adiunctis sed sola intentione interna determinari actionem ad rationem sacramenti; certe cum sententia Catharini nullam Pullus praesefert cognationem. Doctrinam Innocentii IV. et s. Thomae satis in superioribus vindicavimus. Porro Angelus de Clavasio (Summa Angelica v. Baptismus §. V. n. 7.) ipsa verba recitat Innocentii. Paludanus memorat quidem opinionem de sufficientia intentionis externae velut probabilem, sed oppositam ait « tamquam *communiorem et tutiorem esse tenendam* », et continuo subdit confutationem argumentorum, quae pro altera illa sententia attulerat (4. dist. 6. q. 2.). Tractatus Praepositivi et Petri Cantoris de sacramentis dicuntur latere manu scripti, quos nec ego potui consulere, nec puto, qui tam confidenter ad ea nomina provocarunt, fuisse hac in re multo eruditiores. Manent ergo ex longa illa serie « vindicum omni exceptione maiorum » Sylvester Prieras, et Chrysostomus Iavellus in sua Philosophia Christiana P. V. tract. II. c. 6. dub. 4°, qui tamen in tota expositione doctrinae de sacramentis tam multa dicit aperte falsa, ut eius auctoritas non solum non omni exceptione maior sed omnino nulla mihi esse videatur. His si addamus Aureolum, habebimus fere numerum conclusum praeformatorum sententiae Catharini, qui quidem scriptis inclaruerint.

Omnia itaque argumenta, quae ad stabiliendam opinionem a nobis impugnatam sive ex principiis theologicis deducuntur, sive petuntur ex auctoritate directisque testimoniis, puto non immerito dixi ita comparata, ut neque per se spectata multo vero minus comparata cum rationibus oppositis vim probandi habeant, nec certitudinem sententiae communis infirmare valeant. Certe opinionis adversae patronis nec ingenium, nec eruditio, nec facundia deerat, sed deerat causae veritas.

CAPUT VI.

DE SEPTENARIO SACRAMENTORUM NUMERO

THESIS XVIII.

Demonstratur numerus sacramentorum dogmatice ex universali consensu Ecclesiae, unde polemice infertur argumentum evidens praescriptionis.

« Septem esse novae legis sacramenta proprie dicta, Ecclesiarum » christianarum (non exceptis communionibus orientis vetusto schismate » ab Ecclesia catholica divulsis) professio est unanimis eaque ita com- » parata, ut sacrum hoc institutum ab ipso Ecclesiae conditore per Apo- » stolos traditum esse plane demonstret. »

Quod ex tractatu de traditione constat et hic a nobis supponitur, dogmatis cuiusvis antiquitas absoluta h. e. apostolicitas ac proinde credenda veritas demonstrari potest dupliciter, videlicet *directe* disertis Scripturae et traditionis testimoniis, ut in christianae antiquitatis monumentis consignata supersunt, vel *indirecte* demonstrando fidem Ecclesiae aut simpliciter aut nominatim ante exortam controversiam in consensu ita comparato, ut cum eo apostolicitas doctrinae necessario conserta esse intelligatur (cf. supra th. XII. n. I).

Iam vero cum ad veritatem uniuscuiusque ex septem sacramentis demonstrandam testimonia Scripturae et christianae antiquitatis pertineant singulis sacramentis propria, facile patet, demonstrationem illam *directam* septenarii numeri sacramentorum non posse esse nisi synthesin ex omnibus specialibus tractatibus de sacramentis. Neque enim sive in Scripturis sive a sanctis Patribus usque ad saeculum fere XII ea synthesis iam facta, et sacramenta omnia novae legis sub uno numero comprehensa ac plena tractatione velut sub uno conspectu posita reperiuntur. Quare in hoc nostro tractatu *de sacramentis in genere*, ubi quaerimus non quod privum est et proprium singulis, sed solum quod est commune omnibus, demonstratione tantum *indirecta*, ea vero non minus efficaci, dogma catholicum vin-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

dicabimus in Trid. Concilio hisce verbis iterum definitum. « Si quis dixerit sacramenta novae legis non fuisse omnia a Iesu Christo Domino nostro instituta, aut *esse plura vel pauciora quam septem,* videlicet: Baptismum, Confirmationem.... aut etiam *aliquod horum septem non esse vere et proprie sacramentum;* anathema sit » sess. VII. can. 1.

Dicimus consensum universalem occidentis et orientis in hoc dogma iis characteribus esse insignem, ut, suppositis principiis generalibus de traditione, per eum *theologice* manifestetur, et ex eo *historice* inferatur origo doctrinae a Christo per Apostolos traditae Ecclesiis.

I. Quando saeculo XVI Novatores modo duo, modo tria, quatuor, unum, nulla sacramenta esse dicere coeperunt; ex multis saltem iam saeculis Ecclesia catholica universa publice, diserte, quotidiano usu et solemni doctrina profitebatur ut dogma fidei, septem esse sacramenta novae legis. Haec inquam erat ex multis saeculis constans nullis dubiis aut controversiis interpolata quotidiana theoria et praxis totius Ecclesiae in unione et consensione cum Ecclesia Romana, cum Ecclesia Petri, ad quam « propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos qui sunt undique fideles, in qua semper ab his qui sunt undique, conservata est ea, quae est ab Apostolis traditio » (Iren. III. 3.).

Catechesin s. Ottonis Bambergensis, Apostoli Pomeranorum, circa an. 1127. describit testis synchronus et apostolici viri comes. S. Episcopus iam discessurus fidelibus a se institutis velut testamentum relinquens inter cetera ita loquitur. « Discessurus a vobis trado vobis, *quae tradita sunt nobis a Domino*, arrham fidei sanctae inter vos et Deum, *septem scilicet sacramenta Ecclesiae*, quasi septem significativa dona Spiritus Sancti... Videte ergo et tenete, ut sciatis diligenter enumerare, quae tradimus vobis discedentes a vobis. Primum ergo sacramentum est, quo iam imbuti estis, sacrosanctus baptismus...] Secundum sacramentum est Confirmatio, id est unctio chrismatis in fronte. Hoc sacramentum victuris est necessarium, videlicet ut Spiritus Sancti corroboratione muniantur et armen-

tur... Tertium sacramentum est Unctio infirmorum, quod ideo morituris est necessarium, quia in illa unctione per virtutem Spiritus Sancti remissio datur peccatorum, et ipse qui moriturus est, contra spirituales nequitias i. e. contra malignos spiritus in exitu vitae animabus insidiantes eadem Spiritus Sancti virtute pugnaturus armatur... Quartum sacramentum est Eucharistia, id est corpus et sanguis Domini.... Quodsi non potestis, quia carnales estis, huic tam sanctissimae rei per vos ad omnes Missas participari, saltem per mediatorem vestrum scilicet sacerdotem, qui pro vobis communicat, fideliter, reverenter et devote Missas audiendo communicate. Oportet tamen et vos ipsos ter vel quater in anno, si amplius fieri non potest, et confessionem facere atque ipsi sacramento communicare... Quintum sacramentum est per poenitentiam Reconciliatio lapsorum... Sextum sacramentum est Coniugium... Septimum sacramentum est Ordinatio sive consecratio Clericorum... Ista ergo *septem sacramenta* quae iterum vestri causa enumerare libet, Baptismum, Confirmationem, infirmorum Unctionem, Eucharistiam, lapsorum Reconciliationem, Coniugium et Ordines per nos humiles suos paranymphos sponsus coelestis in arrham verae dilectionis vobis Ecclesiae suae transmittere dignatus est... docete ea filios vestros, ut memoriter teneant et diligenter observent in omnes generationes ». In Vita s. Ottonis 2. Iulii apud Bolland. T. I. Iulii p. 396. 397.

Connumeratio omnium *septem sacramentorum* cum statutis specialibus observandis in eorum administratione vel cum singulorum declaratione pariter exstat in « synodicis Constitutionibus » Odonis Episcopi Parisiensis an. 1197. (Mansi T. XXII. p. 677. sq.); in professione fidei ab Innocentio III. praescripta Waldensibus an. 1210. (Bullar. T. III. P. I. p. 142); in « Constitutionibus » Richardi Episcopi Sarum in Anglia, quae eadem repetuntur in Concilio Dunelmensi an. 1217. vel 1223. (Mansi XXII. p. 110. cap. 13.); in « Statutis » editis a Stephano Langton Archiep. Cantuar. an. 1222. « legendis in Concilio Oxoniensi » (ib. p. 1173.); in « Capitulis Concilii Londinensis » praeside legato Apostolicae Sedis an. 1237. cap. 2. (ib. T. XXIII. p. 448.) et

in « Constitutionibus synodalibus » Anglicis an. 1237. (ib. p. 465.); in Concilio Constantiensi inter articulos, de quibus interrogandi suspecti haereseos (n. 15–22.); immo idem numerus agnoscitur ab ipsis Husitis (ib. sess. XV. ar. 8.); in Conc. Florent. decret. pro Armenis.

Sicut in enumeratis monumentis ecclesiasticis saec. XII. et deinceps ita et apud omnes theologos inde a scholae exordiis in tractatibus, quibus scientifice certo ordine modoque totam de sacramentis doctrinam proponunt atque illustrant, numerus sacramentorum comparet ut numerus conclusus, in Ecclesia notissimus, a Patribus inde ab Apostolis traditus. Res enim ipsa talis est, ut ex sua natura eo ipso, quod in universa Ecclesia reperitur consecrata usu et doctrina, non nisi a Christo per Apostolos tradita credi possit (cf. tract. de Tradit. th. I. et VIII.). Hinc videmus omnes illos veteres theologos septem sacramenta, quae non iam ipsis demonstranda erant, sed *quae repererunt in Ecclesia tradita et quotidiano usu ac cultu frequentata*, sine controversia acceptare et tamquam nota supponere; totam vero eorum operam collocatam esse in declaratione naturae, finis, virtutis singulorum.

Sic eodem fere tempore, quo s. Otto Bambergensis tam dilucide neophytis Pomeranis doctrinam de sacramentis explicatam reliquit, Hugo Victorinus (nat. 1097. mort. 1141.) scribebat suos libros « de caerimoniis, sacramentis, et observationibus ecclesiasticis, » ubi l. I. c. 12. (T. III. fol. 160. col. 4.) ita refert, quae ipse acceperat et quae in Ecclesia quotidie usurpabantur. « Septem sunt principalia (1) sacramenta, quae in Ecclesia ministrantur; quorum quinque generalia sunt, quia ab eis neuter sexus, nulla aetas, conditio nulla excluditur; videlicet Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Poenitentia, Unctio infirmorum. Duo particularia sunt eo, quod non tribuantur omnibus sed quibusdam

(1) Hugo sumit nomen *sacramenti* sensu generico: « sacramentum, inquit, aliquando dicitur sacrae rei signum, aliquando quasi sacrum secretum » ibid. Hinc « *principalia* sacramenta » appellat ea, quae nos nominamus sacramenta *specifice et proprie dicta*.

hominum, Ordines scilicet et Coniugium. » Sequitur deinde singulorum declaratio.

Paulo post Hugonem Petrus Lombardus sicut collectis Scripturae et Patrum (maxime Augustini) sententiis, seu potius doctrina ex Scripturis et Patribus proposita et deducta (1), universam theologiam in sua capita et speciales tractatus distribuit; ita nominatim catholicam doctrinam de sacramentis uno continenter tractatu complexus est l. IV. dist. 1–42. Post definitionem ac declarationem, quid nomine sacramenti *proprie et specifice* dicti intelligatur: « sacramentum *proprie* dicitur, quod ita signum est gratiae Dei et invisibilis gratiae forma, ut ipsius imaginem gerat et causa existat, » Magister deducit in primis discrimen inter sacramenta veteris et novae legis, quae posteriora sola sunt sensu declarato sacramenta *proprie dicta* (dist. 1. cf. supra th. I). Tum connumerat sacramenta proprie dicta novae legis illi communi definitioni subiecta, non sane quasi ipse primum ea ex Scripturis aut Patribus eruisset et declarasset, sed ut ea reperit tradita in Ecclesia et perpetuo publico usu frequentata. « Iam ad sacramenta novae legis accedamus, quae sunt Baptismus, Confirmatio, Panis benedictio id est Eucharistia, Poenitentia, Unctio extrema, Ordo, Coniugium » (dist. 2.). Hac deinceps methodo inde a XII saeculo theologi universi sacramenta omnia septenario numero sub unum conspectum redegerunt (2) ita, ut

(1) « In labore multo ac sudore volumen, Deo praestante, compegimus *ex testimoniis veritatis in aeternum fundatis* in 4. libros distinctum, in quo *maiorum exempla doctrinamque* reperies.... Non igitur debet hic labor cuiquam pigro vel multum docto videri superfluus, cum multis impigris multisque indoctis, inter quos etiam mihi, sit necessarius, brevi volumine *complicans Patrum sententias appositis eorum testimoniis*, ut non sit necesse quaerenti librorum numerositatem evolvere, cui brevitas collecta, quod quaeritur, offert sine labore » Prolog. Magistri.

(2) Lombardi successor Petrus Pictaviensis eodem ordine comprehendit doctrinam de sacramentis Sentent. P. V. Post declaratam definitionem, causam institutionis, differentiam inter sacramenta veteris et novae legis ita prosequitur: « Sacramentorum novae legis alia sunt necessaria vel generalia, alia specialia quae et voluntaria dicuntur. Necessaria sunt, sine quibus vix habetur salus: ut Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Poenitentia, Unctio extrema. Voluntaria sunt, sine quibus

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

primum notas omnibus communes, et deinde proprietates distinguentes singula pertractarent, id quod sane claritati et ordini doctrinae atque, post abolitam iam pridem disciplinam arcani, institutioni populi christiani in catechesibus accidit commodissimum. Hinc factum est, ut cum primum Novatores aliqua ex traditis Ecclesiae sacramentis negare coeperunt, non solum doctrina Scripturae et Patrum *de singulis sacramentis*, sed multo etiam evidentius publica, solemnis, et universalis professio *de septem sacramentis novae legis in complexu* tamquam vallum ac munimentum obiiceretur et innovationi obsisteret.

II. Inter orientales distinguere possumus sectatores Photiani schismatis Graecos ac Russos, tum adscriptos aliis sectis vetustis, qui omnes in hoc dogmate tum inter se tum cum Ecclesia catholica consentiunt.

1°. Ecclesia graeca ex multis iam saeculis ab Ecclesia catholica diro schismate divulsa non solum eandem hac in re doctrinam quocumque modo sequitur; sed constanter et consensu unanimi idem dogma profitetur tamquam *ab Apostolis traditum Ecclesiae*, et contradictores non secus ac Ecclesia latina damnat haereseos et violatae fidei revelatae. Constat hic consensus Ecclesiae graecae cum latina argumento in primis negativo sed evidenti. Quoties enim actum est de reconciliatione et unione Ecclesiae graecae cum Ecclesia Romana, potissimum in Conc. Lugdun. II. et in Florentino saec. XIII. et XV, memorabantur quidem tum alia sive in fide sive in disciplina discrimina tum etiam diversitas aliqua in administrandis nonnullis sacramentis, Ba-

potest haberi salus: ut Ordo, Coniugium » P. V. c. 3. In fine tractatus ib. c. 17. explicite ponit *numerum conclusum* sacramentorum. « De ultimo *septem sacramentorum* id est extrema Unctione ultimo loco esset agendum, nisi quia fere nulla disputabilia circa ipsum audivimus, et si quae sunt, alibi sufficienter scripta continentur. » Milleni subinde commentatores sententiarum, qui privatas opiniones Magistri libere ubique subiecerunt examini, alias repudiarunt, alias censuris etiam notarunt, in hoc dogmate *de numero sacramentorum* novae legis non minus consentiunt quam in ceteris articulis fidei, quia scilicet in his non iam auctoritatem Magistri aut scholae (nisi quoad ordinem tractationis) sed universalem professionem catholicae Ecclesiae ducem sequebantur.

ptismi, Confirmationis, Eucharistiae; at nulla umquam facta est mentio dissensionis quoad ipsam substantiam doctrinae de sacramentis et quoad sacramentorum numerum (1). Cum hoc argumento negativo, quod iam per se aequivalet positivo disertae professionis, coniunguntur explicitae professiones Ecclesiae graecae. Huc pertinet Professio fidei ab Imperatore Michaele Palaeologo subscripta et Pontifici Gregorio X. oblata (an. 1274. Harduin VII. p. 695.), quae iterum est proposita Ioanni Palaeologo Andronici filio (an. 1366. Raynald. ad hunc ann. n. 6.).

Data opera et polemice fidem suam declaravit Ecclesia graeca saec. XVI. et XVII. adversus tentamina Protestantium, qui orientalium consensum cum sua nova doctrina ambitiosis studiis prensabant. Cum saec. XVI. Protestantes Tubingenses (Martinus Crusius, Iacobus Andreae etc.) ad conciliandam unionem Ecclesiae graecae cum sua secta praeter certos conatus transmisissent Patriarchae schismatico Constantinopolitano Ieremiae Confessionem Augustanam, Patriarcha prolixe anno 1576. et iterum 1579. et 1581. eam per singula capita confutavit. Ad cap. VII. de sacramentis fidem Ecclesiae orientalis ita testatur. « Dicimus, praeclare nobis sanctos tradidisse Patres unam, sanctam, catholicam et apostolicam totius populi christiani Ecclesiam esse... In ea item ipsa catholica et orthodoxa Ecclesia *septem divina sacramenta esse: Baptismum scilicet, sacri Chrismatis unctionem, sacram Communionem, Ordinem, Matrimonium, Poenitentiam et extremae Unctionis oleum*. Nam cum dona Spiritus Sancti teste Isaia septem sint, septem item sacra-

(1) Tempore Conc. Florentini cum Marcus Ephesinus in suo libello « ad omnes ubique terrarum et insularum christianos » inter ceteras causas separationis obiecisset, quod latini baptizant non immersione sed infusione aquae, et quod cum baptismo non coniungunt Chrisma; respondit Gregorius protosyncellus in sua « Apologia. » « Unum novit et Sed etiam Chrismate latini baptizatos inungunt, et *aeque ac nos do- cent initiationem Chrismatis esse unum ex septem sacramentis Ec- clesiae*. Adhibent vero illud, cum provectiore aetate sunt homines » Harduin. Concil. T. IX. p. 620. 621.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

menta, quae ab eodem Spiritu Sancto vim efficiendi habent, sint oportet; *non plura autem nec pauciora esse,* vel ipsa plena rei partitio demonstrat... Et haec quidem omnia salutis nostrae remedia *ipse Iesus Christus Deus et Dominus noster nobis tradidit et sancti eius Apostoli* » (Censura orientalis Ecclesiae interprete Stanislao Socolovio). Proponit Ieremias eodem loco amplam singulorum sacramentorum declarationem. Cum deinceps saec. XVII. Calviniani per Patriarcham Cyrillum Lucarim, quem in suas partes pertraxerant, suas haereses Ecclesiae graecae obtrudere conarentur, et Cyrillus in professione fidei a se edita 1629. 1631. 1633. cum aliis Calvinianis erroribus etiam c. XV. duo tantum sacramenta proprie dicta asseruisset Baptismum et Eucharistiam; omnes orientales Episcopi et Clerus universus toti huic doctrinae restiterunt tamquam haereticae innovationi, eamque solemnibus definitionibus damnarunt in synodo Constantinopolitana 1638. sub Cyrillo Contaru antea Berrhoeensi Metropolita et tum Lucaris successore in Sede Constantinopolitana, in altera Constantinopolitana 1642. sub Parthenio, in Hierosolymitana 1672. sub Dositheo. In synodo sub Parthenio, cui praeter Patriarcham et Petrum Mogilam, Metropolitam Kioviensem totius Russiae, subscripserunt Metropolitae et Episcopi 22, Archimandritae et praesules alii 21, quoad rem praesentem haec est orientalium doctrinae expositio. « In decimo quinto capitulo (Lucaris in sua professione) negat Ecclesiae sacramenta quinque, Sacerdotium, sacrum Chrisma, sacrum Oleum (το εὐχελαιον extremam Untionem), Confessionem per poenitentiam, et honorabile Connubium, quae omnia ut sacra et divinam gratiam conferentia (θειας χαριτος μεταδοτικα) *nobis antiqua reliquit traditio.* Duo vero alia sacramenta admittens, duobus deinde capitibus eorum virtutem non recte exponit. Nam baptismo ita iustificari putat baptizatum, ut perire is nullo modo possit... Divinam autem Eucharistiam ita convellit, ut nihil ipse aliud nisi nudam figuram ei relinquat, quasi adhuc in umbra veteris legis serviremus. Negat enim eum, qui videtur et comeditur, panem iam sanctificatum esse verum Christi corpus, sed spiritualiter tantum intellectum aut potius imaginando fictum, quod omni impietate plenum est.... Quapropter et haec capitula et interrogationes (quatuor subnexas a Lucari capitulis) communi suffragio penitus abolemus... omnibus declarantes, eorum scriptorem falso nos criminari, dum ait, privatam suam fidem esse orientalem christianae fidei Graecorum professionem, cum sit Calvinica, non nostra » (Labbei Conc. T. XV. p. 1716. seq.).

Exstat praeterea « Confessio orthodoxae fidei » adversus Confessionem Calvinianam Cyrilli Lucaris scripta a Metropolita totius Russiae Kioviensi Petro Mogila et 1643. a quatuor Patriarchis Parthenio Cpolitano, Ioannicio Alexandrino, Macario Antiocheno, Paisio Hierosolymitano, ab aliis Metropolitis, Episcopis et Clericis graecis approbata atque iterum in synodo Hierosolymitana 1672. confirmata velut genuina expressio fidei totius Ecclesiae orientalis (schismaticae). Agitur ibi de sacramentis a quaestione XCVIII. usque ad q. CXIX. et singulorum usus, natura, sanctitas et efficacia declaratur. Ad X. fidei articulum: « confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum », statim in ingressu tractationis q. XCVIII. haec leguntur. « Quoniam (hic fidei articulus) baptismatis mentionem facit, locum nobis opportunum praebet, ut explicemus *septem sacramenta Ecclesiae*, quae sunt haec: Baptisma, unguentum Chrismatis, Eucharistia, Poenitentia, Sacerdotium, honorabile Coniugium, et sacrum Oleum (το εὐχελαιον). Haec *septem sacramenta* respondent septem donis Spiritus Sancti, quoniam per ea Spiritus Sanctus dona sua et gratiam suam infundit animis eorum, qui sicut oportet ea suscipiunt » (ed. Lipsiae 1695. p. 154.).

Theologi graeci (schismatici) multi scripserunt de sacramentis, qui omnes sine ulla controversia de solemni sacramentorum numero in sua Ecclesia plene consentiunt, Simon Thessalonicensis (defunctus mense Sept. 1429. ante Conc. Florentinum), Gabriel Philadelphiensis, Meletius Syrigus, Coresius, Gregorius protosyncellus Coresii discipulus (diversus ab illo superius nominato) et alii.

Denique disertae hae professiones et declarationes ex recentiori occasione prolatae plenissime consentiunt cum doc-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

trina contenta in vetustis Euchologiis et libris liturgicis Ecclesiae graecae, in quibus ritus illi omnes, quos Ecclesia catholica docet sacramenta esse novae legis, exhibentur et describuntur quotidiano usu frequentandi cum iis orationibus et caerimoniis, ex quibus collatio gratiae et proinde ratio veri sacramenti intelligatur.

De his omnibus consuli possunt Arcudius de Concordia Ecclesiae occid. et orient. l. I. c. 2; Leo Allatius de Consensu Ecclesiae or. et occid. l. III. c. 16; auctores Operis de Perpetuitate fidei T. I. l. IV. c. 4; T. III. l. VIII; T. V. (Renaudot) l. I. c. 3–6. Cf. cl. Hefele in Period. trimest. Tubing. 1843. fasc. 4.

2°. Haeretici orientis in Asia et in Aegypto Nestoriani ac Monophysitae inde a saec. V. ab Ecclesia dissecti eandem *septem mysteriorum* fidem retinuerunt et adhuc profitentur, licet apud illas gentes in usu et administratione sacramentorum plurimos abusus barbarie praesertim et incuria Cleri inductos esse negari non possit. Probatur hic sectarum orientis consensus in commune dogma eodem fere modo, quo demonstrata est doctrina Ecclesiae graecae, tum ex Episcoporum illarum nationum attestationibus saec. XVII, quando primum Protestantium haeresis eis innotuit, tum ex libris liturgicis diversarum communionum, tum ex eorum testimoniis qui inter eas nationes de sacramentis scripserunt, tum ex publico usu. Legi possunt Assemani Bibl. Orient. T. II. de Monophysitis. dissertat. n. 5; de Nestorianis T. III. P. II. c. 7. §. 8. p. 240. seq.; Galanus in Opere « Reconciliatio Ecclesiae Armenae » T. II. p. 439. seqq.; Raynaldus ad ann. 1318, ubi agit de Ossinio rege Armeniae; Nairon in Euoplia p. 118. seqq.; auctores de Perpetuitate fidei T. III. c. 18–20, ubi habes attestationes Episcoporum et Cleri Syrorum p. 551, Coptorum p. 554, Armenorum p. 559. 562. 566, qui omnes iuxta fidem suae Ecclesiae profitentur credenda et semper credita esse *septem sacramenta*, quae nominatim enumerant.

De Coptis seu Monophysitis in Aegypto, ad quos pertinent Abyssinii (Aethiopes), exstat praeclara dissertatio Ioannis B. Solleri apud Bolland. T. V. Iunii, ubi sect. 3ª.

p. 140. seqq. de Coptorum fide ac disciplina in re sacramentaria agitur ex testimoniis Vanslebii maxime vero Patrum Bichot et Du Bernat, quibus ex diuturna familiaritate cum illis gentibus facultas erat et voluntas sincere indagandi rei veritatem. Sacramenta ex monumentis, praxi, et doctrina Coptorum numerantur ibi hoc ordine: 1°. Baptismus (tansir); 2°. Confirmatio (tetbit vel meirum); 3°. Confessio (eteraf); 4°. Oblatio, seu Sanctum, seu Sacrificium (korban, koddas, Seeida); 5°. Matrimonium (zanage); 6°. Sacerdotium seu Ordo (kahanut); 7°. Oleum lampadis, quo nomine apud alios etiam orientales designatur Unctio infirmorum (zeit-il-kandil).

Quando iam constat de consensione schismaticorum et haereticorum orientalium, Graecorum, Russorum et ceterarum Slavicae et Rumenicae linguae nationum, tum Syrorum et Chaldaeorum, Armenorum, Aegyptiorum, quisque videt quam luculenta in tali consensu contineatur demonstratio divinae et apostolicae traditionis. Si ante schisma illi Patriarchae, Episcopi, fideles non septem sed pauciora, duo puta vel tria, habuissent sacramenta in sua fide et quotidiana praxi tamquam divinam et apostolicam traditionem, fieri nullo modo potuit, ut inducto et confirmato iam schismate omnes illae Ecclesiae fide, communione, disciplina, ritibus, lingua, moribus tam diversae unanimi consensu forte a latinis aliquando suscepissent et adnumerassent sacramentis eos ritus, quos antea vel omnino ignorassent vel habuissent velut meras caerimonias non sacramentales. Quomodo nominatim Graeci superbissimo et caeco odio latinis semper infensi novum dogma ab his umquam admisissent? Graeci tamquam haereses et causas separationis praetendebant diversitatem non solum in magis explicita apud occidentales formula symboli, sed etiam in administratione Baptismi et Confirmationis, in pane azymo ad Eucharistiam celebrandam, in sacrificio per Quadragesimam, in coelibatu Clericorum, in more modoque ieiuniorum, in cantico Alleluia etc.; quomodo ergo, ubi primum advertissent discrimen in ipsa fide circa substantiam ac numerum sacramentorum, a sua pristina doctrina et praxi, quae sup-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

poni deberet, defecissent et latinis consentientes repente tamquam *traditionem apostolicam suae Ecclesiae transmissam* praedicare et in usum inducere coepissent sacramenta septenario antea incognito numero? Negari quidem non potest, theologos graecos de sacramentis scribentes Simonem Thessalonicensem, Gabrielem Philadelphiensem cum aliis, ipsumque auctorem « Confessionis orthodoxae, » de qua supra diximus, quoad methodum et expositionem scientificam ex theologis scholasticis latinis multum profecisse; at haec subsidia ex latinis non alia ratione adsciverunt, nisi quod cum dogmate suae communionis doctrinam, quam repererunt penes theologos latinos, viderunt plane consentientem.

Porro rationes expositae omnes aeque valent etiam quoad alias communiones orientalium sive Nestorianorum sive Monophysitarum; neque enim isti post factam separationem sive a Graecis sive a Latinis hoc dogma ubique terrarum in Syria, Chaldaea, Armenia, Aegypto in suam doctrinam et praxim postliminio suscepisse credi possunt. Ergo ille consensus qui circa numerum sacramentorum penes omnes has communiones tum inter se tum cum Ecclesia catholica nunc exstat, iam idem exstitit tempore Cerularii saec. XI, tempore Photii saec. IX, tempore Dioscori, Eutychetis, Nestorii saec. V.

III. Hisce positis 1°. sponte sese offert argumentum etiam *historicum*, ad necessariam illationem traditionis apostolicae. Neque enim talis consensus omnium Ecclesiarum orientis et occidentis inde a V. iam saeculo in tale dogma practicum et quotidianae applicationis in publico cultu et usu omnium fidelium, historice intelligi potest inductus per innovationem, quin innovationis, quomodo acciderit, ulla exstet memoria; atque adeo huius consensus origo esse nulla alia potest, quam primitiva institutio ipsius Christi fundatoris Ecclesiae et traditio ab Apostolis Ecclesiis transmissa, quam traditionem etiam diserte omnes sicut occidentales ita orientales tamquam fundamentum ac rationem huius suae professionis testantur. « Ecquid verisimile est, ut tot ac tantae (Ecclesiae) in unam fidem erraverint? Nullus inter multos eventus est unus exitus; variasse debuerat error doctrinae Ecclesiarum. *Ceterum quod apud multos unum invenitur, non est erratum sed traditum* » Tertullian. Praescript. c. 28.

Sequitur 2°. suppositis principiis de traditione catholica alibi demonstratis, multo adhuc evidentius argumentum *theologicum*. Ex multis saltem saeculis constans est et universalis fidei professio et consensus Ecclesiae catholicae doctrina et praxi manifestatus, solemnibus etiam declarationibus definitus, *septem esse sacramenta*, et unumquodque ex his septem esse vere et proprie sacramentum ad hominum sanctificationem divinitus institutum. Atqui talis fidei consensus *in Ecclesia catholica* ex promissionibus divinis est per directionem et assistentiam Spiritus Sancti prorsus infallibilis in credendo et docendo. Ergo dogma tali fidei consensu creditum certo continetur in deposito revelationis ac proinde, quoniam revelatio catholica per Christum ipsum et per Spiritum Sanctum in Apostolis est absoluta, talis consensus est criterium infallibile traditionis ab Apostolis derivatae (1).

Quamvis igitur positiva testimonia ad demonstrandum eundem consensum usque ad antiquissima tempora et ad aetatem apostolicam non suppeterent; imo quamvis (universim loquendo) constaret, dogma aliquod non quovis tempore fuisse eadem claritate, distinctione, definitione collustratum, sed aliquando nullo adhuc urgente adversario fuisse apud nonnullos ambiguum, in explicatione obscurius, usu magis quam diserta doctrina ac instanti praedicatione propositum ac retentum; subsequens tamen plenus consensus, quem diximus, sufficiens esset et certissimum criterium apostolicitatis doctrinae, atque argumentum infallibile, subsequentem maiorem claritatem, quae fere ex ipsa necessitate defensionis dogmatis oriri solet, prae antecedente tranquilla

(1) Per se patet, catholicis plenissime sufficere vel solam definitionem Conc. Tridentini; sed hic polemice agitur adversus eos, qui Tridentini infallibilem auctoritatem non agnoscunt; simulque modus inquiritur, quo praedicatio ecclesiastica ante Concilium se habuerit et traditio apostolica fuerit manifestata.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

sed minus explicita minusque distincta fide non esse innovationem, sed sub assistentia Spiritus veritatis legitimam antiquitatis explicationem. « Multa quidem ad fidem catholicam pertinentia, dum haereticorum callida inquietudine exagitantur, ut adversus eos defendi possint, et considerantur diligentius, et intelliguntur clarius, et instantius praedicantur, et ab adversario mota quaestio discendi existit occasio » Augustin. Civ. Dei XVI. c. 2. n. 1. « Denique quid umquam aliud Conciliorum decretis enisa est (Ecclesia), nisi ut quod antea simpliciter credebatur, hoc idem postea diligentius crederetur; quod antea lentius praedicabatur, hoc idem postea instantius praedicaretur; quod antea securius colebatur, hoc idem postea sollicitius excoleretur? » Vincent. Lirin. Common. n. 32. Ceterum quod ad praesens caput doctrinae de sacramentis adtinet, ipsa ratio practica dogmatis et quotidiana celebratio ac perpetuus usus sacramentorum ex parte tum pastorum tum fidelium satis demonstrat, doctrinam *de existentia et veritate* singulorum sacramentorum numquam potuisse non esse in explicita fide et professione. Hoc tamen non impedit, quominus admitti possit per aetatum decursum distinctior explicatio quoad naturam et administrationem singulorum sacramentorum, et quominus admitti possit ac debeat pro temporum diversa conditione profectus aliquis in modo tractandi ac proponendi doctrinam et in amplitudine ac claritate institutionis fidelium. Quare inepte eandem apud vetustos Patres ac apud recentiores theologos requireres tractationis methodum, multo etiam ineptius ex iis quae apud eos obscuriora sunt, inferres diversitatem non modi tantum sed etiam ipsius rei docendae. Haec animadversio quanti sit, clarius ex thesi sequenti apparebit.

Scholion. Quando iam constat, septem esse sacramenta a Christo redemptore instituta ad vitam supernaturalem generandam, confirmandam, nutriendam, restituendam, in ultimo agone purgandam, et defendendam, ad sanctificandam etiam naturalem societatis humanae propagationem, ad societatis supernaturalis gubernationem et sanctificationem per sacramenta et sacrificium; hac inquam institutione Christi iam supposita, facile in vita humana et sociali reperiuntur analogiae ad sufficientiam et congruentiam septenarii numeri sacramentorum, et ad divinam bonitatem et sapientiam in sacri huius cycli conclusione agnoscendam et laudandam. Habent huiusmodi analogias s. Thomas 3. q. 65. a. 1; s. Bonaventura 4. dist. 2. q. 3. et alii omnes theologi in h. l. Paulo aliter s. Bonaventura in Centiloquio P. 3. sect. 47. numerum sacramentorum componit cum necessitate triplici vitae christianae, ut sint « medicamenta vitiorum, adiuvamenta virtutum, armamenta militiae ».

THESIS XIX.

Explicatur modus connumerandi sacramenta penes ss. Patres.

« Quod vetusti Patres iis locis, quibus connumerationem aliquam » sacramentorum instituunt, non septem sed tria vel quatuor et quidem » constanter fere eadem recensere solent, id partim ex scopo peculiari » Patribus proposito, partim ex commoda sacramentorum distributione » in duas veluti classes perficientium et medicinalium, partim etiam ex » arcani disciplina opportunam habet explicationem; non autem inde » factum existimari potest, quod sacramenta reliqua veteribus fuerint » incomperta. »

Connumeratio aliqua sacramentorum reperitur apud Patres duplici diverso modo. Habent eam *a*) *per incidens* et ad exemplum nominando sacramenta aliqua manifesto citra scopum plenae enumerationis omnium. Sic Tertullianus unitatem humanae naturae ex anima et carne evincit inter cetera etiam ex sanctificatione per sensibilia sacramenta. « Caro *abluitur* ut anima emaculetur; caro *ungitur*, ut anima consecretur; caro *signatur*, ut et anima muniatur; caro *manus impositione* adumbratur, ut et anima Spiritu illuminetur; caro *corpore et sanguine Christi* vescitur, ut et anima de Deo saginetur. Non possunt ergo separari in mercede, quas opera coniungit » Resurr. carn. c. 8. cf. Praescript. c. 40. S. Basilius demonstraturus, non omnia dogmata totamque disciplinam christianam in Scripturis contineri, sed multa per solam traditionem esse con-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

servata, in exemplum etiam adducit ritus aliquot sacramentorum. « Invocationis verba, cum conficitur *panis Eucharistiae et poculum benedictionis*, quis sanctorum in Scripturis nobis reliquit; neque enim his contenti sumus, quae commemorat Apostolus aut Evangelium... Benedicimus et *aquam baptismi*, et *oleum unctionis*, et insuper ipsum baptizatum; ex quibus Scripturis?..... Ipsam porro *unctionem olei* qui sermo scriptus docuit? » Basil. de Spiritu Sancto c. 27. n. 66. cf. Iob monachum apud Photium Biblioth. cod. 222. n. 18. p. 595. Similes numerationes sunt apud Augustinum saepius. Dum disputat e. g. de valore sacramentorum apud haereticos, solet ad hominem arguere ex valore eorumdem ministratorum intra Ecclesiam a peccatoribus. « Si ad hoc valet quod dictum est in Evangelio, Deus peccatorem non audit, ut per peccatorem sacramenta non celebrentur; quomodo exaudit homicidam deprecantem vel super *aquam baptismi*, vel *super oleum*, vel *super Eucharistiam*, vel super capita eorum, quibus *manus imponitur?* Quae omnia tamen et fiunt et valent etiam per homicidas i. e. per eos, qui oderunt fratres, etiam in ipsa intus Ecclesia » Aug. de Bapt. V. c. 20. S. Isidorus agit de etymologia sicut aliorum nominum ita et nominis *sacramentum* et de sacramenti propria notione, non autem de sacramentorum numero. Unde ad definitionem propositis exemplis illustrandam adfert tria, quae omnibus essent nota utpote simul suscipi solita in prima ipsa initiatione christianorum, et quae ideo scopo auctoris sufficerent atque facile ab omnibus intelligerentur respondere definitioni propositae. « Sacramentum est in aliqua celebratione, quum res gesta ita fit, ut aliquid significare intelligatur, quod sancte accipiendum est. Sunt autem sacramenta *Baptisma*, et *Chrisma*, *Corpus et Sanguis*. Quae ob id sacramenta dicuntur, quia sub tegumento corporalium rerum virtus divina secretius salutem eorumdem sacramentorum operatur; unde et a secretis virtutibus vel a sacris sacramenta dicuntur » Isidor. Etymologiar. l. VI. c. 19. n. 39. 40. Ipsa Isidori verba transcripserunt Rhabanus Maurus de Institut. Clericor. l. I. c. 24. et Paschasius Radbertus de Corp. et Sang. Domini c. 3.

Alii Patres *b*) possent videri *tractatum de sacramentis* scripsisse, et proinde data opera voluisse ea numerare; habent enim tractatus et catecheses de sacramentis ad instruendos catechumenos iam « competentes (1) » vel neophytos iam initiatos baptismo, ut Ambrosius l. de Mysteriis; auctor ll. de Sacramentis l. III. c. 1. 2. (inter Opp. Ambros.); Cyrillus Hieros. in Catechesibus mystagogicis; alio fine Dionysius de Eccles. Hierarch. c. 1–5, et ex Dionysio Theodorus Studita ep. ad Gregor. filium (Opp. Sirmondi T. V. p. 654.). Attamen sicut fieri vidimus ab illis prioribus, ita etiam hi posteriores illis locis fere non recensent nisi *Baptismum*, *Chrisma*, *Eucharistiam*, hisque addunt *Ordinationem* vel aliqui (Tertullianus, Augustinus) *manuum impositionem*, quo nomine apud orientales quidem Ordinatio (χειροτονια) sed apud latinos aliquando *poenitentium Reconciliatio* significatur. Nihilominus tamen veteres Patres locis aliis, ubi opportunitas incidit, sacramenta etiam reliqua singillatim et seorsum spectata ita commemorant et ita describunt, ut manifesto intelligantur ea habuisse inter ritus divinitus institutos ad christianorum sanctificationem atque adeo inter sacramenta proprie dicta, quod ut supra monui (th. XVIII.), in tractatibus de sacramentis singulis demonstrandum est.

Non igitur negari potest, methodum in explicandis sacramentis multum differre apud antiquos a modo et coordinatione doctrinae, ut sequentibus aetatibus proposita habetur et exculta tum in Conciliis et Constitutionibus ecclesiasticis tum in disputationibus theologorum. Huius diversitatis ratio ad pleniorem traditae doctrinae intellectum nobis inquirenda est.

Quomodo factum est, ut nullus exstet veterum Patrum tractatus complectens omnia *septem sacramenta*, immo ut in tractatibus consulto scriptis ad institutionem de re sacramentaria comprehendantur tria solum aut quatuor Ba-

(1) De distinctione in quatuor gradus in *Audientes*, *Substratos*, *Competentes*, *Electos* seu, quae frequentior est, in *Catechumenos* (Audientes et Substratos) ac *Competentes* (Competentes et Electos) vide Card. Bona Rerum liturgic. l. I. c. 16. §. 4. T. I. p. 343.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ptismus, Chrisma, Eucharistia, addito aliquando sacramento Ordinis? Quomodo factum est, ut, si septem inde ab exordio Ecclesiae quotidie frequentabantur sacramenta, connumerationem solum per incidens et exempli causa instituentes non alii alia selegerint ex toto septenario numero, sed fere constanter eadem illa tria aut quatuor recensuerint? cum contra aevo paulo recentiori in Ecclesia tam occidentis quam orientis, immo in ipsis communionibus schismaticis et haereticis orientis, plene quoad hoc dogma consentientibus cum Ecclesia Catholica, prostet doctrina integra uberrime declarata in fidei professionibus, in Conciliorum definitionibus, catechesibus, theologorum tractationibus, in universa demum manifesta et instanti praedicatione ecclesiastica (th. XVIII.). Explicationem ipsa Patrum scripta et historia dogmatum suppeditant.

Nam 1°. constat, *disciplinam arcani* potissimum pertinuisse ad prudentem cautionem in declarandis sacramentis sacrisque ritibus. Is autem erat in re sacramentaria huius disciplinae rigor, ut Patres in publicis sermonibus ad promiscuam concionem et in scriptis libris, quos ad profanos deferri periculum erat, plerumque pauca innuerent potius quam aperte explicarent; et obscurioribus locutionibus arcana involverent, quae non nisi ab initiatis, qui iam praecedente privata institutione eruditi erant, intelligi possent. Catechumenis ipsis non promiscue sed in ultimo demum stadio catechumenatus, et tum solum ea sacramenta declarari solebant, quae ipsis iamiam inspicienda et usurpanda erant. Hinc illa formula passim occurrens apud Patres, ubi aliquid de sacramentis innuunt: « *norunt initiati*, » quae fatente ipso Casaubono apud solum s. Ioannem Chrysostomum saltem quinquagies nec multo rarius apud s. Augustinum occurrit. Agens de ipso baptismo Chrysostomus: « volo quidem, inquit, aperte hoc dicere, verum *non audeo propter non initiatos* (διὰ τοὺς ἀμυήτους). Hi enim expositionem nobis reddunt difficiliorem, ut qui nos cogunt vel *non aperte dicere* vel eis *arcana enuntiare*. Sed tamen, quantum potero, dicam *adumbrate* » Chrys. in 1. Cor. hom. 40. n. 1. Et in ordinatione sacerdotum, ait, « acclamant fideles, *quae*

norunt initiati; neque enim fas est coram non initiatis omnia detegere » Id. in 2. Cor. hom. 18. n. 3. In Concilio Laodiceno can. 2. cautum est, ne ordinatio fiat « praesentibus *Audientibus* » h. e. catechumenis. Cyrillus Hieros. « de mysteriis, inquit, *neque apud catechumenos palam verba facimus* » Cyrill. catech. VI. n. 29. « *Catechumenis sacramenta fidelium non produntur* » Augustin. in Io. tract. 96. n. 3. « *Obscure* (ἀσημως) *de mysteriis divinis loquimur propter non initiatos*, iis vero semotis perspicue initiatos docemus » Theodoret. in Num. q. 15. S. Gaudentius Brixianus in tract. 2°. ad egressos e fonte neophytos in nocte paschatis amotis catechumenis incipit claram expositionem sacramenti Eucharistiae: « quae, inquit, *praesentibus catechumenis explanari non possunt*, et necessario tamen sunt aperienda neophytis » Gaud. p. 230. Huc pertinet etiam « missa » h. e. dimissio catechumenorum post lectas et explanatas Scripturas, ubi incipit mysteriorum celebratio clamante diacono: « recedite catechumeni; » cum contra « missa » fidelium celebratis mysteriis indicatur a diacono illis verbis: ite, missa est (vide Card. Bona l. I. c. 16. §. 1.).

Ex his iam sequuntur et aliunde disertis testimoniis constant cautiones Patrum in edendis scriptis, in quibus de sacramentis tractaretur. S. Basilius quod pleraque de sacramentis non documentis Scripturae sed traditione et usu conservata sunt, rationem reddit ex necessitate servandi arcani: « quae nec intueri fas est non initiatis, *quomodo horum doctrinam deceret publice scripto circumferre?* » Basil. de Spiritu Sancto c. 27. n. 66. Cyrillus Hierosolym. (vel certe alius vetustus auctor) commendat arcanum servandum in catechesibus illuminatorum. « Catecheses has illuminatorum iis quidem, qui accedunt ad baptisma, et fidelibus, qui iam suscepere lavacrum, legendas exhibere potes; *catechumenis vero et aliis quibuslibet, qui christiani non sunt, prorsus ne dederis*. Et si harum (catechesium) exemplar transcripseris, per Dominum rogo hoc monitum praefigas » (in monit. praev. ad cateches. cf. Procateches. n. 12.). Similia obtestatur Dionysius de sua Eccles. Hierarch. c. 1. S. Innocentius I. Pontifex ep. 25. De-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

centio Eugubino Episcopo consulenti respondet quaedam de sacramento Chrismatis; sed formam verborum non audet scripto consignare: « verba vero dicere non possum, *ne magis prodere videar* quam ad consultationem respondere » n. 6. Subdit deinde responsiones nonnullas de Eucharistia, de Poenitentia, de Unctione infirmorum, ac tandem concludit: « reliqua vero, *quae scribi fas non erat*, cum adfueris, interrogati poterimus edicere » n. 12. Vide de his Schelstrate dissert. apologet. de disciplina arcani; Card. Bona Rerum liturg. l. I. c. 16. cum notis Roberti Sala.

Iam aio, hunc rigorem in servando arcano esse ita comparatum, ut mirum non sit, nullos Patrum speciales tractatus reperiri, quibus totam rem sacramentariam dilucide expositam et sacramenta omnia ex ordine connumerata comprehenderent, ut sequentibus aetatibus factum esse videmus. Verum quidem est, disciplinam arcani etiam ad alia dogmata pertinuisse ut e. g. ad mysterium Trinitatis (cf. Cyrillum cateches. VI. n. 29; Sozomenum H. E. l. I. c. 19), de quibus tamen prolixas habemus Patrum disputationes. At in primis non eadem necessaria erat cautio in his mysteriis potius speculativis, si ita loqui fas est, quam in mysteriis practicis sacramentorum, in quibus longe maius erat periculum profanationis. Deinde dogmata illa iam ex sese sunt eius indolis, ut ad integritatem revelatae doctrinae servandam exigant multam declarationem, et dum ab haereticis pervertuntur, multiplices analogiae ac comparationes cum ideis rationalibus et veritatibus philosophicis ad necessariam defensionem vitari vix possint. Atque haec ipsa est ratio potissima discriminis, quod dogmata, quae diximus, speculativa inde a prima aetate per haereses diversissimas et invicem oppositas impugnabantur, quae res distinctas declarationes reddebat necessarias; cum contra in re sacramentaria errores plerumque versarentur circa adiuncta aliqua et capita specialia modo unius modo alterius sacramenti, de quibus non minus quam de illis aliis dogmatibus habemus claras et prolixas Patrum defensiones, ut de ministro baptismi et ex obliquo aliorum sacramentorum contra Donatistas, de materia Eucharistiae contra Encratitas et Hydroparastatas, de

potestate absolvendi omnia peccata contra Montanistas et Novatianos, de Ordinum distinctione Ordinationisque ministro contra Aërianos, de honestate status matrimonialis contra Encratitas et Manichaeos, de ministro etiam Confirmationis, de ministro et subiecto extremae Unctionis (Innocentius I. ep. ad Decent. n. 6. 11). Ex declarata disciplina arcani porro satis manifestum est, cur Patres, Ambrosius, auctor 11. de Sacramentis, Cyrillus Hierosolymit. in institutione catechumenorum et neophytorum tria solum proponant et declarent sacramenta, Baptismum, Chrisma, Eucharistiam, ad quae scilicet inspicienda et usurpanda illi tum primum admittebantur.

2°. Quamvis haec ita sint, non tamen sola disciplina arcani sufficit ad intelligendum discrimen, quod obtinet inter modum proponendi et explicandi dogmatis antiquioribus et paulo recentioribus aetatibus Ecclesiae, nisi simul cum illa disciplina prae oculis habeatur *propria indoles doctrinae* de sacramentis. Consideretur primum *distinctio ac diversitas* et deinde *unitas*, quae est inter omnia sacramenta. Multa sunt in singulis, quibus distinguuntur et differunt ab omnibus aliis. Unde singula velut unum totum in se constituunt, atque ideo unumquodque sacramentum suam propriam explicationem habet, et propriam doctrinam ceu speciale dogma sibi vindicat; ut patefaciunt speciales tractatus de singulis sacramentis, qui etiam in recentioribus expositionibus ecclesiasticis et theologorum disputationibus erant et manent necessarii. Quanta enim est diversitas e. g. inter sacramenta Eucharistiae et Poenitentiae atque ita porro in ceteris? Nihilominus possunt per analysin considerari singulorum proprietates, et reperiri *aliquae communes pluribus* et aliae etiam *communes omnibus*, atque ita per analysin potest perveniri ad synthesin, ut *per abstractionem proprietatum communium* plura sacramenta velut sub una categoria tamquam *una species*, vel sub categoria adhuc superiori et universaliori *omnia sacramenta tamquam unum genus* spectentur; per hanc vero synthesin et non nisi per eam oritur *connumeratio omnium sacramentorum sub uno numero septenario*. Porro haec eadem analysis et synthesis, ut patet, constituit *tractatum de sacramentis in gene-*

re, qui proinde nullus esse potest, quamdiu illa consideratio non distincte sed solum in confuso instituitur.

Non est dubium, hanc considerationem proprietatum communium et hanc compositionem scientifice esse utilem, et propter invectos speciales errores posse fieri dogmatice necessariam ad tutiorem revelatae doctrinae custodiam et commodiorem defensionem. Per se autem loquendo et nullo adhuc urgente adversario totum dogma revelatum per solam fidem et professionem doctrinae propriae singulis sacramentis potest esse salvum, etiamsi sacramenta spectentur singula seorsum tamquam unum totum in se, et illa compositio et connumeratio secundum proprietates communes saltem distincte nondum facta sit; quatenus scilicet singula considerantur potius, secundum quod inter se differunt, quam secundum quod in unum velut genus conveniunt. Hoc ergo modo Patres agunt quidem data opportunitate de singulis sacramentis, quae omnia in doctrina et praxi Ecclesiae fuisse evidenter demonstratur etiam argumentis in superiori thesi productis; attamen expolitio doctrinae per analysin et synthesin ad unum tractatum *de sacramentis in genere* atque ita ad explicitam *connumerationem omnium sacramentorum sub una collectione numeri septenarii* tum propter ipsam disciplinam arcani reddebatur difficilior et minus opportuna, tum nullo instante adversario necessaria non erat. Haec abstractio communium proprietatum et secundum eas subsumptio omnium sacramentorum sub uno velut genere sicque formatio explicitae ac plenae doctrinae *de sacramentis in genere* facta est in Ecclesia sequentibus aetatibus, sublata iam necessitate arcani servandi, ad pleniorem et faciliorem fidelium institutionem; tumque ad praecavenda pericula errorum et ad proscribendas haereses ingruentes ipse numerus septenarius ecclesiasticis constitutionibus solemnibusque definitionibus explicite enuntiatus est et declaratus. Obiectum huius abstractionis et compositionis propositum erat in doctrina de singulis sacramentis, ut continetur in Scriptura, in documentis Patrum, in theoria et praxi Ecclesiae inde a temporibus apostolicis; ipsa ergo compositio et connumeratio non est nisi antiquae apostolicae doctrinae forma explicatior et instantior praedicatio.

Sic igitur simul spectatis disciplina arcani et progressu explicationis dogmatis, quo sacramenta omnia non solum ut diversa inter se distinguuntur, sed *secundum communes proprietates sub uno genere subsumuntur et connumerantur*, facile intelligitur, cur salva unitate doctrinae in Ecclesia antiquioris et recentioris aetatis, apud veteres tamen connumeratio omnium sacramentorum *sub numero septenario* et explicita tractatio *de sacramentis in genere* non reperiatur, quae subsequentibus aetatibus est plenissima et explicatissima.

3°. Licet Patres vetusti iuxta dicta non considerent explicite omnia septem sacramenta sub unitate communis rationis, et ideo non explicite perficiant *synthesin omnium sub uno genere superiori;* sunt tamen aliqua ex septem sacramentis partim *insitis specialibus proprietatibus* partim *usu et ministratione* ita inter se nexa, ut vinculum uniens sponte se prodat, et eorum considerationem sub una ratione communi ac connumerationem scopus ipse Patribus praefixus exposceret. Ita coniungunt imprimis baptismum et Chrisma; imo hoc alterum quandoque sub nomine baptismi iam inclusum habent et subintellectum, tum quia collatione connexum erat, ut apud orientales adhuc nunc est, cum baptismo (eius quippe ministratio fere inter medias cerimonias baptismales perficitur; vid. Goarii Euchol. p. 356.), tum ex ratione intestina, quia Chrisma est et dici solebat « baptizatorum perfectio » (1). Cum baptismo et Chrismate ministrabatur simul Eucharistia (ut in baptismo adultorum etiam nunc fit); unde oriebatur necessitas explicationem horum trium sacramentorum *in institutione catechumenorum* coniungendi, ut superius diximus. Ex eadem ratione etiam facile patet, cur Patres, ubi solum *per incidens* et ad exemplum sacramenta aliqua numerant, constanter proponant tria haec Baptismum, Chrisma, Eucharistiam, vel propter inclusionem Chrismatis sub nomine baptismi, etiam duo tantum expresse nominent, baptismum et Eucha-

(1) « Ita se habet Confirmatio ad baptismum, sicut augmentum ad generationem » S. Thom. 3. q. 72. a. 6.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ristiam; quod praeterea suadebat ipsa excellentia horum duorum, quorum alterum necessitate tamquam ianua ad alia sacramenta, alterum dignitate ut sacramentum sacramentorum prae ceteris eminet.

4°. Porro cum extrema Unctio ad Poenitentiam accenseatur velut eius perfectio, simili fere modo ac se habet Confirmatio ad baptismum, distributio exoritur omnium sacramentorum in duplicem classem, quorum quatuor sunt *specialiter consecrantia* et *perficientia*, Baptismus, Chrisma, Eucharistia, Ordinatio; tria reliqua fine principali sunt et dicuntur *medicinalia*, Poenitentia, extrema Unctio, Matrimonium (1), quod tamen ultimum ipsa etiam ratione, qua medicinale est, plurimum differt a ratione medicinali Poenitentiae.

Hinc intelligitur in primis, cur Patres non haec tria posteriora simul coniungant, sed fere constanter quatuor illa priora connumerent (2), velut scilicet *consecratoria* per excellentiam. Maxime vero ex hac duplici quodammodo classe distincta sacramentorum intelligitur consilium et modus connumerationis apud Dionysium (Eccles. Hierarch. c. 1–5). Dionysius non de sacramentis in genere tractatum scripsit, sed de *hierarchicis consecrationibus* et *perficientibus initia-*

(1) « Sacramenta novae legis ad duo ordinantur, scilicet in remedium peccati et ad divinum cultum. Est autem omnibus sacramentis commune, quod per ea exhibeatur aliquod remedium contra peccatum per hoc, quod gratiam conferunt. Non autem omnia sacramenta ordinantur directe ad divinum cultum, sicut patet de Poenitentia, per quam homo liberatur a peccato; non autem per hoc sacramentum exhibetur homini aliquid de novo pertinens ad divinum cultum, sed restituitur in statum pristinum. Pertinet autem aliquod sacramentum ad divinum cultum tripliciter, uno modo per modum ipsius *actionis*, alio modo per modum *agentis*, tertio modo per modum *recipientis*. Per modum quidem ipsius *actionis* pertinet ad divinum cultum *Eucharistia*.... Ad *agentes in sacramentis* pertinet sacramentum *Ordinis*... Ad *recipientes* pertinet sacramentum *Baptismi*.... Ad idem etiam ordinatur quodammodo *Confirmatio* » S. Th. 3. q. 63. a. 6.

(2) Si aliud quandoque addunt, id fit ex scopo peculiari, ut Augustinus inter exempla sacramentorum, quae a peccatoribus valide ministrantur, iungit tribus *perficientibus* quarto loco Poenitentiam, propter frequentiorem scilicet huius sacramenti usum.

tionibus. Prae suo igitur scopo quatuor tantum explicat sacramenta proprie dicta, illa scilicet quae pertinent ad classem *perficientium*, Baptismum, Chrisma, Eucharistiam, Ordinem. Cum his vero iuxta eundem scopum sibi praefixum coniungit consecrationem tum altarium ex occasione ritus, quo Chrisma consecratur (c. 4), tum solemnem dedicationem monacherum (c. 6), tum benedictionem ac funebres ritus super corpora fidelium defunctorum (c. 7). Dionysii consilium cum non satis intelligerent quidam scriptores orientales medii aevi, apud quos sacrosancta erat Dionysii auctoritas, explicationem sacramentorum non nihil perturbarunt, ut in thesi sequenti declarabimus. Inter hos forte etiam recensendus videri posset Theodorus Studita (labente saec. VIII. ineunte IX.) in ep. ad Gregor. filium (Sirmondi Opp. T. V. p. 654). At Theodorus non de sacramentis disputans appellat ad doctrinam Dionysii, sed ut eius auctoritate probet, vitam monasticam esse ex apostolica traditione (cf. Leonem Allatium de Consensu etc. l. III. c. 16. n. 10. 20–22.).

THESIS XX.

De singularibus quibusdam scriptoribus orientalibus, qui in numero septenario sacramentorum consentiunt, in assignandis vero sacramentis singulis errantes tum inter se tum a doctrina universali dissentiunt.

« Si qui scriptores orientales mediae aetatis in numerum septem » sacramentorum, quem et ipsi tuentur, pro uno alterove vero sacra- » mento ritus alios ecclesiasticos substituere videntur: ii primum qui- » dem in praedamnatione haeresis Protestantium de *numero sacramen- » torum* consentiunt cum Ecclesia catholica; quatenus deinde a catholica » doctrina dissident, non de communi Ecclesiarum orientalium sententia » testimonium ferre convincuntur, sed in peculiarem errorem incidisse, » cuius origo facile detegitur. »

I. *Vartanus Armenus* Monophysita saec. XIII. (apud Galanum in « Conciliatione Ecclesiae Armenae » T. II. p. 440); *Ebed-Iesu* Sobensis Nestorianus saec. XIII. labente et XIV. ineunte (apud Assemanium Bibl. Orient. T. III. P. II. p. 240); *Iob* monachus et *Damascenus Thessalonicensis* monachus

Studita (apud Arcudium De Concord. l. I. c. 2, et Leonem Allatium De Consensu etc. l. III. c. 16. n. 4. p. 1256. 1258) omnes quidem diserte et ex ordine numerant *septem sacramenta Ecclesiae;* atque adeo in numero sacramentorum plene consentiunt scriptores hi omnes tam inter se quam cum universali doctrina Ecclesiae orientalis et occidentalis. In determinatione tamen singulorum sacramentorum est aliquid, in quo doctrinae Ecclesiae repugnant, sin minus subtractione certe additione. Graeci illi monachi Iob et Damascenus Thessalonicensis sextum sacramentum ponunt *habitum sacrum* h. e. monasticum; ne vero numerum septenarium excedant, confundere videntur vel potius coniungunt Poenitentiam et sacrum Oleum (1). Haec eadem confusio Poenitentiae et sacri Olei committitur etiam a Vartano Armeno, qui ut omnium persuasione ratum numerum septenarium expleat, ponit septimum sacramentum « *funus super defunctos* » (2). Adhuc longius aberrat Ebed-Iesu Nestorianus. Sacramentum enim extremae Unctionis et Matrimonii non collocat in numero septenario; ut hunc tamen servet integrum, substituit VI. « *sacrum fermentum* » et VII. « *signum vivificae crucis* » (3).

(1) Iob ita numerat: « *Septem sanctae Christi Ecclesiae sacramenta* (*τα επτα της εκκλησιας μυστηρια* cum articulo, quippe quod numerus esset notissimus et ratus) ex ordine haec sunt: 1^{um} est Baptisma; 2^{um} Chrisma; 3^{ium} participatio sanctificatorum vivifici corporis et sanguinis Christi; 4^{um} Sacerdotium; 5^{um} honorabile Connubium; 6^{um} sacer habitus (*αγιον σχημα*); et 7^{um} sanctum Oleum, sive Poenitentia (*και ευχελαιον εβδομον ητοι μετανοια*). »

Damascenus: « Baptisma est unum *ex septem sacramentis;* et 1^{um} quidem sacramentum est ipsum Baptisma; 2^{um} est sacrum Unguentum (*το αγιον μυρον*); 3^{ium} s. Communio; 4^{um} primae nuptiae; 5^{um} Sacerdotium; 6^{um} Monachatus sive magnus habitus (*η καλογερικη aut potius καλογηρικη ηγουν το μεγα σχημα*); 7^{um} sanctum Oleum. »

(2) Vartanus: 1^{um} sacramentum est Baptismus; 2^{um} Missae Sacrificium; 3^{ium} benedictio Unguenti, quod latini Chrisma vocant; 4^{um} est Ordo; 5^{um} Matrimonium; 6^{um} est Oleum, quo unguntur infirmi et poenitentes; 7^{um} denique est funus super defunctos, pro quo latini Poenitentiam posuerunt; sed Oleum quo infirmi et poenitentes unguntur, ipsum est Poenitentia. »

(3) Verba Ebed-Iesu sunt l. c.: « sacramenta Ecclesiae *septem sunt* iuxta mentem divinarum Scripturarum; 1^{um} est Sacerdotium, quod perficit omnia sacramenta; 2^{um} s. Baptisma; 3^{ium} Oleum Unctionis (Chrisma); 4^{um} Oblatio corporis et sanguinis Christi; 5^{um} Remissio peccatorum; 6^{um} sacrum fermentum; 7^{um} signum vivificae crucis. » De fermento illo mirae sunt Nestorianorum fabulae. Primitus fuerit fermentum forte ab Episcopo benedictum, ex quo aliquid admiscere consueverint farinae, dum praeparabant panes pro materia Eucharistiae. Deinceps fingebant, « sacrum fermentum » esse particulam ab ipso Christo consecratam in ultima coena, conservatam a Ioanne Evangelista et ab Adaeo Apostolo traditam Chaldaeis, ut ex ea mirabiliter semper perdurante aliquid admiscerent Eucharistiae consecrandae a suis sacerdotibus. Vid. Assemani l. c. p. 260. 262. 263. 295-299.

Ex his omnibus patet, *quoad numerum* sacramentorum inter memoratos scriptores diversarum aetatum et nationum plenissimum esse consensum; imo ita habent certum ac ratum illum numerum, a quo nullo modo fas sit deficere, ut ipsis erroribus particularibus de nonnullis ex septem sacramentis adigi non possint ad ipsum numerum infringendum; sed potius ad eum servandum adoptent sententias non verosimiles et absurdas de singulis quibusdam sacramentis. Iam hic ipse consensus aliunde oriri non poterat, quam quod fides et persuasio de *septenario numero* in illis gentibus constans esset et universalis. Ubi enim hi ipsi scriptores suis privatis interpretationibus et opinionibus indulgent, videmus eos non iam in unam sed in diversas sententias errare, et non solum a doctrina universali sed etiam inter se dissentire, dum alius aliud ex septem veris sacramentis omittit aut contrahit, et alius aliud substituit; monachi benedictionem, cerimonias funebres, fermentum, signum crucis. Quatenus ergo quaestio est de numero sacramentorum, universalitas et constantia doctrinae traditae ex his ipsis scriptoribus confirmatur et Protestantium haeresis novo argumento convincitur.

II. Quod vero ad horum scriptorum errores de quibusdam ex septem sacramentis pertinet, animadvertimus in primis *generatim*, sine dubio abusus multos inductos esse in communiones orientales, ex quo a vera Christi Ecclesia sunt divulsae schismate, infectae haeresi, oppressae tyrannide, barbarie obvolutae. His calamitatibus factum est, ut quamvis disciplina sacramentaria maneret in libris liturgi-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

cis Ecclesiarum consignata, negligentia tamen et abusus in administratione et susceptione sacramentorum invalescerent, et aucta populorum ac sacerdotum ipsorum ignorantia etiam in cognitione doctrinae traditae de sacramentis confusio et obscuritas induceretur. Hinc sine dubio saltem aetate illorum scriptorum, de quibus quaestio est, valet etiam de aliis nationibus orientis, quod de Coptis P. Bernatus experientia doctus testatur: propter ruditatem illorum hominum non facile posse perveniri ad intelligendam genuinam eorum sententiam de sacramentis, nisi collatis Ecclesiarum ritibus et libris liturgicis sive laici sive clerici dextere interrogentur, quid de singulis sentiant. Hoc autem si fiat, tum ait apparere eorum consensum quoad rei summam cum doctrina catholica; atque ideo monet, non quorumlibet narrationibus de orientalium erroribus in re sacramentaria credendum esse (apud Bollandianos T. V. Iunii p. 140). In tali rerum conditione nihil est mirandum, aliquos scriptores illarum gentium explicuisse doctrinam de sacramentis in sensum falsum et alienum a traditione ac genuina professione ipsarum Ecclesiarum orientis. Quando vero Episcopi et asseclae illarum communionum saec. XVII. primum audierunt Protestantium negationes, tum sane excitati sententiarum novitate se suarumque Ecclesiarum traditionem, usum, professionem circumspicere coeperunt, et consensum plenissimum cum Ecclesia catholica de septem sacramentis a Christo institutis contra Protestantium innovationem absque ambiguitate et disertissime declaraverunt. (Vide supra th. XVIII.)

His praestitutis doctrina scriptorum, quos nominavimus, *singillatim* examinanda est. Quod spectat ad duos graecos monachos Iobium et Damascenum atque ad Armenum Vartanum, illi manifesto prae oculis habent Dionysium, cuius doctrinam supra p. 278. exposuimus. Cum apud orientales sacrum Oleum consideretur tamquam perfectio Poenitentiae, hinc omnes illi tres scriptores comprehenderunt utrumque sacramentum sub uno nomine, ut salvo numero septenario duo monachi quidem pro *habitu monastico*, Vartanus vero pro *funere defunctorum* locum servarent,

secuti in hac additione non iam communem suae Ecclesiae sententiam sed, ut ipsi quidem putabant, auctoritatem Dionysii (1). Ceterum *confessionem peccatorum* necessariam ad sacramentum Poenitentiae profitentur sicut ceteri omnes Graeci, ita etiam ipsi hi duo scriptores Iob (penes Arcudium l. II. c. 19. p. 107.) et Damascenus Thessal. (penes Allatium l. III. c. 17. n. 9. p. 1310.). Apud Armenos vero Monophysitas sacramentum Poenitentiae ita in pretio est, ut sacramentum extremae Unctionis populo aliquando interdixerint, ne, ut ait unus eorum Gregorius Dattievensis, a sacramento Poenitentiae magis necessario homines se subtraherent (apud Galanum T. II. p. 632. 638.).

Restat, ut dicamus de Nestoriano Ebed-Iesu Sobensi. Is primum per *additionem* ponit in septenario numero *signum crucis*, « quod, ut ait, est perpetua christianorum custodia et omnium sacramentorum perfectio, » ac insuper fabulosum illud *fermentum*, pro quo ipsomet fatente « christiani qui fermentum non habent, matrimonium iuxta legem Christi initum pro septimo sacramento numerant » (Assem. T. III. P. II. p. 295.). Hae quidem superstitiones sunt manifestae. Quod deinde per *subtractionem*, ne septenarium numerum excedat, extremam Unctionem et Matrimonium non videtur agnoscere pro sacramentis; id certe non est ex vetusta penes illas gentes doctrina. Distinguunt ipsi Nestoriani Oleum Unctionis seu Chrismatis (2) « ad perficiendum baptizatum, » et Oleum infirmorum quod appellant

(1) Quantopere theologi orientales ab auctoritate pendeant Dionysii, argumento esse potest Nestorianus Patriarcha Timotheus II, qui librum scripsit « de septem sacramentis, » atque in eo agit 1. de Sacerdotio, 2. de Consecratione ecclesiae et altaris, 3. de Baptismo et sacro Oleo, 4. de ss. Sacramentis corporis et sanguinis, 5. de benedictione monachorum, 6. de officio pro defunctis (quae quidem omnia expressa sunt ex Dionysio), 7. de sacramento desponsationis. Ad calcem libri subiungit de Poenitentia et Remissione peccatorum (Assemani T. III. P. II. p. 240.). Apparet, bonum virum voluisse conciliare tria non concilianda, ut et *numerum* servaret sacramentorum, et nullum omitteret ex sacramentis quae habet Ecclesia ex traditione, et inter haec etiam simul numeraret ritus omnes descriptos a Dionysio.

(2) ܡܫܚܐ ܕܡܘܪܝܐ

« Oleum gratiae Sancti » (1). Hoc posterius inter alios describit Georgius Arbelensis Episcopus Nestorianus (labente saec. X.), habeturque eius usus ac ritus in Nestorianorum libris ritualibus, quamvis apud eos tot sit superstitionibus commixtum, ut omnino videri debeat invalidum. (Vide Asseman. T. III. P. II. p. 269. 276. 277. 278.). Matrimonium ab aliis collocari in numero septenario sacramentorum, ipse fatetur Sobensis; quin et ipsemet inter ritus celebrandi sacramenta exponit etiam cerimonias desponsationis (Assem. T. III. P. I. p. 356. 357. 359. P. II. p. 318.). Eodem fere tempore, quo vixit Sobensis, diserte Matrimonium inter septem sacramenta numeravit Patriarcha seu, ut appellant, Catholicus Nestorianorum Timotheus II. (creatus anno 1318. Assem. T. III. P. I. p. 579. P. II. p. 240.). Pariter Sulaka Patriarcha Romae fidem catholicam professus anno 1553 testatus est, haberi apud Nestorianos inter vera sacramenta Matrimonium et Oleum sanctificans (Bibl. max. PP. T. XXVI. p. 816. et Assemani T. III. P. II. p. 288. coll. p. 271.), quod posterius utrum Chrisma an extremam Unctionem intellexerit, non est omnino liquidum. Quamvis enim interrogatus de sacramento Confirmationis responderit, se utpote simplicem monachum nescire, utrum illud antiquitus fuerit apud suam gentem; id tamen videtur dixisse de Confirmatione secundum ritum Ecclesiae latinae, ubi non nisi ab Episcopo et admixto balsamo confertur, cum ex testimoniis luculentissimis apud Nestorianos pro materia adhibeatur simplex oleum, et ad illud simul cum baptismo ministrandum sicut apud Graecos admittantur etiam presbyteri.

Quidquid vero sit de uno Sobensi vel de aliis etiam scriptoribus privatis, certe illorum dicta nullius sunt pretii ad dirimendam quaestionem de tradita illarum gentium fide, quando contrarium testantur vetusti eorum libri rituales, sicut etiam Episcopi et Patriarchae tum antea tum praesertim in distinctis professionibus saec. XVII, postquam Protestantium haereses eis innotuerant.

Scholion 1. Sunt aliqui Patres latini, Ambrosius (de My-

(1) مُعمُا ,مُمحُّمُا ,مَبِّعُا

steriis c. 6. n. 32. cf. in Ps. 48. n. 89.); vulgatus Ambrosius (de Sacramentis l. III. c. 1. n. 4–7.); Bernardus (de Coena Domini ed. Mabillon p. 897.), qui obiter legenti videri possunt *lotioni pedum* virtutem adscribere solis sacramentis novae legis propriam, atque adeo eam inter sacramenta proprie dicta computare.

1°. Ad s. Bernardum quod spectat, dicimus s. Doctorem, licet in suo sermone *ablutionem pedum* coniungat *cum sacramentis duobus proprie dictis*, non tamen eam connumerare *sub ratione specifica*, sed solum *sub ratione generica sacramenti*. In primis Bernardus saec. XII. synchronus et amicus Hugoni Victorino doctrinam publicam et universalem Ecclesiae, quot et quae sint sacramenta novae legis proprie dicta, profecto non potuit non habere perspectissimam (cf. th. XVIII). Est ergo iam in modo, quo doctrina de sacramentis erat proposita tempore Bernardi, argumentum certissimum, non potuisse ab eo ablutionem pedum haberi inter sacramenta *specifice* dicta. Si igitur sermo ita esset comparatus, ut *sub una specifica ratione sacramenti* haec tria baptismum, Eucharistiam et pedum ablutionem connumerasse censeri deberet, haec *ablutio* potius intelligenda esset non proprio sed metaphorico sensu, ut mellifluus Doctor eo nomine significaverit confessionem peccatorum venialium. Ita Carolus Du Plessis D'Argentrée in suis additamentis ad disputationes Martini Grandin (etiam seorsim editis) Bernardum interpretatus est (in Opusculis P. II. p. 208.). Nos tamen hanc interpretationem non putamus esse veram, et defendimus eam, quam (ut ait D'Argentrée) sequitur theologorum vulgus.

Bernardi totus contextus est sequens. *a*) Proponit notionem *genericam sacramenti*, sub qua deinde numerat baptismum, Eucharistiam et pedum ablutionem: « *multa quidem sunt sacramenta... de tribus autem sacramentis*, quae satis congrua sunt huic tempori (commemorationis passionis Dominicae) dicendum erit. Sacramentum dicitur *sacrum signum sive sacrum secretum*... Quae fiunt propter alia designanda, ipsa sunt signa... Datur anulus absolute propter anulum, et nulla est significatio; datur ad investien-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

dum de hereditate aliqua, et signum est. In hunc itaque modum appropinquans passioni Dominus, de gratia sua investire curavit suos, ut invisibilis gratia signo aliquo visibili praestaretur. Ad hoc instituta sunt omnia sacramenta, ad hoc *Eucharistiae participatio, ad hoc pedum ablutio, ad hoc denique ipse baptismus.* Sicut enim in exterioribus diversa sunt signa... verbi gratia investitur Canonicus per librum, Abbas per baculum, Episcopus per baculum et anulum simul... sic et divisiones gratiarum diversis sunt traditae sacramentis. » Hucusque descriptum est *signum gratiae generice* ita, ut sub eo comprehendi possit tum signum tantummodo *significans gratiam quae confertur*, tum signum *efficax, per quod gratia confertur.*

b) Declarat *rationem specialem sacramenti* in baptismo et in Eucharistia. « Gratia, unde *per baptismum* investimur, est utique *purgatio delictorum... ut inveteratam rubiginem cum unctione Sancti Spiritus aqua dilueret... Lavamur in baptismo, quia deletur chirographum damnationis nostrae.* »

At praeter mundationem a sordibus peccati indigemus, porro ait mellifluus Doctor, sanatione a vulnere concupiscentiae. « Confidite, quia et in hoc gratia subvenit, et ut securi sitis, *sacramentum Dominici corporis et sanguinis pretiosi* investituram habetis. Duo enim illud sacramentum *operatur in nobis*, ut videlicet et sensum minuat in minimis, et in gravioribus peccatis tollat omnino consensum... Gratias agat corpori et sanguini Domini, *quoniam virtus sacramenti operatur in eo.* » Habes descriptam, licet obiter tantum et multis suppositis, *virtutem et efficaciam sacramenti baptismi et Eucharistiae.*

c) Progreditur ad *ablutionem pedum* declarandam, secundum quod illa *sacramentum* est. Est ea, inquit, *sacramentum* (sacrum signum) *remissionis venialium peccatorum.* Esse eam *sacramentum*, et non solum in exemplum, probat inde, quia in ea *aliquid latet significatum*, necessarium ad perfectam salutem: « si non lavero te, non habebis partem mecum. » Esse *sacramentum remissionis venialium peccatorum*, probat ex aliis verbis Christi: « qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet. » Verba Bernardi sunt. « *Ut de remissione quotidianorum minime dubitemus, habemus eius* (remissionis) *sacramentum, pedum ablutionem.* Quaeris forte, unde sciam, quod sacramentum sit huius remissionis?... Vis autem nosse, quia *pro sacramento illud est* non pro solo exemplo factum? Illud adtende, quod Petro dictum est: si non lavero te, non habebis partem mecum. *Aliquid igitur latet*, quod necessarium est ad salutem, quando sine eo (quod ibi latet significatum) nec ipse Petrus partem habuit in regno Christi et Dei... Et unde scimus, *quia ad diluenda peccata, quae non sunt ad mortem et a quibus plane cavere non possumus ante mortem, ablutio ista pertinet?* Ex eo plane, quod... responsum est: qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet. Lotus enim est, qui gravia peccata non habet... sed pedes, qui sunt affectiones animae, dum in hoc pulvere gradimur, ex toto mundi esse non possunt. »

Vides hic in toto contextu numquam dici, gratiam vel etiam ipsam remissionem venialium *effici* per ablutionem pedum. Baptismo *lavamur*, Eucharistia *operatur in nobis, virtus sacramenti operatur;* hic autem ablutio dicitur quidem *sacramentum* h. e. iuxta praestitutam definitionem *sacrum signum remissionis venialium*, et tamquam *sacrum signum* non tamen velut *causa* dicitur pertinere ad diluenda peccata venialia ita, ut facile diluenda peccata *significet*, non tamen ut dilutionem *efficiat*. Hanc esse significationem, si verba illa « ad diluenda peccata pertinet, » per se sint ambigua, constat ex definitione sacramenti a Bernardo praestituta, ex diverso modo quo loquitur de baptismo et Eucharistia, et maxime ex subsequentibus.

Explicat enim ipsam *remissionem venialium*, ubi duo monet: primum ut in eis purgandis simus *solliciti;* « impossibile enim est cum his salvari, impossibile est ea dilui nisi per Christum Iesum et a Christo. » Igitur « *nemo perniciosa securitate dormitet;* » ignoscet, « *si modo nos agnoscamus;* » « in oratione, quam ipse instituit, *quotidie pro peccatis illis voluit nos orare.* » Alterum est, quod « non tamen pro eis necesse est nimis esse sollicitos; *ignoscet facile immo et libenter*, si modo nos agnoscamus. » Agit igitur de *remediis* contra venialia et ad delenda venialia, inter quae tamen nul-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

lam facit mentionem *ablutionis pedum*. Hanc autem, utpote quae est ipsum princeps argumentum totius sermonis, inter ea omittere non potuisset, si eam credidisset vel docere voluisset efficacem remissionis venialium. Ergo eam non proponit tamquam sacramentum *ad efficiendam* sed *ad significandam tantummodo remissionem venialium*, ut per eam reddamur *solliciti* ad implorandam remissionem venialium iuxta verba Christi: « si non lavero te non habebis partem mecum, » et *spem promptae veniae concipianus* iuxta actionem Christi lavantis pedes Apostolis ad significandam facilem ex divina bonitate remissionem venialium: « non indiget, nisi ut pedes lavet. »

Ceterum etiamsi quis ritui ablutionis pedum adscriberet remissionem venialium peccatorum tamquam *effectum ex opere operato*, non ideo eam cum sacramentis novae legis eiusdem rationis esse diceret; talem enim virtutem aliqui theologi (Victoria, Dominicus Soto, Ledesma, Canus; cf. s. Thomam 3. q. 87. a. 3. coll. 2.) tribuunt sic dictis *sacramentalibus*, quin ideo ea confundant cum sacramentis novae legis. Vide Suarez de Poenitent. disp. XII. sect. 2.

Post considerationem contextus Bernardi, nulla opus est speciali confutatione sententiae Caroli D'Argentrée initio commemoratae. In toto enim Bernardi sermone nullum est vestigium significationis illius metaphoricae, qua acceperit pedum ablutionem. Ipsemet D'Argentrée in illam sententiam non concessit, nisi quia ei Bernardus videbatur ablutionem pedum inter sacramenta proprie dicta recensuisse. Quod cum falsum esse demonstraverimus, iam etiam tota ratio et fundamentum subvertitur singularis illius interpretationis.

2°. Reliquum est, ut dicamus de s. Ambrosio et auctore librorum de Sacramentis. In Ecclesia Mediolanensi ablutio pedum egressis ex fonte baptismatis adhibebatur ab Episcopo. Hic ritus describitur ab Ambrosio et ab auctore ll. de Sacramentis (si alius is est, quam Ambrosius) tamquam *caerimonia baptismalis ad expressius significandam purgationem peccati originalis et collationem gratiae, qua concupiscentia hereditaria vincatur*. Consideratur itaque pedum ablutio velut unum aliquid cum baptismo, in cuius administratione adhibebatur, ut adeo, quamvis effectus remissionis

culpae originalis et collationis gratiae sit ex ipso sacramento baptismi, significatio tamen remissionis culpae et sanctificationis et adiutorii connexi cum gratia sacramentali *exprimeretur distinctius* per ritum coniunctum ablutionis pedum. Per se vero et seorsum considerata pedum ablutio poterat haberi ut aliquod *sacramentale*, quo *impetraretur amplius auxilium gratiae* ad vincendam hereditariam concupiscentiam ex peccato originali invectam.

Hic sensus facile colligitur ex l. III. de Sacram. l. c. Ad verba Domini « qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet, » ita commentatur auctor. « Quare hoc? Quia *in baptismate omnis culpa diluitur*. Recedit ergo culpa; sed quia Adam supplantatus a diabolo est, et venenum ei effusum est supra pedes; ideo lavas pedes, ut in ea parte, in qua insidiatus est serpens, *maius subsidium sanctificationis accedat*, quo postea supplantare non possit. Lavas ergo pedes, ut laves venena serpentis. » Hic *a*) dilutio omnis culpae, etiam originalis tribuitur *baptismo ut causae*. Deinde *b*) dicitur: ablata iam omni culpa pedes lavantur, ut in pedibus, quia serpens diabolus insidiatus est calcaneo Adae, accedat maius subsidium sanctificationis ad vincendas tentationes. At hoc subsidium evidenter non est nisi *impetratio adiutorii*. Quatenus vero refertur ad culpam originalem, ablutio haec non est causa sed signum eius remissionis: est enim omnis culpa iam per baptismum diluta. Unde etiam in ultimis verbis: « ut laves venena serpentis, » vel omnino non intelligitur culpa lavanda sed *concupiscentia minuenda et vincenda;* vel si simul intelligitur culpa, ablutio pedum consideratur *ut unum aliquid cum baptismo*, per se vero et seorsum non ut causa sed *ut signum peccati remissi per baptismum*. Hinc *c*) quando paulo ante auctor distinguit hanc ablutionis pedum cerimoniam in baptismo ab ablutione, quae fit peregrinis, ita ut prior non solum sit humilitatis sed *sanctificationis*, sanctificatio debet sumi eodem sensu: videlicet ablutio illa pedum ut cerimonia sacramentalis in baptismo est *signum* sanctificationis gratiae, et *impetratio quaedam adiutorii*. *d*) Haberi ab auctore ipso illam ablutionem ut mere cerimonialem quamvis piam et

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

retinendam, patet inde, quia fatetur, eam in Ecclesia Romana non servari, nec tamen Romanam Ecclesiam ideo esse reprehendendam: « non quod alios reprehendam, sed mea officia ipse commendem. » Patet idem etiam inde, quod consuetudinem defendit ut laudabilem, quatenus est imitatio fidei et devotionis Petri, quando exclamavit: « Domine, non solum pedes, sed etiam manus et caput. »

Iam haec doctrina auctoris ll. de Sacram. manifesto est commentarius paulo distinctior sententiae non nihil obscurioris apud Ambrosium l. de Myster. n. 32, ubi agens de eadem ablutione pedum fieri solita egressis e fonte baptismali ita loquitur. « Mundus erat Petrus, sed plantam lavare debebat; habebat enim primi hominis *de successione peccatum*, quando eum supplantavit serpens et persuasit errorem. Ideo *planta eius abluitur, ut hereditaria peccata tollantur; nostra enim propria per baptismum relaxantur.* » Hic iuxta commentarium allatum ex loco parallelo ll. de Sacram. illud quod ait, « Petrum fuisse mundum, habuisse tamen primi hominis *de successione peccatum*, » non potest intelligi formaliter *de culpa originali*, sed necessario intelligitur metonymice dictum *de concupiscentia ut peccati originalis consectario*. In conclusione vero duplex incisum: « *ut hereditaria peccata tollantur; nostra enim propria per baptismum relaxantur*, » non solum ad Petrum refertur ut exemplar, sed maxime ad ipsos egressos e fonte baptismatis. « Hereditaria autem peccata » vel debent sumi eodem modo ut in antecedenti « de successione peccatum » *pro concupiscentia*; et tum tota sententia: « planta eius abluitur, ut hereditaria peccata tollantur, » est omnino parallela et eiusdem significationis cum illa in l. III. de Sacram. paulo ante explicata: « ideo lavas pedes, ut in ea parte, in qua insidiatus est serpens, maius subsidium sanctificationis accedat, quo postea te supplantare non possit. » Vel si phrasis « hereditaria peccata » simul includat significationem culpae originalis, ablutio pedum debet considerari *in unitate cum baptismo*. Tum continetur remissio culpae originalis *in toto illo ritu complexe spectato*, sed ita ut in essentia baptismi sit *causa*, in cerimonia ablutionis pedum *expressior significatio* remissionis peccati originalis, ut supra diximus in explicatione illius incisi in l. III. de Sacram.: « lavas pedes, ut laves venena serpentis. »

Nec obstat, quod Ambrosius videtur distribuere remissionem *peccati hereditarii* et *propriorum peccatorum* inter ablutionem plantae et baptismum. Non enim est distributio remissionis primo propriorum peccatorum, deinde originalis peccati inter duo sacramenta, quod iam per se esset absurdissimum; sed est consideratio unius sacramenti baptismi primum *secundum essentiam*, et deinde *secundum totum ritum solemnem* cum omnibus cerimoniis et nominatim cum pedum ablutione. Distinctione enim rationis spectatur in baptismo priori modo considerato *remissio propriorum peccatorum*, et in baptismo posteriori modo considerato *remissio peccati originalis, expressius significata et ob oculos posita per ablutionem pedum*. Sic posset aliquis simili constructione verborum qua usus est Ambrosius, de solemni baptismo dicere: infunditur oleum, ut infundantur dona Spiritus Sancti, nam peccata per baptismum diluuntur; atprofecto non esset haec distributio inter duo sacramenta, sed unius sacramenti consideratio secundum essentiam, et secundum cerimonias expressius significantes effectum.

Scholion 2. Licet per martyrium tam infantes, quam adulti rite dispositi *ratione ipsius externi operis* gratiam consequantur; non est illud tamen sacramentum ne generica quidem nominis significatione. Neque enim martyrium est signum ritusque sacer et ordinarius ad sanctificationem hominum a Deo institutus (cf. th. I.); sed est testimonium pro Christo Christique fide confirmatum sanguine ac morte illata et tolerata pro Christo. Unde martyrium est conformatio ad Christum non in signo aliquo sed in re, et ita in adultis actus virtutis excellentissimus, in infantibus vero obiectiva solummodo testificatio pro Christo et conformatio ad Christum, cui collatio gratiae omnisque culpae ac poenae condonatio promissa est. Vide Suarez de Sacram. disp. 29. (speciatim sect. 3. §. « Unde ad tertium respondetur »); Vasquez in 3. P. disp 153. (speciatim cap. 4. n. 40–42.); Bellarminum de Baptism. c. 6.

A. M. D. G.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

INDEX THESIUM

Th. I.	De notione generica et specifica sacramenti.	*Pag.* 1
Th. II.	De relatione sacramentorum novi testamenti ad vetera tamquam umbram, et ad bona coelestia tamquam veritatem absque velamine	» 10
Th. III.	De sacramenti *legis naturae* et *circumcisionis* discrimine *quoad efficaciam* a sacramentis novi testamenti.	» 15
Th. IV.	Quatenus sacramenta vetera rebus tantum constitisse, sacramenta vero novi testamenti rebus tamquam materia et verbis tamquam forma confici dicenda sint . . .	» 31
Th. V.	De materia et forma determinata ab ipso institutore sacramentorum	» 42
Th. VI.	Praemissa notione de obice removendo et de causa instrumentali, demonstratur, sacramenta novi testamenti esse proprio sensu causas instrumentales gratiae	» 50
Th. VII.	De sacramentorum efficacia *ex opere operato*	» 64
Th. VIII.	Quo sensu fides recenseri possit inter causas iustificationis, quamvis iustificemur per sacramenta *ex opere operato*	» 73
Th. IX.	Quomodo verba sacramentalia non mere ad praedicationem evangelii pertineant, sed sint *consecratoria*	» 93
Th. X.	De modo et ratione intestina, qua sacramenta novae legis non solum sint conditio necessaria sed vera causa gratiae . .	» 104

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Th. XI. De rationibus, cur a defendenda *physica* sacramentorum causalitate abstinendum nobis videatur . . . . . *Pag.* 124
Th. XII. Veritas characterum sacramentalium demonstratur ex verbo Dei revelato . . . . » 142
Th. XIII. Explicatio aliqua rationis propriae characterum sacramentalium . . . . . » 163
Th. XIV. De Christo institutore omnium sacramentorum novae legis . . . . . » 178
Th. XV. De potestate in ministris ad conficienda sacramenta et de valore sacramentorum independente a fide ac meritis ministri . » 190
Th. XVI. De intentione saltem generali faciendi quod Ecclesia facit, necessaria in ministris ad conficienda sacramenta . . . . . » 199
Th. XVII. Refutatur sententia asserens, ad valorem sacramenti sufficere solemnitatem ritus externam, quantumvis intentio interna sit contraria . . . . . » 217
Th. XVIII Demonstratur numerus sacramentorum dogmatice ex universali consensu Ecclesiae, unde polemice infertur argumentum praescriptionis . . . . . » 257
Th. XIX. Explicatur modus connumerandi sacramenta penes ss. Patres . . . . . » 271
Th. XX. De singularibus quibusdam scriptoribus orientalibus, qui in numero septenario sacramentorum consentiunt, in assignandis vero sacramentis singulis errantes tum inter se tum a doctrina universali dissentiunt . . » 281

INDEX RERUM

A

Absolutio impertita et baptismus collatus moribundis sensibus destitutis luculentum argumentum efficaciae sacramentorum ex opere operato. 63. Absolutio moribundi sensibus destituti non demonstrat, actus poenitentis non esse materiam constituentem sacramentum. 40.
S. Ambrosius. Eius locus de lotione pedum explicatur. 290.
Anthropomorphismus quidam vitandus. 172.
Apostoli. Eorum potestas quoad sacramenta. 184. Apostolicitas alicuius doctrinae duplici modo demonstrari potest. 256. Criterium doctrinae apostolicae quale sit et quomodo manifestetur. 142.
Augustinus. Eius auctoritas in controversiis, quas habuit de fide contra schismaticos et haereticos, ad intelligendam doctrinam totius Ecclesiae. 146.
Eius interpretatio Gen. XVII. 14. a pluribus impugnata vindicatur. 22. (nota).
Eius doctrina de circumcisione et sacramentis V. T. 20. 28: quomodo intelligendus, quando dicit *per sacramentum circumcisionis* fuisse remissum peccatum originale. 29.
Eius celeberrimus locus in Io. tr. 80. explicatur. 101
Eius quaestio de baptismo ioculari et mimico, 211; non audet de eius valore iudicium pronuntiare. 212. Hoc dubium Protestantes nullatenus iuvat. ib.
Eius quaestio de baptismo suscepto et collato fallaciter 212. Fallacia de qua Augustinus, non est fallacia intentionis, sed est fallacia infidelitatis. 214.

B

Bañez. Eius explicatio de efficacia sacramentorum. 115 (nota).
Baptismus. Baptismi Ioannis et Christi discrimen: remissio peccatorum in baptismo Ioannis erat effectus poenitentiae non baptismi, 59; collatus « in nomine Dei unius et trini » est invalidus, 99; comparatur a Patribus utero B. Virginis: aquis in primitiva formatione a Sp. S. fecundatis, 62; baptismus puerorum luculentum argumentum efficaciae sacramentorum ex opere operato 63.
Basilius. Non fuit in errore Cypriani; ex alio principio putavit baptismum haereticorum, qui errant circa Trinitatem, non esse validum. 197.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Th. XI. De rationibus, cur a defendenda *physica* sacramentorum causalitate abstinendum nobis videatur . . . . . *Pag.* 124
Th. XII. Veritas characterum sacramentalium demonstratur ex verbo Dei revelato . . . . » 142
Th. XIII. Explicatio aliqua rationis propriae characterum sacramentalium . . . . . » 163
Th. XIV. De Christo institutore omnium sacramentorum novae legis . . . . . » 178
Th. XV. De potestate in ministris ad conficienda sacramenta et de valore sacramentorum independente a fide ac meritis ministri . » 190
Th. XVI. De intentione saltem generali faciendi quod Ecclesia facit, necessaria in ministris ad conficienda sacramenta . . . . . » 199
Th. XVII. Refutatur sententia asserens, ad valorem sacramenti sufficere solemnitatem ritus externam, quantumvis intentio interna sit contraria . . . . . » 217
Th. XVIII Demonstratur numerus sacramentorum dogmatice ex universali consensu Ecclesiae, unde polemice infertur argumentum praescriptionis . . . . . » 257
Th. XIX. Explicatur modus connumerandi sacramenta penes ss. Patres . . . . . » 271
Th. XX. De singularibus quibusdam scriptoribus orientalibus, qui in numero septenario sacramentorum consentiunt, in assignandis vero sacramentis singulis errantes tum inter se tum a doctrina universali dissentiunt . . » 281

INDEX RERUM

A

Absolutio impertita et baptismus collatus moribundis sensibus destitutis luculentum argumentum efficaciae sacramentorum ex opere operato. 63. Absolutio moribundi sensibus destituti non demonstrat, actus poenitentis non esse materiam constituentem sacramentum. 40.
S. Ambrosius. Eius locus de lotione pedum explicatur. 290.
Anthropomorphismus quidam vitandus. 172.
Apostoli. Eorum potestas quoad sacramenta. 184. Apostolicitas alicuius doctrinae duplici modo demonstrari potest. 256. Criterium doctrinae apostolicae quale sit et quomodo manifestetur. 142.
Augustinus. Eius auctoritas in controversiis, quas habuit de fide contra schismaticos et haereticos, ad intelligendam doctrinam totius Ecclesiae. 146.
Eius interpretatio Gen. XVII. 14. a pluribus impugnata vindicatur. 22. (nota).
Eius doctrina de circumcisione et sacramentis V. T. 20. 28: quomodo intelligendus, quando dicit *per sacramentum circumcisionis* fuisse remissum peccatum originale. 29.
Eius celeberrimus locus in Io. tr. 80. explicatur. 101
Eius quaestio de baptismo ioculari et mimico, 211; non audet de eius valore iudicium pronuntiare. 212. Hoc dubium Protestantes nullatenus iuvat. ib.
Eius quaestio de baptismo suscepto et collato fallaciter 212. Fallacia de qua Augustinus, non est fallacia intentionis, sed est fallacia infidelitatis. 214.

B

Bañez. Eius explicatio de efficacia sacramentorum. 115 (nota).
Baptismus. Baptismi Ioannis et Christi discrimen: remissio peccatorum in baptismo Ioannis erat effectus poenitentiae non baptismi, 59; collatus « in nomine Dei unius et trini » est invalidus, 99; comparatur a Patribus utero B. Virginis: aquis in primitiva formatione a Sp. S. fecundatis, 62; baptismus puerorum luculentum argumentum efficaciae sacramentorum ex opere operato 63.
Basilius. Non fuit in errore Cypriani; ex alio principio putavit baptismum haereticorum, qui errant circa Trinitatem, non esse validum. 197.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Bellarminus. Eius doctrina de dispositione requisita ad sacramenta a recenti reprehensione vindicatur. 55.

S. Bernardus. Eius sermo de lotione pedum explicatur. 288.

Berti. Sententia de causalitate physica indirecta sacramentorum, 131: eius sententia de natura characteris expenditur, 167: eius iudicium de sententia Catharini. 255.

Biel. Eius doctrina de sacramentorum efficacia *ex opere operato* exponitur et a calumniis Protestantium vindicatur. 72.

S. Bonaventura et aliquot antiqui scholastici putarunt, non omnia sacramenta fuisse immediate instituta a Christo. Post Concilium Tridentinum non amplius licet ita sentire. 183. Bonaventurae sententia de efficacia sacramentorum. 133. (nota).

C

Cartesiani. Quidam ex hac schola theologi multum haerent, quando explicant naturam characteris. 166.

Catharinus. Eius sententia de intentione et eius adstipulatores, 217: refutatur, ib.: in schola usque ad saec. XVII medium communi consensu reiecta, 224. Caroli D'Argentrée de ea iudicium, 234: argumenta Serry et Drouinii solvuntur. 242.

Causa principalis et causa prima nullatenus confundendae; 57: causae principalis et instrumentalis propria ratio, 56, 111: causae principales et instrumentales non solum in ordine physico, sed etiam in morali inveniuntur, 57: causae moralis et conditionis discrimen, 110: causa moralis quomodo sit intelligenda relate ad divinam voluntatem, 118: efficacia causae moralis male comparatur a Drouinio efficaciae syngraphae et signi prae taberna appensi. 130.

Character est signum spirituale et indelebile conseerans membrum, militem, ministrum Christi, 163. 169: est specialis consecratio ad divinum cultum, 169: ideo est participatio sacerdotii Christi, 170: est qualitas ontologica, 163. Characteris definitio secundum s. Thomam, 160: doctrina de sacramentis imprimentibus characterem diu ante negationem Wicleffi fuit in universali professione Ecclesiae, 143: Augustini doctrina de charactere, 146: distinguit tria, sacramentum, effectum communem bonis et malis, effectum qui nonnisi in bonis esse potest: tria sacramenta semel accepta semper haerent et manent, 147: quia semper haeret et manet quaedam eorum consecratio, quae bonos et malos aeque obsignat, 150: hoc spirituale signum appellat characterem regis Christi, qui manet etiam in desertore, 151: in hac sua doctrina semper appellat ad sensum Ecclesiae catholicae, 151. Doctrina quam Augustinus defendit saeculo V. iam invenitur proposita apud Patres saec. IV: inter effectus baptismi enumerant « signaculum sanctum, insolubile, indelebile, » 152: per ipsum cognoscuntur etiam desertores, 154. In monumentis aevi apostolici occurrunt eiusdem doctrinae non obscura indicia: baptismus exhibetur ut « sigillum impressum. » sigillum infragile: chrisma in Ecclesia Graeca iam a temporibus apostolicis confertur hac

forma « sigillum doni Spiritus S. » 154. Patrum doctrina de signaculo et sigillo sacramentali est commentarius locorum Scripturae, in quibus ut effectus sacramenti praeter gratiam enumeratur sigillum, 156: locus Scripturae insignior declaratur, 156: totius doctrinae de charactere semina inveniuntur in Scripturis, 158. Characteris impressio ratio est, cur tria sacramenta quae illum inprimunt, repeti non possint, 147: impressio characteris sufficit per se, ut inferatur non posse repeti sacramenta; hoc autem per se non sufficit, ut illud inferatur sine praesidio traditionis, 161. Indelebilem esse characterem in hac vita est dogma fidei, pro altera vita est theologice certum, 175. Character et sigillum dicuntur active et passive, imprimens et impressum, 158: sensu activo ipsa Trinitas et maxime Filius est character increatus, 160. Character habet moralem cum gratia coniunctionem, 173: ideo Scripturae et Patres ante controversiam cum Donatistis characterem plerumque considerant in actuali coniunctione cum gratia, 174: unde a scholasticis dictus signum et sacramentum gratiae. 175.

Christus quando consecravit Eucharistiam, confecit sacramentum, non autem quando remisit peccata, neque probabiliter quando Apostolos ordinavit. 9.

Cum habeat plenitudinem sacerdotii, non potest habere characterem, qui est participatio sacerdotii Christi. 175.

Per seipsum dum erat in terris, instituit omnia sacramenta. 179.

Christi hominis potestas in opere redemptionis, 179: eius potestas remittendi peccata et conferendi gratiam non fuit alligata sacramentis, 180.

Christus homo in ordine causae meritoriae est causa suprema: haec virtus meritoria Deo subordinatur: ideo Christus homo ut causa meritoria est instrumentum divinitatis. 180

Circumcisio. In eius susceptione remittebatur peccatum originale infantibus, 20: non erat tamen causa iustificationis, 23: quomodo haec duo concilientur, 26: non est sacramentum legis Mosaicae, tamen dicendum est sacramentum legis antiquae, 25: eius proprius effectus erat aggregatio ad visibilem populum Dei. 27.

Concilium. Eius scopus est antiquitatem tueri Vinc. Lirin. 270.

Confirmatio. Eam fuisse institutam in Concilio Meldensi absurdus error. 183.

Copti septem sacramenta retinent. 266.

S. Cyprianus et post eum Donatistae non contendebant, repetendum esse baptismum haereticorum, sed esse invalidum et ab iis tinctos non esse rebaptizandos sed baptizandos: eodem modo de Ordinatione et Chrismate. 145.

Cyrillus Lucaris Patriarcha Const. a Calvinianis corruptus professionem fidei Calvinianam edidit, 264: in ea duo tantum sacramenta asseruit, ibid. omnes orientales episcopi et clerus universus haereticam innovationem solemniter damnarunt. Ibid.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

D

Damascenus Studita inter septem sacramenta enumerat habitum sacrum, 282: cur ita erraverit. 284.

Deus ad gradus, status, potestates non destinat per externam deputationem ut homines faciunt, sed per internam et ontologicam donorum collationem. 172.

Omnipotentia Dei in sacramentis specialiter inexistit, 113: an ideo dici possint causae physicae, 115: si spectetur sacramentum ut unitum divinae omnipotentiae quae ipsi inexistit, tum dici potest physice producere gratiam. 115. 129.

Hoc sensu intelligendi Patres, quando videntur sacramentis tribuere physicam efficientiam. 129.

Dionysius. Eius opus de eccles. hier. quem scopum habeat, 280: ob hunc scopum non bene intellectum quidam orientales in explicatione sacramentorum perturbationem induxerunt, ibid. quanta gaudeat apud orientales auctoritate. 285. (nota).

Disciplina arcani, 274: in re sacramentaria potissimum servata, ibid. magna cautela in edendis scriptis de sacramentis. 275.

Dispositio suscipientis sacramentum est tantum remotio obicis non autem meritum ad gratiam sacramentalem. 52: dispositio necessaria tollit obicem simpliciter dictum scilicet obicem gratiae, dispositio melior tollit obicem secundum quid scilicet obicem gratiae abundantioris, 53: dispositio et causa meritoria quomodo distinguantur, 75.

Donatistae. Eorum controversia, 192: duplex in ea cardo quaestionis, ibid. terminata potissimum ex traditione. 193.

Dronin non satis distinxit causam moralem a mera conditione, 130: Catharini sententiae acerrimus assertor, 217: in citatione decreti Innoc. III. historice et hermeneutice deceptus, 247: eius argumenta pro sententia Catharini, 242: solvuntur, 243.

Durandus. Eius opinio de charactere, quod consistat in relatione rationis, est contra communem scholae doctrinam. 165.

E

Ebed-Iesu Nestorianus enumerat inter sacramenta sacrum fermentum et signum vivificae crucis. 282.

Efficacia sacramentorum N. T.: sacramenta N. T. sunt proprio sensu causae instrumentales gratiae, 50: per ea gratia sanctificans immediate et efficienter confertur, 59: in Scripturis remissio peccatorum et communicatio Spiritus S. declaratur esse effectus immediatus ipsius signi sensibilis, 59. Doctrina Patrum, 61: dicunt Spiritum S. inesse ipsis elementis aquae et olei, aquam esse instar uteri in quo generamur, ibid. aquam fecundari a Spiritu S. ut fecundabatur in prima rerum formatione, 62: finem et effectum symboli externi esse gratiam, ibid. sacramenta sunt efficacia ex opere operato. (Vide *opus operatum*). Dicuntur immediatae causae gratiae non quia physice

attingunt ipsam gratiam sed quia per suam causalitatem, sive physica sit sive moralis, ipsam gratiam producunt non autem dispositionem et praeparationem ad gratiam, 119: sacramentum nullum fuit efficax causa gratiae ante Christum, 24. Quomodo sacramenta sint efficacia v. *moralis*, et *physica* efficacia.

Eucharistia. In ea primum tum etiam in omnibus sacramentis distinguuntur tria; sacramentum, res sacramenti, res simul et sacramentum, 176: ministros sacramentorum agere nomine Christi, manifestissime apparet in Eucharistia exemplari ceterorum sacramentorum, 105: dignitas sacramentorum per quam sunt causae morales gratiae, in ceteris sacramentis est per derivationem, in Eucharistia per essentiam, 122: sumptio Eucharistiae non est sacramentum. 123.

F

Fides: eam iustificare quomodo intelligendum, 77. 87: diversus modus quo iustificant fides et sacramenta, non tam intelligitur ex diversitate phrasium quibus eorum efficacia in Scripturis exprimatur, quam ex eo quod sunt diversae causae, 79: fides ut a charitate distinguitur, neque est sufficiens neque unica dispositio ad iustificationem, 80: argumenta contraria Protestantium solvuntur 84. 86. 91: ex fide ideo dicit Apostolus iustificari hominem « quia ipsa prima datur, ex qua impetrentur cetera » Augustin. 87: quo sensu PP. dixerint hominem iustificari ex *sola fide*, 92: fides debet charitate informari; ideo ut charitate informata saepe in Scripturis consideratur. 88.

Fides *formata et informis* quo sensu dicantur, 82: *fides quae per charitatem operatur* probabiliter a s. Paulo dictum est significatione passiva, 83: fides obiectiva et subiectiva. 86.

Forma sacramentorum determinata est ab institutore non secundum sonum et phrasin sed secundum significationem. 47.

Forma absolvendi apud orientales deprecativa aequivalet indicativae. 48.

Forma baptizandi orientalium. 48.

G

Graeci schismatici septenarium numerum sacramentorum unanimi consensu retinent. 262.

Gratia non potest educi ex potentia subiecti sicut cetera accidentia: haec difficultas contra efficientiam physicam sacramentorum. 74. nota.

Gratia sacramentalis est gratia habitualis collata per sacramentum cum peculiari respectu ad auxilia actualia. 142.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

H

Hierarchia nostra media est inter Leviticam et coelestem. 12.
Humanitas Christi est instrumentum Dei in sanctificatione hominum: sacramenta sunt instrumentum Humanitatis. 108. 112.
Modus quo humanitas Christi concurrebat in operationibus theandricis, non debet statui tamquam norma intelligendi modum, quo sacramenta concurrant ad productionem gratiae. 141.
Hypotheses in theologia assumi non debent, nisi quatenus conferant ad intelligentiam dogmatis. 135.

I

S. Iacobus. Eius epistola scripta ad corrigendam pravam intelligentiam doctrinae s. Pauli de fide et operibus. 82. nota.
Ieremias Patriarcha Costantin. Confessionem Augustanam confutavit: eius de septenario numero sacramentorum insigne testimonium. 263.
Infantes in V. T. aggregati ad populum Dei per actus alienos. Omni tempore fuit et esse debuit medium efficiendae huius aggregationis. 16. 18. In eius applicatione certum est peccatum originale fuisse remissum. 20: quamdiu sunt in utero non sunt membra completa humanae societatis: ideo nullum pro ipsis institutum medium aggregationis ad populum Dei. 18: non potuerunt aggregari populo Dei et ita iustificari per merum actum internum parentum vel aliorum, secus ac sensit Vasquez. 24. 27.
S. Innocentius I. Papa non est ausus formam sacramenti Chrismatis epistolae scriptam consignare. 275.
Innocent. III. Eius sententia de infantium salute in V T. 21: quid voluerit, cum dixit, per *mysterium sacramentorum* V. T. peccatum fuisse remissum. 28:
Eius responsum de baptismo collato amentibus et dormientibus. 142. nota.
Innocentii IV. locus de intentione necessaria ad valorem sacramenti explicatur. 227. 248.
Institutio sacramentorum necessario pendet a Deo auctore, 178: in praesenti oeconomia necessario etiam pendet ab humana voluntate Christi ib. Certum est post Concilium Tridentinum, omnia sacramenta fuisse immediate instituta a Christo, 186: an hoc sit de fide, 183: an sit possibile merum hominem habere potestatem instituendi sacramenta. 189.
Intentio necessaria in ministro sacramenti, 199: si sacramenta essent mera signa instituta tantum ad excitandam fidem, nulla esset necessaria intentio ministri, 200: cum sint signa practica ponenda nomine Christi requiritur ministri intentio, qua se subiiciat principali agenti, 201: esse sacramentale non continetur in materiali actione per se, sed prout procedit a potestate ministeriali, 203: hac potestate ministeriali velle uti vel non uti pendet ex voluntate

ministri, 205. Definitiones Ecclesiae de necessitate intentionis, 206. Scholae consensus, 207. Sufficit intentio generalis faciendi quod facit Ecclesia: non requiritur intentio specialis conficiendi sacramentum et conferendi gratiam, 207: illam generalem potest habere etiam haereticus etiam infidelis, 209: intentio actualis non requiritur, virtualis sufficit, habitualis non sufficit, 210: habitualis apud antiquiores scholasticos idem valet ac virtualis, et ideo dicunt eam sufficere, 211. Intentio quam dicunt *externam*, non sufficit, 217: actio sacramentalis non determinatur ad esse sacramenti per externa adiuncta seriae administrationis, 222: minister extrinsecus simulans iocum si adhibeat legitimam materiam et formam cum interna intentione, certe conficit sacramentum, 222: intentio faciendi quod facit Ecclesia, requisita a Concilio Trid. non potest intelligi de intentione quam dicunt externam, 224: intentio non requiritur, ut sacramentum sit efficax, sed ut sit sacramentum, 226: si quis duo contraria intendat, ut contrahere verum matrimonium sed non efficere sacramentum, quaenam intentio valeat? 228: animus serio agendi et vere absolvendi quem Concilium Tridentinum requirit ad valorem sacramenti, non potest esse intentio quam dicunt externam, 229. Propositio 28. inter damnatas ab Alex. VIII. omnino videtur nihil aliud damnare quam sententiam de intentione, quam externam dicunt, 230: ordinatio solemni ritu peracta ob solum defectum intentionis in episcopo declarata est irrita a S. Congr. Concilli, 233: item ob defectum intentionis internae in ordinato, 233: similitudines ignis qui non obstante contraria intentione eum applicantis urit, et seminis quod etiam contra intentionem illud proiicientis germinat, quam sint ineptae ad demonstrandum, non esse necessariam internam intentionem in ministro sacramenti. 246.
Intentio ponendi actum sacramentalem extrinsecus serium, et intentio non faciendi illum ut sacrum sed mere materialiter, non sunt contrariae et possunt ambae esse efficaces. 247.
Augustini tempore doctrina de necessitate internae intentionis nondum erat in explicita universali professione, 212. 244: explicite est proposita saltem inde a saeculo XIII. ibid.
Iob monachus inter septem sacramenta enumerat habitum sacrum. 282. cur ita erraverit. 284.
Iocus non reddit sacramentum irritum quia reddit actionem externe ludicram, sed quia in ioco deest voluntas necessaria ad conficiendum sacramentum. 229.
Iueninus. Eius absurda propositio de decretis Romanis. 231.
Iustificatio quid sit et quo modo acquiratur iuxta Protestantes, 79: iustificari posse adultos sine ullo bono motu, nemo catholicus docuit umquam. 70.

K

Kemnitii fraus in citatione Gabrielis Biel. 69.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

L

Lex antiqua non legem tantummodo Mosaicam significat, sed totam veterem oeconomiam ante Christum. 25.
Lugo Card. singularem habuit opinionem de sacramento legis naturae. 26.
Lumen triplex signatum est super nos naturae, characteris, gratiae. 172.
Lutheri tria principia de iustificatione: necessario important adultos peccatores iustificari sine ullo bono motu. 73.

M

Magica operatio. Appellationis abusus apud quosdam recentiores. 67.
Materia in sex sacramentis certe determinata est ab institutore in specie, in sacramento Ordinis saltem probabilius. 46: admittenda est etiam in sacramento Poenitentiae, 37: fit proxima vel per aliquam actionem ministri ut in baptismo, vel per solam coniunctionem cum forma ut in Eucharistia et Poenitentia. 120.
Materia et forma sacramentorum. Haec formula non occurrit ante saeculum XIII. 34: praeclare exprimit internam rationem signorum sacramentalium. 35: sacramenti compositio secundum materiam et formam considerari potest duplici modo. 31: materia et forma in sacramentis coniunguntur ad efficiendum unum signum, ideo sufficit moralis coniunctio utriusque. 36: ab ipso institutore determinari debuerunt. 42.
Martyrium sanctificat ex opere operato. 293: non tamen est sacramentum, quia non est signum a Deo institutum. 293.
Matrimonium. Eius ministri Christum repraesentant, quatenus obligant non quatenus obligantur, et quatenus sacramentum conferunt non quatenus sacramentum suscipiunt: Christus enim coniungit non coniungitur, sanctificat non sanctificatur, 121: materia et forma in matrimonio declaratur. 40. 120.
Minister est causa ministerialis gratiae sacramentalis non nisi per collationem sacramenti. 190: fides et sanctitas ministri ad valorem sacramenti non requiritur, neque ex natura propria sacramentorum neque ex positiva voluntate Christi. 191: Donatistarum controversia ibid.: Conciliorum definitiones, 195: quomodo intelligendi Patres, qui negant ministrum sacramentorum esse causam gratiae, 196.
Monophysitae septem sacramenta retinent. 266.
Moralis efficacia sacramentorum, 104: sunt moraliter actiones Christi summi sacerdotis, ibid.: ob hanc dignitatem exigunt sanctificationem eorum quibus applicantur, ibid.: sunt igitur verae causae morales gratiae, ibid.: obiectiones, 117: haec dignitas moralis non fundatur in novo augmento meritorum sed in meritis completis in cruce, 107: ut sacramentis suis hanc mereretur dignitatem, Christus mortuus est, 108: Scripturae et Patres saepe sacramenta considerant in speciali coniunctione cum passione, sanguine et vulneribus Christi, 108: Scripturae locus pro causalitate morali sacramentorum. 126.

N

Nestoriani septem sacramenta retinent. 266: eorum *sacrum fermentum*, 287: mirae de eo fabulae, ibid.: illud enumerant inter sacramenta. ibid.
Numerus sacramentorum, 257: consideratio synthetica de omnibus sacramentis simul non est facta a ss. Patribus, ibid. ideo non potest haec synthesis directe demonstrari ex consensu antiquitatis, ibid.: demonstratur indirecte ex consensu universitatis, 258: vetusta monumenta, in quibus connumerantur septem sacramenta, ibid. scholae unanimis consensus de hoc numero, 260: consensus ecclesiae graecae schismaticae, 262: consensus Nestorianorum et Monophysitarum, 266: consensus iste non potuit oriri post saeculum V., 268: saeculo V. non potuit induci per innovationem quin ulla existat memoria, ibid.: Patres non connumerant nisi tria vel quatuor sacramenta, 271: cur id factum, 273: cur fere semper eadem connumerent, 279. Cur quidam scriptores orientales consentientes in septenario numero sacramentorum, in singulis tamen assignandis erraverint. 283.

O

Obex gratiae quid sit, 50: differt ab ineptitudine ad sacramentum: haec impedit valorem, ille effectum sacramenti, 50: in infantibus nullus esse potest, in sacramentis mortuorum est impoenitentia, in sacramentis vivorum conscientia status peccati, 51. 52: obex simpliciter et obex secundum quid, ille impedit gratiam simpliciter, hic gratiam abundantiorem. 52.
Oleum non benedictum ab Episcopo utrum materia valida pro sacramento extremae unctionis? 45: in nota.
Opus operatum et opus operantis quid significent, 66: hic dicendi modus primo usurpatus a Petro Pictaviensi, 64: calumniae Protestantium de hac formula, 67: disiiciuntur, 69: causalitas ex opere operato et causalitas ex opere operantis sunt in diverso ordine: ideo non se mutuo excludunt. 85.
Optatus Donatistarum acerrimus adversarius tamen ex alio principio reiecit baptismum haereticorum, qui errant circa Trinitatem. 198.
Ordines minores probabilius non sunt sacramenta proprie dicta. 9.
Orientales schismatici et haeretici: eorum miser status, 283: non est facile propter eorum ruditatem cognoscere, quid credant. ibid.
Ornatus et dispositio illa, quam veteres scholastici nonnulli putabant effici a sacramentis, non amplius admittitur. 138.

P

Peccator. Eius actus supernaturales sunt disponentes, non meritorii iustificationis. 75.

Physica efficientia sacramentorum exponitur, 131: non evidenter repugnat, 132: exigit nova miracula: nullo convincente argumento fulcitur: a multis et magnis doctoribus negatur, 133: inextricabiles habet difficultates, 135: admitti non debet ut thesis quia non demonstratur, neque ut hypothesis quia intelligentiam dogmatis non iuvat sed maxime impedit, 133: Patres causalitatem physicam sacramentis tantum externam in corpore tribuunt, internam in anima negant. 128.

Suarezius fatetur, « opinionem de causalitate physica sacramentorum esse valde incertam. » 135.

Vasquesii de causalitate physica sacramentorum iudicium. 135.

Piscis symbolum christianorum, quia in aqua baptismi nascimur. 62.

Potestas triplex in ordine ad sacramenta: auctoritatis, excellentiae, ministerii. 178.

Protestantes. Eorum absurdae calumniae contra formulam, « sacramenta gratiam conferre ex opere operato. » 67. Sacramenta iuxta ipsos non sunt aliud nisi adminiculum et appendix verbi Dei, 94. nota. Quatuor eorum errores in doctrina de iustificatione. 79.

R

Resurrectio I. C. est causa exemplaris nostrae iustificationis. 91.

S

Sacramentum. Eius etymologia: significat generice res sacras et occultas. 1: praesertim eas, quae sunt signa aliarum rerum sacrarum. 2. In usu christianorum dicit specifice res sacras non solum significantes sed etiam efficientes sanctificationem. 3. Sacramenta V. T. specie differebant a sacramentis N. T., proprie tamen sacramenta appellantur. 4. Quot fuerint incertum. 5: eorum quaedem enumerantur. 8: sacramenta N. et. V T. conveniunt in illis notis essentialibus, quae non pendent a speciali ratione novae vel veteris oeconomiae. 6: sacramentorum ratio respondet rationi oeconomiae ad quam pertinent, 11. 32: sacramentorum N. T. notae essentiales, 6: harum quaedam sunt eorum propriae, quaedam communes sacramentis V. T. 7: sacramentorum V. T. notae essentiales, 8: sacramenti proprie dicti definitio communis sacramentis N. et V. T. 1. et 8: sacramenta N. T. significant in praesenti et conferunt gratiam Christi, sacramenta V. T. significabant in praesenti et conferebant sanctificationem legalem, significabant in futuro gratiam Christi. 7. 13. 14: etiam in sola ratione signi sunt et debuerunt esse perfectiora sacramenta N. T. 32: triplex ratio cur sacramenta N. T. constent rebus et verbis. 34: sacramenta non sunt signa naturalia sed neque mere arbitraria, 42: sacramentorum N. T. quatuor sunt perficientia seu consecrantia, tria medicinalia, 279: non est negandum, esse instituta etiam ad excitandam fidem, sed non principaliter et unice ad hoc sunt instituta, ut vellent Protestantes, 100: sacramenta quae imprimunt characterem, si valide collata fuerint, non posse repeti, semper

et ubique creditum est, 145: sacramentum legis naturae quid intelligatur: ante circumcisionem necessarium fuit omnibus infantibus: post circumcisionem masculis non israelitis et omnibus feminis: non erat causa iustificationis, 24: comprehenditur inter sacramenta antiquae legis a Concilio Florentino, 25. De efficacia vide *efficacia, moralis, physica.*

Tractatus de sacramentis in genere cur apud Patres non inveniatur. 273.

Sacramentalia. Iis quidam theologi adscribunt virtutem remittendi peccata venialia ex opere operato. 290.

Scotus. Eius doctrina de sacramentorum efficacia *ex opere operato* exponitur et a calumniis Protestantium vindicatur, 70: eius sententia de essentia characteris, si bene intelligatur, vera et sana est. 164.

Similitudo ad Deum supernaturalis triplex est, gloriae, gratiae, characteris. 172.

T

Testamenti V. propria et formalis ratio, 10: ita se habet ad Ecclesiam Christi sicut Ecclesia Christi in terris ad Ecclesiam coelestem: V. T. est umbra, Ecclesia Christi in terris est imago, in coelis est res. 11.

Theodoti auctoris II. saeculi locus insignis de charactere sacramentali. 155.

S. Thomas. Eius sententia de causalitate sacramentorum, 136: sollicitus est de vera causalitate sacramentorum non autem de modo efficientiae, 138: omnia quae de ratione causalitatis sacramentorum docet in operibus posterioribus commentario in sententias, optime intelliguntur de causalitate morali, 138: in commentario videtur certe docuisse efficientiam physicam non tamen gratiae sed dispositionis et ornatus cuiusdam. 136.

Catharini sententiae de intentione externa non favet, 235: omnes nobiles Thomistae usque ad Contensonum eum intellexerunt iuxta communem doctrinam, ibid.: diserte docet sacramentum non perfici, si minister non intendat saltem implicite sacramentum conficere, ibid. totum opus externum non esse sacramentum, nisi per intentionem ministri ad esse sacramentale determinetur, 236: ministrum debere se subiicere principali agenti per intentionem faciendi quod facit Christus vel Ecclesia. 237: infidelem ut possit valide baptizare, debere saltem in confuso cognoscere, quod Ecclesia intendit per illum ritum conferre aliquid sacrum, 239: ludicram intentionem reddere sacramentum invalidum, ibid: etiam si exterius non manifestetur, ibid: necessariam non esse intentionem actualem sed virtualem. 240.

Tridentinum Concilium. Ex eo debet cognosci doctrina de efficacia sacramentorum ex opere operato. 69.

Eius definitio de institutore sacramentorum expenditur, 186.

Eius doctrina de charactere sine detorsione verborum intelligi nequit nisi de ontologica realitate characteris. 164.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

V

Vartanus armenus monophysita enumerat inter septem sacramenta funus super defunctos, 282: cur ita erraverit, 284.
Verba sacramentalia sunt consecratoria non concionalia, 95: consecrant materiam eam elevando ad rationem sacramenti, consecrant hominem eum sanctificando, 97: in eucharistia immediate consecrant materiam, mediate hominem: sub diverso respectu sunt consecratoria panis et vini, corporis et sanguinis Domini, sacramenti corporis et sanguinis Domini, 96: esse efficacia, non quia dicuntur sed quia creduntur, quo sensu dictum ab Augustino, 102: verbum fidei quo consecratur baptismus, Augustino est ipsa forma baptismi, 102. nota: verbum vitae in quo mundari dicitur Ecclesia Eph. V. 6. est illud, quod lavacro coniungitur et illud consecrat nempe invocatio ss. Trinitatis. 91.
Viva. Eius explicatio de efficacia sacramentorum quomodo intelligenda. 113.
Voluntas divina reparationis generis humani est universalis; incepit reparatio a prima promissione Reparatoris. 16.

Z

Zachariae P. responsum de baptismo sub forma corrupta. 49.

REIMPRIMATUR
P. Fr. Raph. Arch. Salini Ord. Praed. S. P. A. Mag. Soc.

UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS